ONOMASTICON
RITUALE
SELECTUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

ONOMASTICON
RITUALE SELECTUM

A U C T O R E

FRANCISCO ANTONIO ZACCARIA

P R A E M I T T I T U R

EX CORNELII SCHULTINGII BIBLIOTHECA ECCLESIASTICA

PONTIFICIORUM DECRETORUM

DE IIS MAXIME QUAE ECCLESIASTICA OFFICIA ATTINGUNT

INDEX HISTORICUS

Cum antiquioribus aliis ejusmodi Indicibus
collatus, notisque illustratus.

ACCEDIT VELUTI APPENDIX

Ratio instituendi Studii Ritualis, Onomastici hujus usu,
Auctorumque, qui ibi indicantur, praesidio.

TOMUS SECUNDUS.

FAVENTIAE MDCCLXXXVII.

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI ANTONII ARCHII.

SUPERIORUM PERMISSU.

ONOMASTICON
RITUALE SELECTUM
AD USUM

cum Cleri, tum ſtudioſae Eccleſiaſticarum Antiquitatum Juventutis.

MA

MAFORIUM, MAFORS, ſacrae veſtis genus ad ornandum altare, ſeu ad pignora, ac Sanctorum ſepulcra obvolvenda. De eo meminit Charta *Cornutiana*; ubi ad ornatum Eccleſiae Q. THEODOVIUS donat MAFORTEM *tramoſericum*, *rhodomelinum*, ideſt inſtar pomi rubentem, *aquilatum*. *Item* MAFORTEM *eteleoporphyrotramoſericum opus marinum*, *item alium holoſericum luritatum*. Saeculo deinde XII. ea vox deſignabat pannum ſericum ſuper Altari, quum ſacrificaretur, religionis cauſſa extendendum. Hinc in miraculis S. GIBRIANI ab Anonymo Monacho narratur, Comitiſſam *Richildem de* ROSCEJO *adceſſiſſe ad memoriam Sancti; poſitiſque genibus, & oratione fuſa ſurgens, tam ulnis cordis, quam corporis, virtutifera membra, non ſine fletu, & ſingultu, deoſculata, & diutiſſime amplexata eſt, ſeque ejus patrocinio humiliter commendavit: ſed &* MAPHORTEM SERICUM *non minimi pretii pro benedictione obtulit, deprecans quotieſcumque Miſſa ad ejus altare celebraretur*, IPSI MENSAE SACRATAE *ob memoriam ſui* SUPERPONERETUR.

MAGISTER SACRI HOSPITII. Inter ea munia eſt, quae olim *Lateranenſis* Palatii Oſtiariis committebantur; nam ſepta interiora Pontificii Sacelli cuſtodit. De his ſacri hoſpitii Magiſtris nonniſi apud vulgatum S. R. E. Caeremoniarum librum mentionem inveni, a quo etiam diſcimus, Magi-

Digitized by Google

Magiſtrum ſacri hoſpitii parandis, ac deferendis ad menſam dapibus pro ſolemni convivio, quod olim *Romani* Pontifices certis diebus celebrabant, praefuiſſe. Quoties Conſiſtoria publica habebantur, ante ipſius aditum, ſeu oſtium ſtabat, circumſeptus praetoria cohorte. Hodie quoque dum *Romanus* Pontifex ſolemniter celebrat, ad oſtium Secretarii, & Pontificii Sacelli ſtat Magiſter ſacri hoſpitii, Pontificiis Helvetiorum cohortibus circumvallatus. Jampridem hac dignitate nobiliſſima inter *Romanas* Familia de Comitibus Pontificum *Romanorum* permiſſu fruitur, ut etiam idem Caeremoniarum S. R. E. liber, Saeculo Chriſti XV. ſcriptus, teſtatur. Haec GEORGIUS *T. II. diſſ. I. cap. 6. n.* 28.

MAGISTRI *Caeremoniarum*, qui ſacris Caeremoniis praeſunt.

MAGISTRI OSTIARII. Eorum officium erat, ut duo baculos, ſeu virgas ſerico coloris rubei coopertas, manibus tenentes; Subdiaconum Apoſtolicum crucem in proceſſionibus ad Miſſam Pontificalem, ſeu in aliis proceſſionibus praeferentem, medium haberent. Dum Miſſarum ſolemnia *Romani* Pontificis fierent, ante introitum clathrorum Pontificii Sacelli poſt Magiſtrum ſacri hoſpitii ſtabant. De his Magiſtris agit idem GEORGIUS *l. c. num.* 27.

MAJOR DOMUS. Sic hodie dicitur, qui Praefectus eſt Aedibus Pontificis, Principum, Epiſcoporum &c. Nuper Romae editus liber fuit praenotatus: *Notizie de' Prefetti del Palazzo Appoſtolico*, auctore aliis libris celebri Advocato RENAZZI. Vide VICEDOMINUS.

MALEDICTIO ſumitur interdum pro Excommunicatione. *Et ſi ſervitium tulerint, illam maledictionem habeant, quae in centeſimo octavo pſalmo legitur, & cum Juda traditore in aeterna poena participent.* Apud PURICELL. pag. 371., & p. 700. *Niſi reatum ſuum digna emendatione correxerit, centeſimi octavi pſalmi maledictionibus repleatur, & a Sacratiſſimo Corpore, & Sanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti fiat alienus.*

MALLEUS. In pluribus Monaſteriis malleo ſingulorum Monachorum cellae pulſabantur, ut ad Oratoria convenirent. Hiſt. Lauſ. cap. 104. CASSIAN. *lib.* 4 *Inſtit. cap.* 12.

MANDATUM. Feria V. in Coena Domini dicit Rubrica: *Poſt denudationem Altarium, hora competenti conveniunt Clerici ad faciendum mandatum*, quod eſt lotio pedum, & inde habet nomen, quod officium hoc incipiat a verbo hoc: *Mandatum novum do vobis &c.* Enimvero haec lotio pedum in quibuſdam Eccleſiis *Hiſpaniae*, & *Galliae* vetuſta conſuetudine recepta fuerat, in aliis aut numquam admiſſa, aut deſidia Epiſcoporum in deſuetudinem abierat: quare Concilium *Toletanum XVII. cap.* 3. praecepit, ut Epiſcopi per omnem *Hiſpaniam*, & *Galliam*, Chriſti Domini exemplum ſecuti, feria quinta in Coena Domini pedes ſuorum ſubditorum lavent, propoſita in negligentiores poena ſuſpenſionis a communione per duos menſes. Exinde ritus lavandi pedes pauperum ubique, etiam a Principibus Chriſtianis, frequentari coepit. Multa hae de re invenies apud GRETSERUM *lib. I. de Feſt. cap.* 17., & apud BAILLET. in *hiſt. Feſtor.*, ubi de feria V. majoris hebdomadae §. 3. Pauca ego de Romanae Eccleſiae conſuetudine ex BENEDICTO XIV. *lib. I. de Feſt. cap. 6. n.* 55. *ſeq.* huc transferam. Olim

Roma-

Digitized by Google

Romanus Pontifex, Miſſa peracta, duodecim hac die Subdiaconis, poſt prandium vero tredecim pauperibus pedes abluere conſueverat. Nunc tredecim pauperibus, qui ſint omnes Sacerdotes, pedes abluit. Cur autem pedes tredecim (quod & in *Florentina* Eccleſia, aliiſque ſervatur) non duodecim, ut Piſauri XIII. & XIV. ſaeculo (de quo HENRICI, & PETRI Epiſcoporum monumenta apud Cl. OLIVERIUM in hiſtoria Eccleſiae Piſaurenſis Saec. XIII. p. 13.) quum Chriſtus ipſe duodecim Apoſtolis pedes laverit, cur, inquam, tredecim pedes Pontifex abluat, varias Auctores cauſſas commenti ſunt? Alii in tertio decimo paupere PAULLUM Apoſtolum ob peculiarem Eccleſiae *Romanae* in illum venerationem, ut ARESIUS lib. 3. *delle ſacre Impreſe*, & ORLANDIUS; alii S. MATHIAM JUDAE ſuffectum; alii, ut FRESCOBALDIUS, Patremfamilias, cujus in domo Chriſtus Paſcha celebravit, agnoſcunt. SARNELLIUS *T. I. ep.* 13. duplicem cum RUPERTO Abbate in *Romana* Eccleſia ablutionem diſtinguit, alteram in MARIAE, quae apud *Phariſaeum* Chriſto lavit pedes & unxit, memoriam; alteram ad ipſius Chriſti Apoſtolos abluentis memoriam; utramque vero in unam coaluiſſe cenſuit, ut in uno MARIAE actio, quum Chriſtum abluit, in ceteris duodecim actio Chriſti abluentis exprimatur. Quidam vero in tertio decimo Angelum exhiberi putant, qui S. GREGORIO MAGNO duodecim quotidie pauperibus prandio exceptis miniſtranti repente adeſſe viſus eſt; quod miraculum *Romae* in D. GREGORII pictum cernitur, hoc adſcripto diſticho:

Bis ſenes hic GREGORIUS *paſcebat egentes*,
Angelus & decimus tertius accubuit.

Non omittendum, iis quoque, qui Baptiſmo abluendi erant, morem fuiſſe eadem feria V. in Coena Domini lavandi pedes in *Mediolanenſi*, multiſque *Hiſpaniae*, & *Africae* Eccleſiis; qua de re vide CORNELIUM A LAPIDE, & CALMETUM in cap. XIII. Joh. v. 7.

MANICAE. In Miſſa RATOLDI legimus, poſt offertorium, Epiſcopum reverti ad folium, *exuere manicas*, *& lavare manus &c.* Intellige cum MENARDO chirothecas, de quibus ſupra.

MANIPULARIS, & MANIPULARIUS, qui Pontifici, aliiſve ad manus deſerviret, ſeu negotia adminiſtraret. Hujuſmodi MARINO Romano Pontifici fuit, qui HADRIANO III. in Petri Cathedra ſucceſſit, STEPHANUS V., teſte libro Pontificali *T. II. Vignol. edit. p.* 262. Sic etiam, ut AGNELLUS refert, MAURUS Ravennas Archiepiſcopus Schiſmaticus in Siciliam miſit *manipularium ſuum*, *& voluit ipſum rectorem Siciliae* (patrimonii ſcilicet, quod ibi Ravennas Eccleſia habebat) *conſtituere per epiſtolam*. *Capita regionum*, *& manipularii etiam* (earumdem regionum) a PETRO AMELIO memorantur *in Ordine Romano XV.* apud MABILLONIUM *p.* 531.

MANIPULUS ſacrae veſtis genus Mappulae ſuffectum, non ad tergendas ſordes, ſed ad ornatum. Ejus cum primo introductus fuit (fuit autem alicubi jam ſaeculo VIII. introductus, ut ex donatione quadam ALDEGIASTRI a. 781. apud MABILL. *in Annal. Benedict.* Monaſterio *Obonenſi* facta colligitur, licet nonniſi ſaeculo X. paſſim uſurparetur, quum ALCUINUS, & AMALARIUS Mappularum uſum adhuc ſaeculo IX. vigentem oſten-

Digitized by Google

oſtendant) forma longior erat, & ſtrictior, vix duos pollices excedens, & linea utrimque aequali a ſummo ad imum limbum defluebat, nec erat extrema pars latior, ſicut nunc eſt. Quum autem Planeta totum corpus ambiret, manipulus extremo loco brachio expedito imponebatur: qui ritus tunc omnibus communis, nunc in ſolis Epiſcopis remanſit; hoc ſolum diſcrimine, quod olim non Presbyteris modo, ſed etiam Epiſcopis imponebatur ante egreſſum e ſecretario; nunc Epiſcopis peracta confeſſione ad altare a Miniſtris imponitur.

MANSIONARIA, certus in Eccleſiis locus, in quo qui manebant, Eccleſiae cujuſpiam ſervitiis, Pauperumque curae addicti erant. In libro Pontificali BENEDICTUS II. A. DCLXXXIV. vita functus *dimiſiſſe* dicitur *omni Clero, monaſteriis, diaconiis*, MANSIONARIIS *auri libras XXX*. Simile quid GREGORIUS item II. feciſſe in eodem libro perhibetur. Apud *Venetos*, alioſque *Manſionaria* idem fere eſt, quod alibi *Capellania*.

MANSIONARIUS dictus eſt cuſtos, & conſervator aedium Eccleſiaſticarum, templorum, & altarium; nomenque a Manſione, ſeu Manſionaria habuit. Multi ex his erant in Eccleſia Romana, quorum major *primus Manſionarius* vocabatur. Unius horum, & ejuſdem muneris meminit in libris *dialogorum* S. GREGORIUS. Cl. GEORGIUS primum Manſionarium eumdem habuit, qui *Veſtararius*, ſeu *Veſtiarius* dicebatur. Sed etſi ſub ſaeculi XI. finem, initiumve XII. ſuppreſſo jam *Veſtararii* munere primo Manſionario ſacri Veſtiarii cura demandata fuit; (quod aperte indicat Ordo III. *Rom.* apud MABILLONIUM, ubi *primus Manſionarius* dicitur *cuſtos dominicalis veſtiarii*) antiquiore tamen aevo, uti eruditiſſimus P. D. GALLETTUS Abbas oſtendit in egregio opere *de Veſtarario* S. R. E. *p. 6. ſeq.*, aliud omnino a Veſtararii munere officium fuit primi Manſionarii, ad quem cura Aedis ſpectabat, illiuſque munditiesː tum etiam vaſorum, ac ſacrae ſupellectilis in dies ſingulos ſubminiſtratio. Idem GALLETTUS in alio commentario *de Primicerio &c. p.* 103. ſcite animadvertit, in ipſa *Vaticana* Baſilica non unum Manſionariorum genus fuiſſe; alii enim *Manſionarii erant Confeſſionis Baſilicae*, ut JOHANNES, quem cum PETRO Notario ad PIPPINUM miſit S. PAULLUS I. a. DCCLXVI., alii Manſionarii *Scholae Sanctae Dei Genitricis* MARIAE, *quae appellatur Mejana*, cujuſmodi fuit STEPHANUS in Sublacenſi ejus anni monumento indicatus apud eumdem GALLETTUM *p.* 197. Hodie in multis Eccleſiis exſtant, curamque pſalmodiae & altarium habent: in aliis iidem ſunt, qui Cappellani, aut Beneficiati.

MANTILE, Manipulus. *Quartum Sacerdotis indumentum eſt Mappula, ſive Mantile, quod vulgo Fanonem vocant*, RABAN. MAURUS *de Inſtit. Cler. cap.* 18.

MANUALIA, Chirothecae. Anonymus *in expoſit. Liturg. Gallic.* apud MARTEN. *T. V. Anecd. p. 99. Manualia vero, ideſt* MANICAS *induere Sacerdotibus mos eſt, inſtar armillarum, quas Regum, vel Sacerdotum brachia conſtringebantur. Ideo autem ex* QUOLIBET PRETIOSO VELLERE, *non metalli duritia exſtant, vel ut omnes communiter Sacerdotes, etiam minoris dignitatis in ſaeculo facilius inveniant.* Ex quibus elicitur, chirothecas tum communes fuiſſe non ſolum Epiſcopis, ſed interdum etiam Presbyteris.

MANU-

Digitized by Google

MANUUM IMPOSITIO. Vide IMPOSITIO MANUUM.

MANUUM LOTIO. Vide LOTIO MANUUM.

MANUTERGIUM, Manutergiolum. Sindon, ſeu linteus lineus ad manus abſtergendas poſt earum lotionem. *Diacono aqua cum manutergio apportatur, & a duobus Converſis, qui de manutergio ſerviunt, brachium utrumque oſculatur*. MARTENE l. 2. cap. 4. *Pendet quoque in promptu Manutergiolum, ad quod Sacerdos, poſtquam ſe induerit, lavatus, tergit ſummitates digitorum, quibus neceſſario tangit res ſacratas*.

MAPPA. Vide PALLA.

MAPPULA, MANTILE, FANO, SUDARIUM, erat linteà ſindon brachio ſiniſtro adligata ad ſudorem, & ſordes abſtergendas. Huic deinde ſucceſſit *Manipulus*. Vide MANIPULUS. Verum S. GREGORIUS M., etſi aliter GUSSANVILLAEO, & *Maurinis* illius editoribus viſum eſt, non hoc certe ſenſu Mappulam adcepit *Lib. III. ep. 56.*, ubi JOHANNEM *Ravennatem* Epiſcopum ſic adloquitur: *illud autem quod pro utendis a Clero veſtro* MAPPULIS *ſcripſiſtis, a noſtris eſt Clericis fortiter obviatum, dicentibus nulli hoc unquam alii cuilibet Eccleſiae conceſſum fuiſſe*. Nam, ut a Cl. GALLETTO ſcite animadverſum video *de Primic. pag. 30.*, quis unquam ſibi perſuadeat, Romanos Clericos obſtare potuiſſe, ne Ravennates ad tergendum ſudorem mappula uterentur? Equidem quum apud JOHANNEM diaconum legamus Clericos *Romae planetatos*, MAPPULATOSQUE *in proceſſionibus* inceſſiſſe, facile adducor, ut credam, Mappulas cum a Romanis, tum a Ravennatibus Clericis adhibitas inſtar fanonis, quem Romanus Pontifex, JACOBO CAJETANO teſte, *in capite cum mitra deſuper geſtabat*, S. GREGORII temporibus impoſitas humeris, hincque capiti etiam fuiſſe, ne ſudor colli, frontiſque planetas foedaret. Non ergo aut de ſindone brachio ſiniſtro inſtar ſudarioli adligata, aut (quod idem GALLETTIUS ſuſpicatus *eſt*) de peculiari quodam, eoque honorifico veſtis genere tunc agebatur; ſed de fanone *ſuper caput* ex Romani Pontificis conſuetudine, privilegioque Cleri Romani in publicis ſupplicationibus aliiſque ſolemnioribus functionibus deferendo.

S. MARIA de MERCEDE. Hoc nomen B. Virgini inditum, quod ea PETRUM NOLASCUM, RAYMUNDUM *de Pennafort*, & JACOBUM *Aragoniae* Regem monente, inſtitutus Religioſorum hominum ordo fuerit, cujus liberandorum e Turcarum ſervitute Chriſtianorum partes praecipuae eſſent. Officium ad agendas quotannis Virgini pro ſingulari hoc in Chriſtianos beneficio gratias primum ordini ipſi ad id inſtituto conceſſum fuit; deinde in *Hiſpanias*, atque etiam in *Gallias* propagatum, tandem ab INNOCENTIO XII. univerſae Eccleſiae praeſcriptum, die 23. Septembris huic Feſtivitati conſtituto.

S. MARIA DE MONTE CARMELO. Ejus Feſtivitas die 16. Julii ab univerſa Eccleſia, non ſine gravi judicio ex BENEDICTI XIII. decreto, quum primum probante a. 1587. SIXTO V. eam Ordo *Carmelitarum* egiſſet, deinde aliis *Romanis* Pontificibus adnuentibus, plures Provinciae, ac Regna illam coopta ſſent.

S. MARIAE NATIVITAS. V. NATIVITAS S. MARIAE.

S. MARIAE NOMEN. Sacri hujus nominis Feſtivitas ab *Hiſpanicis* in alias permeavit Regiones, ac die XXII. Septembris juxta eorum opinionem, qui putant, apud *Judaeos* nonniſi quindecim ab ortu elapſis diebus infanti nomen imponi conſueviſſe, celebrabatur. Nunc vero ex INNOC. XI. decreto, quod a. 1683. prodiit, ab univerſa Eccleſia Dominica infra octavam Nativitatis ejuſdem Deiparae agitur.

S. MARIAE *in Sabbatho* Officium. Sabbathum jamdiu B. Virginis MARIAE honori factum eſt proter peculiarem Commemorationem, quae de illa hoc die fiebat, ut refert MICROLOGUS c. 48. *Sabbatho per totum annum venerationi* B. MARIAE *ſolet obſecundare*. Concilium *Avenionenſe* ineunte ſaeculo decimo quarto coactum, jubet *Can. I.*, ut ſingulis Sabbathis, niſi Feſtum novem Lectiones habens in eam diem incidat, B. Virginis Miſſa cum Collectis pro Eccleſia, & pace celebretur: *Statuimus, quod Miſſa de B.* MARIA *additis Collectis Eccleſiae, Deus a quo ..... in die Sabbathi, ſi Feſtum novem Lectionum non impediat*... decemque dierum Indulgentiam iis, qui huic Miſſae aderunt, elargitur. Officium itaque B. Virginis in Sabbatho non eſt votivum, uti ſunt opinati quidam, ſed praeceptivum, quod improprie a voto Eccleſiae originem habet, ſi votivum eſſe contendas. Et quidem non exſtat iſtud officium in Breviario Mſ. Verum inde repetenda eſt ratio, quod ante S. PIUM V. teneretur Clerus ad recitationem quotidianam officii parvi B. MARIAE una cum Officio Domini, juſſu URBANI II. in Concilio *Claromontano*, ut ex GAUFRIDO colligit MABILLONIUS in praef. *ad Saec. V. Benedict.*, & Decanus RADULPHUS teſtatur in lib. *de Canon. obſerv. prop.* 20., quod etiam poſtea ann. 1365. ſub URBANO V. Patres Concilii *Andegavenſis cap.* 15. ſanxerunt. Hanc vero obligationem abrogavit idem S. PIUS V. in Conſtitutione Breviario praefixa; juſſit tamen, hoc Officium cum Lectionibus Ss. Patrum ſingulis menſibus propriis componi, & edi. Demum CLEMENS VIII. illud recognovit, mutata tantum Lectione pro Menſe Aprili, quae e S. EPIPHANIO erat deſumpta, nunc vero e S. HIERONYMO. Recitatur autem iſtud Officium in omnibus Sabbathis non impeditis Officio quoad ritum digniori. Adfirmat GAVANTUS, ALCUINUM CAROLI MAGNI Praeceptorem, rogatu BONIFACII Archiepiſcopi *Moguntini* Miſſam S. MARIAE *in Sabbatho* una cum aliis de Trinitate, de Angelis, de Spiritu Sancto, & de Cruce edidiſſe. At vir doctus heic lapſus eſt; quis enim credat ALCUINUM, qui, quum S. BONIFACIUS ad ſuperos fuit evocatus, ſexdecim, vel ſeptendecim annos tantum natus erat, eas Miſſas compoſuiſſe, diebuſque ſuis adſignaſſe? Non negamus tamen eas ſaeculum undecimum anteceſſiſſe, quum illarum meminerit MICROLOGUS.

MARMOR. Uſurpatur hoc nomen a Synodo *Bojacenſi* ann. 1300. ad deſignandum, quo pax in Miſſa datur, inſtrumentum.

MARTYRA foemin. gen. Miſſale *Gothic. in Miſſa in Natale* AGNETIS.

MARTYRARIUS apud GREGORIUM *Turon. lib.* 2. *de Mirac. cap.* 46. & Concilium *Aurelianenſe II. can.* 13. Cuſtos Martyrum eſt, cujuſmodi ABRAMIUS ille *Presbyter Martyrii*, quem indicant Acta *CPolitani* Concilii ſub FLAVIANO contra EUTYCHEN, & Cl. CORSINIO interprete RA-

IMBER-

Digitized by Google

IMBERTUS LEVITA ET MART. cujus inſcriptionem BROCCHIUS edidit, etſi *Martyrem* LAMIUS heic deſignari maluit; qua de re vide ſis a me dicta in *hiſt. litter. Ital. T. I. p.* 141. *ſeqq. Martyrarii* munus erat ſacrorum pignorum cultui, atque ornatui ſtudere, tum etiam *ſacris cineribus pſallendi frequentia* famulari, ut ajunt *Epaonenſis* Concilii Patres *can.* 25. Liber Pontificalis in S. LEONE hoſce *Martyrarios* CUBICULARIOS appellat, a cubiculo, inquit in eum locum VIGNOLIUS *T. I. p.* 153., quod idem ac ſepulcrum, & capella, ſive oratorium, ubi Sancti alicujus Viri corpus, ſeu Reliquiae conditae requieſcunt.

MARTYRIUM, Aedes in honorem Martyris erecta. Hac voce *Graeci* cum primis utuntur, EUSEB. *lib.* 3. *de Vita* CONST. *cap.* 48., & acta Conc. *Chalcedon. in Martyrio Sanctiſſimae, & pulcrae victricis Martyris* EUPHEMIAE *celebrati*. Neque tamen ab ea *Latini* Scriptores abhorrent, ut THEODULPHUS *Aurelian. l.* 2. *carm.* 9. de S. QUINCTINO, & STRABO *de reb. Eccleſ. cap.* 6. Sufficiat illud ex HIERONYMI chronico reddere: *cujus induſtria in Hieroſolymis Martyrium exſtructum eſt*. Idem tamen *Chalcedonenſe* Concilium *can.* 6. diſcrimen aliquod inter Martyria, & Eccleſias indicare videtur; vetat enim, *ne quiſquam ordinetur, niſi in Eccleſia civitatis, aut pagi, aut in Martyrio, aut in Monaſterio*. Sed nimirum hoc voluit Synodus, ordinationes fieri non poſſe niſi aut in Martyrio, aut in principe Civitatis, aut pagi Eccleſia, ſive ea in Martyris cujuſpiam honorem dicata Deo eſſet (quae ſola *Martyrii* nomine deſignatur), ſive nullius Martyris titulo diſtingueretur. Nonnumquam tamen *Martyrium* unam, quam dicimus, *Confeſſionem*, non totum Templum ſignificat.

MARTYROLOGIUM *latine* reddi poſſet ſermo de teſtibus: μαρτυρ enim ſignificat teſtem, quia Martyres Chriſti Fidem ſanguine ſuo teſtati ſunt; quod & confeſſione ſua alii Sancti fecerunt, quorum in Martyrologio etiam habetur memoria: ſed a potiori parte ſumitur denominatio Martyrologii, a Martyribus nempe, qui pro Chriſti Nomine paſſi ſunt. Inter Martyrologia porro, & Calendaria non parvum intercedit diſcrimen: nimirum, ut PAGIUS ſenior adnotavit ad ann. Chr. LXIV. n. 6., *ſingulae Eccleſiae ſua habuere Calendaria, in quibus digeſta erant nomina Epiſcoporum, & Martyrum, dieſque notati, quibus memoria eorum anniverſario cultu celebraretur; Martyrologia vero non unius loci propria, ſed totius Eccleſiae fuere communia, quippe quae totius Orbis Martyres, Confeſſoreſque generaliter continerent; & in Calendariis quidem* (intellige antiquiora) *nomen Urbis numquam deſcribitur, cum in uſum dumtaxat unius Eccleſiae comparata ſint; at in Martyrologio nomina ſingularum Urbium, & Oppidorum adſcribuntur, propterea quod ad uſum totius Eccleſiae inſtitutum eſt*. Quod etiam a FLORENTINIO *Admonit.* V. *pag.* 23. perſpicue adfirmatur. De Martyrologiis plura vide apud MOLANUM, BARONIUM, & SOLLERIUM. Confer etiam *Biblioth. noſtram Ritualem T. I. p.* 163. Hic ad rem ritualem quod ſpectat, pauca addemus. Ac primo Illuſtriſſ. *D. Proſper* BOTTINIUS a. 1680., quum dubitatio exorta eſſet, an deſcriptio in Martyrologio Romano importet extenſionem cultus, Diſſertationem S. R. C. exhibuit, in qua multis contendit, eam deſcriptionem cultum, illiuſque extenſionem importare. Atque haec BOTTINII, qui Fidei,

ut ajunt, Promotor tunc erat; ſententia plurimis probata eſt. At contra LAMBERTINUS, poſtea BENEDICTUS XIV. in eximio opere *de Servorum Dei beatificatione, & canonizatione T. IV. lib. IV. P. II. cap. 19.* ſenſit, *deſcriptionem nominis alicujus in Martyrologio Romano ad hiſtoriam geſtorum pertinere*. Hanc vero doctiſſimi Cardinalis ſententiam ſingulari diſſertatione adverſus Bottinianam propugnavit Vir eruditiſſimus D. Emmanuel de AZEVEDO: atque ea proſtat inter hujus *Exercitationes ſelectas* Venetiis ann. 1783. excuſas *p. 647. ſeqq.* Equidem S. R. C. cum 30. Julii ann. 1616., tum 31. Auguſti ann. 1680. decretum edidit *de non apponendis in Martyrologio Romano niſi Sanctis canonizatis*. Nihilominus ex peculiari Summorum Pontificum indulgentia Beatorum aliquot nomina Martyrologio inſcripta novimus, ut vere idem AZEVEDIUS animadvertit *Exercit. p. II. Exercit. 38. n. 92.* quem vide. Triduo Hebdomadae Sanctae omittitur Lectio Martyrologii, quia Chriſti Paſſioni jam nimis ſumus intenti, ut de Paſſione aliorum Sanctorum cogitemus.

MARTYRUM ACTA. Martyrum acta in ipſorum Sanctorum Feſto legi permittit Concilium *Milevitanum can. 12. Legi paſſiones Martyrum in eorum anniverſario;* & Synodus *Trullana* falſas Martyrum hiſtorias in Eccleſia legi vetans, aperte innuit genuinas recitari ſolitas fuiſſe: *Quae a veritatis hoſtibus*, inquit can. 63., *falſo confictae ſunt Martyrum hiſtoriae: ut Dei Martyres ignominia adficerent, & qui eas audituri eſſent, ad infidelitatem deducerent, in Eccleſia non publicari jubemus, ſed eas igni tradi. Qui eas admittunt, anathematizamus.* Teſtis eſt S. AUGUSTINUS *ſerm. 2. de* S. STEPHANO, quam diligenter Acta illa perpenderentur, aitque, nihil de S. STEPHANO dubitandum, quia ejus martyrii hiſtoria in Sacris Codicibus traditur: *Quum aliorum Martyrum geſta vix inveniamus, quae in eorum ſolemnitatibus recitare poſſimus, hujus Paſſio in Canonico libro eſt.* Legebantur autem in ipſorum tantum Eccleſiis, aut Titulis, uti HADRIANUS Pontifex Maximus adnotavit, qui ea primus in Sancti PETRI Eccleſia recitari juſſit: *Paſſiones Sanctorum, vel geſta ipſorum*, refert Ordo *Romanus* BENEDICTI Canonici S. PETRI, *uſque ad* HADRIANI *tempora tantummodo ibi legebantur, ubi Eccleſia ipſius S. vel titulus erat. Ipſe vero a tempore ſuo recitari juſſit, & in Eccleſia* S. PETRI *legendas eſſe conſtituit.* In Eccleſiis *Gallicanis* acta Sanctorum loco Prophetiae legebantur. Hinc in Libris Liturgicis *Gallicanis* Miſſae Sanctorum plerumque prima lectione carent, quae non e Scriptura, ſed e Paſſionario petenda erat, & in Lectionario *Luxovienſi* acta Sanctorum PETRI, & PAULLI die Natali eorum loco Prophetiae legenda adſignantur. At *Gotho-Hiſpani* nihil niſi e Scriptura Sacra, ſaltem in Miſſa legebant; hinc acta Martyrum, & Sanctorum aut omnino in Officiis Divinis non legebant, aut ſolum ad horas matutinas legebant; nam hac in re diverſam apud eos extitiſſe Eccleſiarum diſciplinam LESLAEUS ſuſpicatur, quem vide in *Miſſ. Mozarab. p. 591.* Ne tamen praeclara eorum geſta populus ignoraret, mos erat *Gotho-Hiſpanis* illa hymnis, & orationibus tam Miſſae, quam Officiis, & maxime Illationibus inferere, quae proinde prolixiora frequenter in Miſſis occurrunt. Hoc ex Breviario, & Miſſali *Mozarabum*, & Orationali *Gothico* planum eſt. Mos idem apud *Gallos* olim

in uſu

Digitized by Google

in uſu erat; ut Miſſae quaedam Sacramentarii *Bobiani* & Miſſalis *Gallo-Gothici* probant, & HILDUINUS Abbas in Epiſtola ad LUDOVICUM PIUM, libris *Areopagiticis* ſuis praemiſſa, prodit: ibi enim ait, ſe inveniſſe quoſdam Miſſales libros nimia vetuſtate conſumptos *continentes Miſſae ordinem more Gallico, qui ab initio receptae fidei in hac Occidentali plaga eſt habitus, uſque quo tenorem, quo nunc utimur, Romanum ſuſcepit, in quibus voluminibus habentur duae Miſſae, quae ſic inter celebrandum, ad provocandam Divinam Clementiam, & corda populi ad devotionis ſtudia excitanda, tormenta Martyris* DIONYSII, *Sociorumque ejus ſuccincte commemorant, ſicut & reliquae Miſſae aliorum Apoſtolorum, vel Martyrum, quorum paſſiones habentur, notiſſime decantant*. Conſcendebant autem Epiſcopi cathedram ad ea ſub Miſſae medium explicanda; unde nata eſt origo Homiliarum, ſive Sermonum, quos Patres in Martyrum laudem pronunciabant. At *Romani* has Martyrum Lectiones in Miſſale invehi numquam permiſere. Vide Acta Sanctorum.

MASSA CANDIDA. Extat inter Sermones S. AUGUSTINI Sermo *de Maſſa Candida*, de Martyribus ſcilicet, quorum corpora combuſta fuerant, cinereſque nive candidiores remanſerant: quo ſigno ab aliis cineribus diſcreti collecti ſunt.

MATRICULARII, catalogo Eccleſiae adſcripti. Significat etiam hoc nomen ſocium majoris Sacriſtae. Sic in *Ordine Cluniacenſi p. I. cap. 68.*, ubi de Sabbatho Sancto: *Pertica a Matriculario cum candelis praeparatur*.

MATRIMONIUM, unum e ſeptem Eccleſiae Sacramentis. Vide Nuptiae, Nuptiarum Benedictio. Veteres Matrimonii caeremonias ſic deſcribit S. NICOLAUS I. in Reſponſis ad conſulta *Bulgarorum* cap. 2. *In nuptialibus contuberniis ..... morem, quem Sancta Romana ſuſcepit antiquitus, & hactenus tenet Eccleſia, vobis monſtrare ſtudebimus. Noſtrates ſiquidem tam mares, quam feminae non ligaturam auream, vel argenteam, aut ex quolibet metallo compoſitam, quando nuptialia foedera contrahunt, in capitibus deferunt; ſed poſt ſponſalia, quae futurarum nuptiarum ſunt promiſſa foedera, quaeque conſenſu eorum, qui haec contrahunt, & eorum, in quorum poteſtate ſunt, celebrantur; & poſtquam arrhis ſponſam ſibi ſponſus, per digitum fidei a ſe annulo inſignitum deſponderit, dotemque utrique placitam, ſponſus ei cum ſcripto pactum hoc continente, coram invitatis ab utraque parte tradiderit, aut mox, aut apto tempore .... ambo ad nuptialia foedera perducuntur. Et primum quidem in Eccleſia Domini cum oblationibus, quas offerre debent* DEO *per Sacerdotis manum, ſtatuuntur; ſicque demum benedictionem, & velamen coeleſte ſuſcipiunt, ad exemplum videlicet quo Dominus primos homines in Paradiſo collocans, benedixit eis, dicens: Creſcite, & multiplicamini....... Verumtamen velamen illud non ſuſcipit, qui ad ſecundas nuptias migrat. Poſt haec autem de Eccleſia egreſſi, coronas in capitibus geſtant, quae ſemper in Eccleſia ſunt ſolitae reſervari. Et ita feſtis nuptialibus celebratis, ad ducendam individuam vitam, Domino diſponente, de caetero diriguntur*.

MATRONAEUM, cujuſmodi feciſſe SYMMACHUM, & GREGORIUM IV. ANASTASIUS refert, locus erat in Eccleſiis ad ſeptemtrionalem plagam, in quo mulieres a viris ſejunctae conſiſtebant, dictus proinde *Pars mulie-*

Digitized by Google

mulierum ab eodem ANASTASIO in SERGIO *T. I. p.* 310.

MATUTA, *aurora*, AMALARIUS *Antiphon. cap.* 4.

MATUTINARIUS CANONICUS. Officium Matutinum, ideſt ad praeſcriptum Canonis, & Regulae Eccleſiaſticae. *Dicite antiphonam de pſalmis in ordine, poſtea reſponſum, deinde antiphonam: iterum legat alius frater, & ſic impletis tribus Miſſis, dicit Matutinarios Canonicos...... Deinde in ordine totus Matutinarius in Antiphonas dividetur.* CAESARIUS in Reg.

MATUTINUS eſt adjectivum, ſubſtantivum, ſubaudi Officium a MATUTA Dea, alias AURORA dicta. Matutinum autem Officium proprie ſunt Laudes; quod praecedit, Nocturnum Officium dicitur, quia de nocte cantabatur per tres diſtinctos Nocturnos cantus, Laudes autem ſub tempus Matutinum; & obſerva, quod omnes hymni Matutinales, Nocturnales potius, per omnes ferias faciant mentionem noctis: hymni autem laudum aurorae, vel lucis orientis, Quapropter cum S. BENEDICTUS Dominicis diebus, nocturnis vigiliis ſine ullo intervallo jungit Matutinum, non ita intelligendus eſt, quaſi Laudes adcelerari voluerit, & conſuetam illarum horam mutare, ſed potius Nocturnos ad auroram uſque produxiſſe dicendus. Nam Matutini, quos Laudes appellamus, ſemper ad Auroram, ſive ut loquitur S. BENEDICTUS, *incipiente luce* dicendi ſunt. Attamen circa horam, qua in Choro Nocturnum Officium, & Matutinum antiquitus peragebatur, eadem ubique non viguit diſciplina. Nam S. JOHANNES CHRYSOSTOMUS *Homil.* 57. *ad Populum Antiochenum* de officio agens, quod ſua aetate circa mediam noctem recitabatur, hanc temporis circumſtantiam indicare volens, ait, *initium illi dandum ad galli cantum.* In Regula vero Abbatis ISAIAE *cap.* 57., & in Regula S. BASILII *cap.* 37. tempus illud, quo Nocturnum Officium peragi debebat, noctis medium appellatur: demum in Regula S. BENEDICTI *cap.* 8. duabus poſt mediam noctem horis ſurgendum eſſe praeſcribitur: *Octava hora noctis ſurgendum eſt, ut modice amplius de media nocte pauſetur.* Octava autem hora apud *Gallos*, *Hiſpanos*, & *Germanos* ſecunda eſt poſt mediam noctem. Nunc quia Officium utrumque conſequenter paſſim mane cantatur, totum Matutinum Officium dicitur. Vide LAUDES, NOCTURNUS.

De MATUTINIS Tenebrarum, de quibus diſſeruerunt BENEDICTUS XIV. *lib. I. de Feſt. cap.* 5., & CATALANUS in *Caerem. S. R. E. T. II. pag.* 157. *ſeqq.*, ut pauca addam, olim ex Ordine *Rom.* I. *media nocte* canebantur. Verum multa ante ſaecula mos introductus, exemplo etiam *Rom.* Eccleſiae praeeunte, ut ea matutina officia poſt prandium cantentur. Vide *Ordinem Roman.* JACOBI CAJETANI *cap.* 82., & PETRUM AMELIUM *cap.* 62. In Lamentationibus JEREMIAE, quae in primis nocturnis preſſis, & flebilibus modis concinuntur, etiam litterae *Aleph.*, *Beth.* &c. concinuntur; eas enim Eccleſia retinuit, ut quoniam in verſione *Threnorum* primae ſtropharum Hebraicarum litterae acroſtichide compoſitae ſervari non poterant, ſaltem ſua cuique ſtrophae initialis littera Hebraica praemitteretur. Lumina porro, quorum varius in variis Eccleſiis numerus fuit, cujuſque Pſalmi fine extinguuntur, *quia verus ſol noſter*, inquit AMALARIUS lib. IV. *de Eccleſ. Offic. cap.* 22., *occubuit, & ſic quaſi per ſingulas horas defectus ſo-*

lis augetur uſque ad plenam extinctionem. Nunc tamen non omnes omnino candelae extinguuntur, quod etiam RUPERTI Abb. aevo factum diſcimus ex ejus *Lib. V. de div. Offic. cap.* 26., ſed ultima non extincta abſconditur; ſive quod ea B. Virgo ſignificetur, quae una Chriſti ſepulti triduo claram, explicitamque de ejus reſurrectione fidem habuerit, quin tamen Apoſtoli (quod quibuſdam veteribus Theologis viſum fuit) a fide deſciverint; ſive quod Chriſtus ipſe denotatur, qui, ut ait BELETHUS in divinor. Offic. explic. *cap.* CI., *licet videretur ſecundum Corpus extinctus, ſecundum divinitatem tamen vivebat, quae illis erat occulta. Hic enim paullo poſt reſurgens cum luce clariſſima ſe ſuis diſcipulis manifeſtavit*. Vide etiam DURANDUM *Rational. lib. VI. cap.* 63. Tandem in fine Laudum fragor fit, ut magna illa naturae perturbatio ſignificetur, quae Chriſti Domini mortem conſequuta eſt.

MEDIANA DOMINICA. Vide DOMINICA MEDIANA.

MEDIANA Porta, quae inter Eccleſiae portas media erat, ac princeps: Unde & *Regia* dicta. Vide REGIA.

MEDIANUM *Nocturnum*, Nocturnum ſecundum.

MELODIA, tonus; item vocis modus. *Vetus diſcipl. Monaſt. p.* 320. & 321.

MELODIAE FRANCIGENAE. Poſt Epiſtolam ritu *Ambroſiano* canitur ℣. cui praemittitur, & poſtponitur *Alleluja*, cum particularibus caeremoniis, multiſque notis muſicalibus poſt ultimas ſyllabas. PURICELLUS loc. cit. *p.* 1153. *Ab annis ſexdecim infra audivi primo dicere Canonicos Melodias Francigenas ante Evangelium in Natale, & Epiphania, & Paſcha Reſurrectionis*. Subdit porro laudatus Auctor: *Quarum quidem Melodiarum multas etiam hodie videmus libris intermixtas choralibus*.

MELODIARE, certa vocis modulatione decantare. *Vetus diſcipl. Monaſt. p.* 82.

MELODIMA, Melodia, Concentus. *Pſalmorum nihilominus concentum dulciſſimo ultra omnes diſtinguens decoravit Melodimate*. In vita S. GUILIELMI Abbatis.

MEMORIAE, Eccleſiae praeſertim in honorem Sanctorum Deo dicatae. Hinc *memorias Martyrum* ſaepe invenies apud AUGUSTINUM *l.* 22. *de Civit. Dei cap.* 10., & *lib.* 10. *contr.* FAUSTUM *cap.* 21., LUCIFERUM *Calaritanum lib.* 2. *pro* S. ATHANASIO, GREGORIUM *Turonenſ. lib. I. mirac. cap.* 22. & ANASTASIUM *in lib. Pontific.*

MENAEA, immenſum apud *Graecos* eſt opus in XII. menſes, totidem βιβλια, ſive volumina diviſum, quovis menſe ſuum ſibi μηναιον vindicante; quare *menſualia* vocat *Athanaſius* SCHIADA in Catalogo librorum *Graecorum*, qui Mſſ. in Bibliotheca Synodali *Moſcuenſi* adſervantur. Vide *Bibliothecam Ritualem T. I. pag.* 88.

MENIANUM, Romae vulgo *Mignano*. Paſſim id nomen occurrit in diariis Romanis Mſſ. ubi de publica Summi Pontificis benedictione agitur; tabulatum autem ſignificat, quod ex muro prominet, ut inde ſpectari aliquid poſſit.

MENOLOGIUM, diverſum plane a Menaeis opus. Nempe in eo in-

ſtar

ſtar Martyrologii *Latinorum*, Acta vel paſſiones Sanctorum quolibet cujuſvis menſis die ſummatim exponuntur; brevis ſaltem eorum commemoratio habetur. Variant apud *Graecos* ſua Menologia, pro loco, & tempore aucta, & imminuta, neque eadem prorſus, nec diverſa tamen. Plura vide in *Biblioth. Ritual. T. I. p. 89.*

MENSA: Pars Altaris ſuperior, ſupra quam celebratur Miſſa: ſumitur etiam pro Euchariſtia, & pro Miſſa, aut pro loco, in quo Euchariſtia ad viaticum adſervatur, immo & in antiquis ſepulcralibus Epitaphiis pro tabula titulo inſcripta.

MESSALETUM, & MISSALETUM *votivum*, Liber Miſſarum votivarum. Adi *Bibliothecam Ritualem T. I. p. 75.*

METALLA, vox pro marmore, & lapidibus ſaepius ab ANASTAS. uſurpata.

Ad METALLA DAMNATI. Differentiam ponit juriſconſultus *l. aut damnum ff. de poen.* inter damnatos ad metalla, & ad opus metalli. Gravioribus enim premebantur vinculis, qui ad metalla damnati erant. De aerumnis Chriſtianorum, qui ea poena damnati eſſent, habes egregiam epiſtolam 77. CYPRIANI ad NEMESIANUM, & collegas Epiſcopos. Vide *Martyrol. ad 16. Februar.*

METANOEA, *Venia*: poenitentia, ſaepius genuflexio, & inclinatio: *Surrexerunt omnes cum gaudio, & lacrymis, & miſerunt Metanoeam, & oratio facta eſt; Nicaena* II. Synodus, interprete ANASTASIO; nempe genua flexerunt Poenitentis in modum. *Cum frater noſter obierit, unuſquiſque pro eo ſeptem diſciplinas, ſeptingentas Metanoeas facit.* S. PETRUS DAMIANI. Et conſuetud. S. BENIGNI. *Poſt exuens tunicam facit ante Altare Metanoeam, ideſt inclinationem, ſeu, ſi malis, genuflexionem.*

METRETAE. *Metretas* ex argento puriſſimo a CONSTANTINO M. S. SILVESTRO donatas legimus apud Auctorem libri Pontificalis in ejuſdem S. SILVESTRI Vita *c. XI. XVII. XXIV.* Vaſa erant ad Miſſae apparatum ſpectantia. Quod DIOSCORIDUS *metretam* vocavit, PLINIUS *cadum* tranſtulit. Alii metretam amphoram dicunt.

METROPOLIS, Provinciae alicujus princeps urbs. Porro Eccleſiaſticas metropoles ne in Oriente quidem Civilibus ſemper reſpondiſſe oſtendit Cl. P. BIANCHI T. IV. ſui adverſus GIANNONEM operis. Vide etiam THOMASSINUM *lib. I. cap. 10.*

METROPOLITA: apud omnes ſive *Graecos*, ſive *Latinos* vocis illius eadem & notio ſemper fuit, & poteſtas: is enim & alias fuit, & nunc eſt Metropolita, qui Epiſcopis ſuperior, inferior Primatibus; nec civitatem tantum unicam, ut Epiſcopus; nec dioeceſim tamen, ut Primas, ſed Provinciam regit integram. Erat Metropolitani Epiſcopos ad Synodum vel bis, vel ſemel ſingulis annis, ut tum mos erat, evocare, illorum electionibus praeſidere, eos conſecrare, contentiones, lites, diſſidia, ſi quae inter illos naſcerentur, ſopire; eos, ſi quis quid peccaret, corripere; eorumque judicia, ſi provocatum eſſet, aut reſcindere, aut confirmare; aliaque id genus obire munera, quae nemo neſcit.

MINISTERI, qui altari inſervit.

MINISTERIALES. Haec de HILARO Papa Liber Pontificalis: *Hic con-*

conſtituit in Urbe Miniſteriales, qui circumirent ſtatutas ſtationes. Videntur GALLICCIOLIO *p.* 293. hi fuiſſe Clerici deputati, ut Miſſae, quae in ſtationibus celebrabatur, inſervirent.

MINISTERIUM. *Miniſterii* vox apud *Latinos* veteres vaſa, & inſtrumenta potoria, & eſcaria ſignificabat. PAULLUS Jureconſultus *Senten. lib. II. tit. VI. de legatis* §. 86.: *Vaſis argenteis legatis, ea omnia continentur, quae capacitati alicujus parata ſunt: & ideo tam potoria, quam eſcaria, item* MINISTERIA OMNIA *debebuntur, veluti urceoli, lances, patinae, piperatoria, cochlearia quoque, itemque trullae, calices, ſcyphi, & his ſimilia.* Hinc rerum ſacrarum ſcriptores, & canones in uſum, moremque ſacrum hoc vocabulum tranſtulerunt: *& ſupellectili ſacrae* ad Euchariſtiam conficiendam, menſaeque divinae cultui deſtinatae, *ſacri vel ſancti miniſterii* nomen indiderunt. Concilium *Arvernenſe* A. D. 535. *can.* 8. praecipit, *ne ad nuptiarum ornatum* MINISTERIA DIVINA *praeſtentur, ne dum improborum tactu, pompaque ſaecularis luxuriae polluuntur, ad officia ſacri myſterii videantur indigna.* Concilium *Aurelianenſe III.* A. D. 538. haec ſanxit: *Abbatibus, Presbyteris, caeteriſque Miniſtris, de rebus Eccleſiaſticis, vel* SACRO MINISTERIO .... *alienare, vel obligare, abſque permiſſu, & ſubſcriptione Epiſcopi ſui nil liceat.* ANASTASIUS in SIXTO: *conſtituit, ut Miniſteria ſacrata non tangerentur, niſi a Miniſtris ſacratis.* Et STRABO de Eccl. cap. 24. URBANUS *Papa omnia miniſteria ſacra fecit argentea.* In veteri concordia Monachorum *Tutelenſium cum Aureliacenſibus nomine presbyteralis miniſterii* intelliguntur bona, & res Eccleſiae: *Presbyterale miniſterium Eccleſiae Sancti* AMANCII *de Favejo, & tres manſos in eadem curte.* Miniſterium in *libro uſuum Ciſtercienſ. c.* 83. accipitur pro corporali; in eo enim conficitur, & ex eo miniſtratur Sacramentum: *Diaconus dicto Benedicamus Domino, vel Ite Miſſa eſt, inclinet: deinde iens ad Altare transferat inde Calicem, & Patenam ſuper miniſterium, ſumens ibi lingua ſua, ſi quid de Corpore Domini remanſerit ſuper Patenam.*

MISSA neque hebraicum nomen eſt, quod REUCHLINO, BARONIO, aliiſque placuit; neque *Graecum*, uti GENEBRARDO viſum fuit; multoque minus *Septemtrionale*, quemadmodum ALBASPINAEUS conjecerat, ſed *Latinum*, idemque eſt, quod *Miſſio*, ſicut *remiſſam* pro *remiſſione* TERTULLIANUS, CYPRIANUS, OPTATUS *Milevitanus*, aliique antiqui dixerunt. Id vero nominis ſacrificio datum eſt a duplici populi miſſione, quae in veteri Eccleſia fuit; altera poſt Evangelium, & Sermonem, dum Catechumeni, infideles, poenitentes, ceterique, quibus Sacramentorum participationi intereſſe non licebat, a Diacono dimittebantur; & haec *Miſſa*, ſeu *Miſſio Catechumenorum* dicebatur; altera initiatorum, dum re divina peracta a Diacono, & ipſi dimittebantur, dicente: *Ite Miſſa eſt*, haecque *Miſſa fidelium* vocabatur. Aliam hujus nominis originem, eamque latino-hebraicam excogitavit Vir Cl. GALLICCIOLLIUS, quem vide *Iſagog. cap.* 2.

Aliquando tamen hoc nomine ſignificatas invenimus 1. *Collectas*, ſeu *orationes*, ut in Concil. *Milevit. II. cap.* 12. 2. *Lectiones*, ut in Regula S. AURELIANI *Arelat.* item S. CAESARII *cap.* 21. 3. Horas canonicas, ſeu Officium, ut in Conc. *Aurelian. III. cap.* 29. & *Agathenſi cap.* 30. 4. Dies fe-

Digitized by Google

es feſtos: hinc paſſim apud veteres *Miſſæ* S. MARTINI, S. ANDREAE, S.
REMIGII &c. pro feſto die horum Sanctorum.

Antiqui libentius hoc nomen plurali numero uſurparunt, vel quia duplex, ut diximus, Miſſa erat Catechumenorum, & Fidelium, vel quia Miſſae nomine omnia divina officia, atque univerſam Sacramentorum adminiſtrationem deſignabant. Hinc *Miſſas tenere* (*Conc. Agath. cap.* 21., *&* 47. *Bracharenſe* 1. *cap.* 16.) non ſolum *Sacrum celebrare*, ſed etiam *Miſſis intereſſe*, ſeu (ut eſt in Concil. *Pariſ. VI. lib.* 3. *cap.* 6.) *Miſſam audire* ſignificat.

A *Graecis* Miſſa dicitur *Liturgia*, *Myſtagogia*, *Synaxis*, *Telete*, *Anaphora*, *Proſphora*, *Oeconomia*.

Vide Agenda, Collecta, Communio, Dominicum, Oblatio.

Miſſa una, atque eadem a pluribus Sacerdotibus ſaepius olim dicebatur. Vide Concelebratio. Contra Miſſae plures ab eodem Sacerdote eodem die celebrabantur. Veteris hujus moris exempla proferunt BONA *lib. I. cap.* 18., & BENEDICTUS XIV. *de Sacroſ. Miſſ. Sacrific. lib. III. cap.* 4. n. 12. Adde his quae PURICELLUS in *Monum. Baſil. Ambroſ.* refert *pag.*
1151. *ſeqq.*: „ Creſcentibus quotidie diſcordiis, & litibus Canonicos inter
„ & Monachos Baſilicae S. AMBROSII *Mediolani*, INNOCENTIUS III. ad
„ illas ſedandas, componendaſque Judices delegavit ALBERTUM *Vercellen-*
„ *ſem* Epiſcopum, & PETRUM Monaſterii *Locedienſis* Abbatem, ex ordine
„ *Ciſtercienſi*, qui ex utraque parte auditis, examinatiſque teſtibus, ut ex
„ Proceſſibus intra annum 1200. 1201. confectis rem totam componerent.
„ Inter reliquos teſtes fuit numero ſecundus MAINFREDUS *Oculiblanci* Ca-
„ nonicus Baſilicae, qui ſic teſtatus fuit. *Vidi centies, & amplius, quod*
„ *Canonici* S. AMBROSII *faciunt Miſſam, & Miſſas*........*Similiter eos vidi*
„ *Dominicis diebus facere Miſſas duas, & tres interdum*. Nec multo poſt in-
„ terrogatus, a quibus fiebant illae Miſſae, ſic reſpondit. *Ego vidi ex ipſis*
„ *Miſſis celebrari a Domino* LANTERIO, *Praepoſito hujus Eccleſiae* ...... *Et*
„ *Presbytero* ALBERTO BURRO: ſubdit porro PURICELLUS: vide autem
„ quemadmodum tam ipſe, quam alii ſubinde protinus fuerint ſuper hujuſ-
„ modi Miſſas interrogati, ſiquidem interrogati fuerunt, ſi unus Sacerdos
„ celebrabat omnes Miſſas, an plures? Quas quidem Miſſas, addit PURI-
„ CELLUS, uno eodemque die binas, vel etiam ternas nuper dixerant ce-
„ lebratas. Quod ſi uni Sacerdoti plures uno die Miſſas celebrare non
„ liceat, ut quid iſta interrogatio? Idem profecto MAINFREDUS huic
„ etiam ſic reſpondit: *immo plures*, ſcilicet praedicti: *& bene vidi una die*
„ *Presbyterum* BURRUM *facere duas Miſſas*. „ Verum id jamdudum exolevit vetantibus *Romanis* Pontificibus ALEXANDRO II. *Can. ſufficit de conſecr. diſt.* 1., HONORIO III. in cap. *te referente* de celebr. Miſſar., & INNOC. III. cap. *Conſuluiſti* de celebr. Miſſar., quibus Concilia quoque acceſſere, ut *Lambethenſe* ann. 1216. apud SPELMANNUM *T. II. Conc. Angli.*: „ Bis in die nullus Miſſam celebrare praeſumat, niſi in diebus Nativi-
„ tatis, & Reſurrectionis Dominicae. „

MISSARUM VARIA GENERA. MERATUS triplex Miſſarum genus diſtinguit. Primum repetit ex parte Auctorum, aut Nationum praeſertim Occi-

Occidentalium; à quibus eaedem Liturgiae fuerunt inſtitutae, ſeu frequentatae: hujuſmodi autem ſunt Miſſa, ſeu Liturgia *Romana*, *Ambroſiana*, *Gallicana*, *Mozarabum*, ſeu *Mozarabica*, *Africana*, *Hibernica*, *Clementina*, ſeu S. CLEMENTIS, *Dionyſiana*, ſeu S. DIONYSII Areopagitae, *Patriarchina*, ſeu *Aquilejenſis*, *Illyrica*, ſeu *Sclavonica*, *Trevirenſis*, ſeu S. SIMEONIS *Syracuſani*, *Illyriciana*, & *Bobienſis*. Alterum earum eſt, quarum diſtinctio ducitur ex variis Ritibus, & circumſtantiis accidentalibus, quibus eaedem Miſſae peractae ſunt. Huic autem Miſſarum claſſi accenſeri poſſunt Miſſa *Solemnis* - *Dominica* - *Aurea* - *Cantata* - *Alta* - *Publica* - *Poplica* - *Communis* - *Conventualis* - *Secunda in Clero* - *Capitularis* - *Parochialis* - *Decenſita* - *Privata* - *Baſſa* - *Secreta* - *Familiaris* - *Pecularis* - *Specialis* - *Singularis* - *Media* - *Solitaria* - *Occulta*. Tertium genus Miſſarum eſt, quarum diſtinctio deſumitur vel ex tempore, vel ex loco, vel ſacris functionibus, vel ex aliis circumſtantiis, in quibus tales Miſſae celebrantur. Ad hoc Miſſarum genus reducuntur Miſſae, quae appellantur *de tempore* - *Quadrageſimalis* - *Paſchalis* - *de Jejuniis* - *Lunatica* - *Dominicalis* - *Ferialis* - *Annualis* - *de Expectato* - *de Sanctis* - *Perfecta* - *Imperfecta* - *Catechumenorum* - *Sacramentorum* - *Fidelium* - *Praeſanctificatorum* - *Sicca* - *Nautica*, *ſeu Navalis* - *Biſaciata* - *Triſaciata &c.* - *de Luce* - *de Aguinaldo* - *Matutinalis* - *Cardinalis* - *Minor* - *Peregrinorum* - *Veſpertina* - *Nocturna* - *de Galli Cantu* - *Diei* - *Nova* - *Novella* - *Scrutinii* - *de Traditione Symboli* - *Chriſmalis* - *ad probibendum ab Idolis* - *pro Decimis* - *pro Requie Sanctorum* - *Revocata*. De his, alphabeti ordine, quem hocce Onomaſticon poſtulat, ſervato, nunc agemus ejuſdem MERATI eruditiſſimam hac de re diſſertationem plerumque contrahentes, aliqua etiam, ubi opus fuerit, adjicientes.

MISSA ADVENTITIA, eadem, quae *votiva*, in Epitome Conſtitutionum Eccleſiae *Valentinae Tom. IV.* Conciliorum *Hiſpaniae p.* 171. Nunc autem Miſſa Adventitia eadem eſt ac Miſſa, quae dicitur *Manualis*, nimirum quae celebratur juxta mentem illorum, qui offerunt eleemoſynas pro Miſſa celebranda.

AFRICANA, quae apud *Africanas* Eccleſias in uſu fuit. Eam a *Romana* non diſcrepaſſe adverſus BONAM contendit *Emmanuel a* SCHELESTRATE in ſua Eccleſ. *Afric. diſſ. II. cap. 6.* MERATUS contra, & SALA BONAE ſententiam tuentur. Difficile tamen erit omnimodum *Africanae* Liturgiae cum *Romana* conſenſum defendere, quum exploratum ſit, in *Africana* exſtitiſſe benedictiones Epiſcopales (vide OPTATUM *Milevit. Lib. VI.* & epiſt. Concil. *Carthag.* ad INNOC. I.), preces diaconicas (confer TERTULLIAN. *de anima cap. IX. Apolog. cap. XXXIX.*, & ad SCAPULAM *cap.* 2. uti & S. CYPRIAN. *ep. XV.*, *& LV.*) alioſque ritus a *Romanis* diverſos, quorum unus erat (adi FULGENT. ad MONIM. *lib. I. cap.* 2., *& lib.* 11. *c.* 6. 8. 9. 10.) ſolemnis formula poſtulandi Spiritum Sanctum, *ad conſecrandum ſacrificium Corporis*, *& Sanguinis Domini*.

DE AGUINALDO; de qua Miſſa Concilium *Mexicanum* ann. 1585. Sic autem dicta haec Miſſa videtur, quod ſummo mane, quaſi diei primitiae Deo offerretur.

ALTA, eadem, quae Miſſa *ſolemnis* cum cantu: de hae fit mentio in

Digitized by Google

Charta anni 1377. apud RYMER. *Tom. 7. pag. 139.: Uſque ſummum Altare ad Altam Miſſam celebrandam acceſſeram.*

S. AMATORIS. Vide infra Revelata.

AMBROSIANA. Vide ſupra Ambrosianus Ritus.

ANIMARUM, nempe pro Defunctis cantata, de qua in Vita B. MEHTILDIS Reginae *n. 9. 10.*, & apud DURAND. *lib. 5. Ration. cap. 5. num.* 18.

ANNUALIS, quae ſingulis per annum diebus dicitur. In ſtatutis *Ciſtercienſibus* T. IV. *anecd.* MARTEN. *col.* 1265. legitur: *Nulli Abbatum liceat amodo alicui perſonae quotidianam Miſſam concedere, vel* ANNUALEM.

AUREA, Miſſa, quae de B. Virgine alicubi maximis ſumptibus cantabatur. BUSCHIUS T. II. *Scriptor. Brunſuic. p.* 484. Hildensheim...... *Aurea Miſſa ab omnibus Canonicis totius Civitatis, & a cunctis Praelatis, & Religioſis cujuſcumque ordinis, etiam Mendicantibus per tres, aut quatuor horas decantari ſolet de* B. MARIA *Virgine in Organis. Unde cunctis praeſentibus dantur notabiles praeſentiae Praelatis, ſicut mihi pullus charitatis, pretioſis conditus, pullus aſſatus, dimidia ſtopa vini, cuneus, ſive* albus panis, *tam magnus, quam omnibus nobis ad menſam ſuffeceret, & quatuor ſolidi dantur. Singulis vero Fratribus dantur duo ſolidi Lubicenſes pro praeſentia.* In Chronico quoque Sancti GODEH, *Hildenſh. ibid. p.* 408. legitur: *item Miſſam ſingulis Annis inſtituit de Beata ſemper Virgine* MARIA, *quam ob ſuam magnificentiam* AUREAM *vocamus.* Neſcio quid BURIO in mentem venerit, ut Miſſam *Auream* fuiſſe putaret, quam *Hiſpanis* in adceptis referimus de expectatione partus, ſicque dictam vellet *propter ſummam utilitatem, quam genus humanum ex Myſterio Incarnationis adcepit.*

BASSA, privata ſine cantu, quam Caeremoniale Epiſcopor. *lib. 1. cap. 12. n. 9. planam* appellat. In Charta FERRICI *de Cluniaco* apud MIRAEUM *Tom. II. p.* 1345. legitur: *Alii vero quinque Beneficiati non hebdomadarii celebrabunt per turnum ſingulis hebdomadis viginti baſſas Miſſas.*

BIFACIATA, TRIFACIATA &c. *Ante pauca ſaecula*, inquit CASSANDER in praefat. ad *Ord. Rom.*, *in Galliis multum uſitatae fuerunt Miſſae, vulgo dictae Bifaciatae, Trifaciatae, Quadrifaciatae, videlicet cum plures Miſſae diverſi argumenti uſque ad Offertorium ſaepius iteratae, tandem uno Canone concludebantur.* Et ita in quadam compoſitione inter Priorem *de Ghiſortio*, & ROMANUM Presbyterum S. GERVASII *de Ghiſortio*, anno 1181. facta, praedictus Prior de conſenſu Abbatis majoris Monaſterii, adprobante MAURITIO *Pariſienſi* Epiſcopo contentionis Arbitro, & Judice confirmante ROTRODO *Rothomagenſi* Archiepiſcopo, licentiam celebrandi duas Miſſas ſub uno Canone conceſſit Sacerdoti. Ejuſmodi Miſſas barbaro vocabulo *bifaciatas, trifaciatas &c.* PETRUS CANTOR, qui illas a verbo abbreviato acriter perſtrinxit, appellavit, quia veluti duplicem, vel triplicem faciem habebant. Vide BONAM *lib. 1. cap. 15. §. 7.*, & BOCQUILLOT *lib. 11. cap. 7.*

BOBIENSIS, quae in Millenario Codice Monaſterii *Bobienſis* a MABILLONIO inventa fuit, editaque *T. I. Muſaei Italici:* Audi de hoc Miſſali quid LESLAEUS *Praef. in Miſſ. Mozarab.* commentetur *p. LXXVII.* Ex

eo Miſ-

Digitized by Google

eo Miſſalium genere eſt quae *mixta*, aut *plenaria* dicuntur; habet enim praeter orationes Miſſales, Lectiones Scripturarum, ſingulis Miſſis proprias, frequenter binas, non raro ternas. Lectiones iſtae nonnumquam cum iis conveniunt, quas iiſdem diebus adſignat Lectionarium *Luxovienſe*, nonnumquam etiam cum iis, quas Miſſale XIMENII adſignat: Sed plerumque tam ab his, quam ab illis diſſentiunt. Orationes Miſſales hujus Sacramentarii non raro deſumuntur e Miſſali *Gothico* ſive *Gallo-Gothico*, nonnumquam etiam e Miſſali *Mozarabico*, aut potius e vetuſto Sacramentario, quo ii uſi ſunt, qui *Mozarabicum* compoſuerunt. Miſſae Sacramentarii *Bobienſis* ad ritum *Gallicanum* ſtricte non pertinent. Nam ordinem quemdam e *Gallicano*, & *Romano* commixtum, atque confuſum tenent. Lectiones tres, & Orationes omnes, uſque ad finem *conteſtationis*, hymnum *Gloria in excelſis*, Canticum *Benedicite*, & alia quaedam ex ordine *Gallicano* deſumunt. At, abſoluta conteſtatione, nulla illi eſt oratio poſt *Sanctus*, ſed pro ea *conteſtationi* continuo ſubjungitur integer Canon Romanus, quo expleto recitatur oratio Dominica, & facta communione, Oratio *poſt Communionem*, quam alia excipit *conſummatio Miſſae* inſcripta. Hic ordo *Romenſis* denominabatur, quemadmodum ex titulo Miſſae primae conjicere licet; ea enim pro *ordinario Miſſae* ponitur, & *Miſſa Romenſis cotidiana* inſcribitur. Ritum hunc *Romenſem* ſequitur longe maxima pars Miſſarum Sacramentarii *Bobienſis*, quae in *conteſtationem* deſinunt, quibus Canon *Romanus*, & alia ad finem uſque Miſſae recitanda adduntur e *Miſſa Romenſi quotidiana* petenda. Sed praeter has, ſunt in Sacramentario *Bobienſi* ſeptemdecim Miſſae, quae ritum *Gregorianum* ſectantur, quibus tres ſunt Orationes ante Canonem: prima nomine proprio caret. Secunda inſcribitur *ſecreta*, tertia *conteſtatio*, quam Canon *Romanus*, aliaeque orationes ad finem Miſſae de more conſequuntur.

CANTATA, prout a ſolemni diſtinguitur, ea eſt, quam cum Sacerdote ſine Miniſtris Sacris celebrante Cantores muſico concentu alternant. Dicitur etiam Miſſa cantata *Miſſa cum nota*. Ita PIUS II. in erectione Collegiatae Eccleſiae *Manliani* in *Sabinis* anno 1460. *Necnon ut diebus ſingulis ſaltem tres Miſſas, & earum una cum nota celebrare teneantur*. Ceterum etiam de Miſſis privatis ſine cantu frequens eſt haec formula *cantare*, ideſt *celebrare Miſſam*, praeſertim in S. WILLELMI *Conſt. Hirſaug. lib.* 1. *cap.* 86., ubi habetur: *Sacerdos ſi privatam Miſſam cantare voluerit, innuit Converſo cum ſigno Crucis, quod eſt ſignum cantandae Miſſae*. Vide CANTARE.

CAPITULARIS, quae celebratur diebus feſtivis ſolemniter cum Miniſtris paratis, & cum cantu in iis Eccleſiis, ubi eſt ſufficiens numerus Cappellanorum, ſeu Presbyterorum, & congrue fieri poteſt. Confer CORSETTUM *Tract.* 1. *p. IV. cap.* 25. *ſect.* 4. *n.* 17.

CARDINALIS, Miſſa Matutinalis celebrari ſolita in Ara, quae *Cardinalis* appellabatur, in Ara ſcilicet abſidis principe. In Miraculis S. BERTINI ſaec. III. Benedict. *p.* 1. *pag.* 132 legitur: *poſt Sanctum Paſchalis Reſurrectionis diem, tranſcurſis duodecim diebus, die Dominico, hora, qua Cardinalis Miſſae conventus publice agebatur*.

CATECHUMENORUM, quae introitu, & Evangelii lectione, ſeu ſer-

mone

mone concludebatur; nam poſt ſermonem Catechumeni dimittebantur, ut alibi diximus.

CHRISMALIS, quae dicebatur, quum Chriſma conficeretur. Exſtat ejus mentio *in lib.* Sacramentorum S. GREG. M. apud MENARDUM *p.* 77.

CLEMENTINA, ſeu S. CLEMENTIS, quae ſub S. CLEMENTIS I. Rom. Pont. nomine exſtat *lib. VIII. Conſtitutionum Apoſtolic.*

IN CLERO SECUNDA. Hanc DEUSDEDIT initio Saeculi VII. conſtituit. Ea autem ſecunda Miſſa non privata intelligenda eſt cum PETRO *Urbevetano*, quem Cl. BALDINIUS in notis ad ANASTASIUM *T. IV.* ſequutus eſt, ſed ſolemnis. Decretum ergo DEUSDEDIT ad Cathedrales Eccleſias dirigitur, eoque praecipitur, ut in certa, aut Feſtorum inter ſe, aut ipſorum cum Dominicis, aut quibuſdam Feriis concurrentia, obligentur ad duas ſolemnes Miſſas celebrandas, quod fortaſſe jam antea peragebatur, ſed ex ſola conſuetudine, non tamen ex praecepto. Vide BONAM *lib.* 1. *cap XIV. n.* 4., *Chriſtianum* LUPUM in ſcholiis ad Concil. Rom. ALEXANDRI II., & BERLENDIS in diſſ. *de oblationibus* §. 8. *n.* 4.

COMMUNIS, ideſt publica. De ea BRAULIO *Caeſaraugustanus* in epiſtola Vitae S. AEMILIANI praefixa, ubi haec habet: *De eadem quoque ſolemnitate, ut Miſſa recitaretur communis, injunxi dilecto filio meo* EUGENIO *Diacono &c.* Vide De Sanctis.

CONVENTUALIS illa eſt, inquit MERATUS, quam Rectores Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum quotidie celebrare facere tenentur ſolemniter cum cantu poſt Tertiam, juxta temporis conformitatem, & Divini Officii recitationem. De hac Miſſa ſermo habetur in Concilio *Toletano* habito anno 1565. inter *Hiſpan. Tom.* 4. *pag.* 76. ubi leguntur haec verba: *Quoniam Miſſa Conventualis, ad quam omnes olim convenire ſolebant, magna celebritate peragenda eſt .....ſtatuit Synodus, ne in diebus Dominicis, & Feſtis colendis a tempore decantatae Epiſtolae uſque ad ipſam communionem, Miſſae privatae in Eccleſiis celebrentur. Thomas Franciſcus* ROTARIUS *in ſua Theologia Regularium Tom.* 3. *lib.* 1. *cap.* 2. *punct.* 4. *num.* 4. adnotat, quod Miſſa Conventualis in variis Ordinibus Regularium diverſum nomen ſortitur: alii eam vocant Miſſam *Canonicam*, alii Miſſam *Tertiae*, alii *Majorem*, alii *Publicam*, & alii *Communem*.

DECENSITA. In Charta anni 760. apud BALUZ. *in append. ad Capitul. colum.* 1392.: *Duas portiones tam de terrae vineis .... vobis viſus fui condonaſſe, ut omni tempore Miſſae ibidem Decenſitae eſſe debeant.* Quid veniat nomine Miſſae *Decenſitae*, valde obſcurum eſt. *Benedictini* in CANGII gloſſario opinantur illud verbum ſignificare Miſſas, quae decenti cultu celebrari debent: quod revera non ſatis probare poſſum. Fortaſſe *Decenſitas* Miſſas vocabant, quaſi *de cenſu*, quibus ſcilicet annuus cenſus praeſtitutus fuerat.

(Miſſa pro) DECIMIS SOLVENDIS erat illa, in qua Epiſcopus praedicare debebat, ut Plebs Decimas redderet. De hac Miſſa habetur Sermo 277. in nova Appendice Sermonum S. AUGUSTINI CAESARIO adſcriptus, & habitus eſt paullo ante Nativitatem S. JOHANNIS BAPTISTAE. Quibus ex rebus darentur Decimae, patet ex *num.* 1.: *Decimae tributa ſunt egen-*

tium

Digitized by Google

tium animarum : redde ergo tributa pauperibus ; offer libamina Sacerdotibus : quod ſi Decimas non habes fructuum terrenorum , quod habet Agricola ; quodcumque te paſcit , ingenium Dei eſt : & inde Decimas expetis unde vivis . De militia , de negocio , de artificio redde Decimas . Huc ſpectant epiſtolae Epiſcoporum Provinciae *Turonicae* ad Plebem ſcriptae in Concilio *Turonenſi II.* & *Can.* 5. ſecundae Synodi *Matiſconenſis :* videri etiam poteſt liber CYPRIANI *de Lapſis* , editionis *Oxonienſis* ſub finem libri . Hujus Miſſae fit mentio in antiquiſſimo Lectionario *Gallicano* , edito a MABILLONIO *lib. II. de Lit. Gallic.*

DEFUNCTORUM. TERTULLIANUS *de coron. c.* 3. inter ea , quae a tradirione non ſcripta profecta erant , recenſet *oblationes pro Defunctis :* Miſſas Defunctorum S. CYPRIANUS *ep. 66. ad Fornitanos* appellat *ſacrificium pro dormitione* . Illud autem ſacrificium pro anima *Magni* CONSTANTINI oblatum fuiſſe die depoſitionis ejuſdem , aperte ſcribit EUSEBIUS *de vit. l.* 4. *cap.* 71. Primus omnium , qui commemorationes defunctorum , ad altare fieri ſolitas , aliaque pia opera , quae pro iis a fidelibus frequentantur , tamqnam inutilia damnare auſus eſt , AERIUS dicitur ab EPIPH. *Haer.* 75. , quamvis eamdem pravam doctrinam referat S. CYRILLUS *Hieroſolymitanus Cat. miſt.* 5. eamque ſerio confutet , quum de memoria mortuorum , quae in Miſſa fit , agit . Praeter orationem pro defunctis , quae in omnibus tam *Orientalis* , quam *Occidentalis* Eccleſiae Liturgiis toties funditur , quoties Liturgia ſacra peragitur ; in libris Liturgicis *Graecorum* , & *Orientalium* , in Miſſalibus , & Sacramentariis vetuſtiſſimis *Romanae* aliarumque *latine* loquentium Eccleſiarum , exſtant Miſſae peculiares defunctorum : hujuſmodi Miſſae in Miſſali *Mozarabum* , in Sacramentario *Bobiano* , in Lectionario *Luxovienſi* , in Sacramentariis S. LEONIS , GELASII , & GREGORII inveniuntur . Illud tamen diſcriminis inter Miſſas mortuales *Latinorum* , & *Orientalium* obſervatur , quod Miſſa Defunctorum in Miſſalibus *Latinis* , praeter ritus quoſdam proprios , Lectiones Scripturarum , Orationes , Antiphonas , Inlationes , Praefationeſque (nam & peculiares defunctorum Praefationes in Libris Liturgicis antiquis *Romanae* Eccleſiae reperiuntur) propria habent : at *Graecorum* , & *Orientalium* Miſſae mortuales praeter lectiones Scripturarum , quas proprias habent , a communi Liturgia non ſecernuntur . Sic *Graeci* v. g. pro mortuis eamdem Liturgiam S. CHRYSOSTOMI peragunt , quam diebus Dominicis , & feſtis recitant , niſi quod lectiones ſint propriae mortuorum , & quod in prima oblatione , quae in *Protheſi* fit , particula pro defuncto , de quo agunt , poſt particulas Sanctorum (μερίδους appellant) abſcindatur , & offeratur . *Leo* ALLATIUS *de recentior. Graec. templis pag.* 154. Jam vero antiquitus in *Occidente* Miſſa pro defuncto celebrabatur die depoſitionis , tum die exinde tertia , ſeptima , & triceſima , & anniverſario . Sacramentarium *Gelaſianum lib.* 3. *n.* 105. *Item Miſſa in depoſitione defuncti , tertii , ſeptimi ,* XXX. dierum , vel annualis . THEODORUS *Cantuarienſis capit. ſelect. cap.* 37. & 60. de Miſſa die depoſitionis tertia , nona , & triceſima die pro mortuis agenda meminit . De Miſſa , quae recurrente anno offerri ſolebat pro defunctis , TERTULLIANUS *de Monogam. cap.* 10. loquitur : *enimvero pro anima ejus* (mariti) *orat* (uxor ſuperſtes) , *& refrigerium interim adpoſtulat ei , & offert annuis diebus dormitionis*

tionis ejus. Rurſum *lib. exhort. ad caſtit.* dixit: *pro qua annuas oblationes reddas*. At *Orientales* praeter diem depoſitionis, & anniverſarium, tertium, nonum, & quadrageſimum celebrant, quibus diebus Auctor *Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 8. cap. 42.* pro defunctis Liturgiam celebrandam docet. Non deerant tamen, qui quotidie pro defunctis Miſſas celebrari curabant; horum e numero erat mulier illa, de qua GREGORIUS *Turonenſis lib. 1. de glor. Confeſſ. cap. 65.*: *quae per annum integrum celebrans quotidie Miſſarum ſolemnia, offerebat oblationem pro memoria viri ſui*. Haec ex LESLAEO deſumpſimus.

DIEI erat illa, quae dicebatur poſt Miſſam Matutinalem, orto jam die, de qua mentionem facit JOHANNES Epiſcopus *Abricenſis de Officiis Eccleſiaſt. pag. 36.*

DIONYSIANA, Miſſa, quae in vulgari DIONYSII, ut dicitur, *Areopagitae* libro de *Eccleſ. Hier. cap. 3.* legitur:

DOMINICA ſignificat Miſſam majorem ſolemnem; in ſtatutis enim M. SS. Eccleſiae *Lugdunenſis* haec habentur: *Nullus Clericus de Terra debet intrare Chorum per ſe ſolum ad Miſſam Dominicam in feſtivis diebus, ex quo Angelicus Hymnus inceptus eſt*. Et in ejuſdem Eccleſiae pariter ſtatutis anni 1251., in quibus deſcribitur numerus Miniſtrorum, qui inſervire debent Celebranti ad Miſſam ſolemnem, haec leguntur: *Singulis diebus Dominicis feſtivis Sacerdoti Canonico Miſſam Dominicam celebranti debent adſiſtere duo minores Sacerdotes Vicarii duorum Canonicorum Sacerdotum, unus a dextra parte altaris, & alius a ſiniſtris &c.*; ex quibus patet Miſſam ſolemnem, ſeu majorem appellari Miſſam *Dominicam*.

DOMINICALIS eſt illa, quae Dominicis diebus cani ſolet: de qua fit mentio a JOHANNE *Abricenſi* Epiſcopo *lib. de Eccleſiaſt. Offic. pag. 23.* In Miſſali tamen *Gothico a pag. 292.* Miſſa *Dominicalis* dicitur illa, quae cantabatur in Dominicis de Adventu.

De EXPECTATO. Habetur haec Miſſa in Miſſali *Ambroſiano*, illaque eſt, quae celebratur ſolemniter in die, vigiliam Nativitatis Domini praecedente: cui Miſſae in Miſſali *Gothico*, ſeu *Gallicano* reſpondet praeparatio ad Veſperam Natalis Domini, ut notat MABILLON. *lib. 2. de Liturgia Gallicana cap. 4.*; ſic enim eo loco cum MABILLONIO legendum, non *Praefatio*.

FAMILIARIS, ſeu ut in lib. Sacram. S. GREG. M. inſcribitur apud MENARDUM *pag. 256. pro Familiaribus*, eadem MERATO eſt, quae privata; ſed, ut equidem reor, addendum erat, privata in privatis aedibus, oratoriis domeſticis &c. Hinc in Concilio *Lambethenſi* anno 1282. *cap. 2. Sacerdotes inſuper caveant univerſi, ne Miſſarum peculiarium, ſeu familiarium ſe celebrationi obligent, quominus valeant canonice commiſſam ſibi Eccleſiam officiare ut tenentur*. Nec aliter intelligo, quae EADMERIUS *lib. 1. vitae* S. ANSELMI Archiep. *Cantuar. cap. 24.* habet: *Si aliquando a celebratione ipſius Sacramenti impediatur, eos, qui Miſſam Familiarem debebant, ſuam pro Anima Fratris Miſſam dicere faciebat*.

FERIALIS, quae hebdomadae feriis canitur. *Priſcis temporibus*, ait BELETHUS *cap. 51.*, & ex eo DURANDUS *lib. 4. Ration. cap. 1. num. 28. Haereſibus pullulantibus, & Trinitatem impugnantibus ex inſtitutione* ALCUINI *Magi-*

Digitized by Google

Magiſtri CAROLI MAGNI *rogatu* BONIFACII *Archiepiſcopi Meguntini ſtatuentis, Prima Feria de Trinitate dicebatur, Secunda Feria de Sapientia, Tertia Feria de Spiritu Sancto, Quarta de Caritate, Quinta de Angelis, Sexta de Cruce, Septima de B. Virgine*. Ceſſante tamen tali cauſſa, nunc Miſſae Feriales non celebrantur juxta praedictam regulam; ſed quando non dicitur Officium de aliquo Sancto, vel de aliqua Octava, ſed de Feria currente, tunc Miſſa Ferialis eſt, quae Feriali Officio reſpondet; unde ſi Feria non habet Miſſam propriam, ſicut habent omnes Feriae Quadrageſimae, Vigiliarum &c., tunc pro Miſſa de Feria reſumitur, & dicitur Miſſa de Dominica praecedenti; & haec dicitur *Miſſa Ferialis*. Alicubi vero, ut *Benedictini Du-Freſniani Gloſſarii* editores adnotarunt, Miſſae Feriales *ſolemnes*, & *publicae* vocantur: Feriae enim interdum dicti ſunt dies Feſti.

FIDELIUM, quae dimiſſis Catechumenis coram Fidelibus celebrabatur. Vide MISSA SACRAMENTORUM.

De GALLI CANTU, ſeu, ut hodie loquimur, *de Aurora*. GAUFRIDUS *Voſienſis* in *Chronico p.* 1. *cap.* 21. apud LABBAEUM *T. II. Biblioth. Mſſ.* ait: *Miſſam de Galli cantu Dominicae Nativitatis in Eccleſia puellarum Sanctae Mariae, quae dicitur in aurora*.

GALLICANA, quae in *Galliis* ante PIPINUM, & CAROLUM M. uſurpabatur. De primis ejus Auctoribus, ejuſque primaeva origine duas invenio opiniones. Alia eſt HILDUINI, *Sandionyſiani* Abbatis, qui Liturgiam *Gallicanam* fidei, in Galliis, praedicationi aequalem facit. Alia Anonymi SPELMANNI, qui eam poſt ſuſceptam Fidem Chriſtianam, in *Galliam* veniſſe docet. HILDUINUS ad LUDOVICUM *Pium* ſcribens de rebus geſtis S. DIONYSII *Pariſiorum* Epiſcopi, inter Auctores, qui Acta Sancti Martyris ſcriptis commendaverant, quum VESBIUM quendam laudaſſet: *huic*, inquit, *adſtipulari videntur antiquiſſimi, & nimia vetuſtate pene conſumpti Miſſales libri continentes Miſſae ordinem more Gallicano*, QUI AB INITIO RECEPTAE FIDEI IN HAC OCCIDENTALI PLAGA EST HABITUS, *uſque quo tenorem, quo nunc utimur*, ROMANUM *ſuſceperit*. Aliaque ſubdit, quibus antiquitas Miſſalium iſtorum confirmatur, & innuitur, S. DIONYSIUM formam hanc Liturgiae *Gallis* tradidiſſe, ut planum ſit, juxta mentem HILDUINI, Liturgiam *Gallicanam*, una cum Fide Chriſtiana, in *Gallia* natam, aut ſaltem illuc, a primis gentis Apoſtolis delatam fuiſſe, nec *Gallos* praeter hanc unam, formam celebrandi divinam ullam agnoviſſe, antequam PIPINUS, & CAROLUS MAGNUS Liturgiam *Gregorianam*, abrogata *Gallica*, Eccleſiis intulerunt. At Anonymus SPELMANNI tradidit, primam, & vetuſtiſſimam *Gallorum* Liturgiam, *Romanam* fuiſſe, Auctoremque habuiſſe S. PETRUM Apoſtolorum Principem. Hunc ordinem, inquit S. TROPHIMUS *Arelatenſis* Epiſcopus, & S. PHOTINUS Epiſcopus *Lugdunenſis*, & Martyr, Apoſtoli PETRI diſcipulus, Eccleſiis, quas in *Gallia* conſtituerant, primi tradidere. Sed, ut idem ſubdit, poſt mortem S. PHOTINI, S. IRENAEUS, qui *Romae* a Sancto CLEMENTE Papa (ELEUTHERIUM dicere debuit) fuerat ordinatus Epiſcopus *Lugdunenſis*, diverſum ordinem celebrandi Divina *Gallos* docuit, qui per omnes *Galliarum* Eccleſias propagatus, *Liturgiae Gallicanae* nomen obtinuit. Hujus Liturgiae primae-

rum auctorem Anonymus perhibet S. JOHANNEM Apoſtolum, & Evangeliſtam, qui hanc formam obeundi divina Eccleſiis *Aſiae* tradidit, additque, S. POLYCARPUM *Smyrnenſem* Epiſcopum, & Martyrem celebrem, eodem ordine Officia Divina perfeciſſe, eidemque adſneviſſe S. IRENAEUM, dum in *Aſia* diſcipulus POLYCARPI verſaretur. Quare ſi vetuſto huic Scriptori fides habeatur, *curſus*, ſive *ordo Gallicanus* in *Aſia* ortus eſt, a S. JOHANNE Apoſtolo inſtitutus. Sed quoniam PAULLUS Apoſtolus omnium primus Evangelium in *Aſia* praedicavit, & Eccleſias conſtituit, quibus utique Liturgiae ordinem dedit, haud incredibile eſt, ordinem *Aſianum* a S. JOHANNE inſtitutum, plurimum retinuiſſe primigeniae illius Liturgiae *Aſianae* a PAULLO traditae. Qualis autem fuerit ordo ille *Aſiaticus* S. JOHANNIS, Anonymus non docet, nec nobis in tanto temporum intervallo, & rituum ſacrorum viciſſitudine conjicere licet. Id unum videtur credibile, eum magnam affinitatem habuiſſe cum illa Liturgia, quae ſaeculo ſexto exeunte in *Gallia* vigebat. Nam Anonymus aperte ait, S. JOHANNEM Evangeliſtam *primum curſum Gallorum* decantaſſe, inde poſtea Beatum POLYCARPUM, diſcipulum Apoſtoli JOHANNIS, & demum S. IRENAEUM, tertium *ipſum curſum* in *Gallia* cantaſſe. Quum autem curſum *Aſiaticum*, *Gallicanum* nominet, veriſimile eſt, curſum *Gallorum* ſaeculi ſexti, & ſeptimi, quo tempore Anonymus ſcripſiſſe creditur, haud diſſimilem fuiſſe curſui *Aſiatico* S. JOHANNIS. An vero idem prorſus habendus ſit ordo ille *Aſiaticus*, atque *Gallicanus* ſaeculi ſexti, aut ſeptimi, ambiguum eſt. Nam Anonymus videtur indicare, curſum *Aſiaticum*, poſtquam in *Gallia* receptus eſt, opera doctorum virorum Lectiones, Modulationes, Antiphonas, Reſponſoria, Sonos, & *Allelujas* recepiſſe e Sacra Scriptura deſumptas, atque adeo nonnihil mutatum fuiſſe. Sed, quod dolendum eſt, in textu Anonymi, hoc loco lacunae inveniuntur, quae ſcriptionis ſeriem abrumpunt, & impediunt, ne dignoſcamus, an Liturgia *Gallicana* formam *Aſiaticam* puram, & putam retinuerit, an ab ea aliquantulum receſſerit. Haec LESLAEUS Praef. in *Miſſ. Mozarab. p. LXVIII. ſeqq.*, qui pag. LXXX. addit, praeſtantiſſimum Miſſale *Gallicani* ritus hactenus editum illud cenſendum eſſe, quod Em. THOMASIUS vulgavit. De tempore autem, quo illud compoſitum fuit, idem THOMASIUS opinatur, nec diſſentit MABILLONIUS, Auctorem ejus vixiſſe, prinſquam Galliarum Provinciae a *Romano* Imperio avulſae, in ditionem Barbarorum tranſiverunt, quia, inquiunt, inter ſolemnes Orationes, quae feria quarta majoris hebdomadae recitantur, una eſt pro *Romano* Imperio. At hoc argumentum mihi minime ſatisfacit. Nam plane apparet, hoc Miſſale ſcriptum eſſe poſt MAGNI GREGORII Pontificatum. Deinde orationes illae ſolemnes, quae feria quarta in hoc Miſſali habentur, in omnibus Sacramentariis *Gregorianis*, aut feria quarta, aut feria ſexta majoris hebdomadae recitandae exſtant, quo loco etiam exſtant in Miſſali S. PII V. Unde apparet, eas e libris Liturgiae *Romanae* in hoc Miſſale translatas fuiſſe, & quidem verbatim, nec ex iis tempus, quo liber hic compoſitus eſt, indicari poſſe. Ea vero oratio, quam in argumentum adducunt, in *Gregorianis* Codicibus *Rhemenſi*, & ROTALDI, & in *Gelaſiano* THOMASII habet: *Reſpice ad Romanorum, ſive Francorum benignus Imperium*; & in Codice

Otto-

Ottoboniano: *reſpice ad Chriſtianum benignus Imperium*; & Ordo *Romanus* vetuſtus, *& poſtea dicit pro Rege Francorum, ſive pro Imperatore*. Quare quum illud *Romanum Imperium* non aliud ſignificet, quam *Francorum* Imperium CAROLI M., & nepotum ejus, conjicere licet, hunc librum aetatem CAROLI CALVI non ſuperare. Illud vero Miſſale Em. THOMASIUS *Miſſale Gothicum* inſcripſit, non alia de cauſſa, quam quia recentiori manu hunc titulum Codici vetuſto inſcriptum invenerat. Neque MABILLONIUS hunc titulum in editione *Pariſienſi* mutandum putavit. Ambo tamen fatentur (quod antea Em. BONA monuerat) librum hunc ad Eccleſiam aliquam *Gallicanam* olim pertinuiſſe.

S. GREGORII. Abbati PRETIOSO S. GREG. M. *lib. IV. dialog. cap.* 55. pro Monacho JUSTO defuncto haec praeſcripſit. *Vade ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo Sacrificium: ſtude, ut nullus omnino praetermittatur dies, quo pro abſolutione illius Hoſtia ſalutaris non offeratur*. Porro abſoluto hoc triginta Miſſarum numero JUSTUS Monacho COPIOSO apparuit, ſeque Purgatorii cruciatibus eo tempore ereptum fuiſſe nunciavit. Hinc triginta pro defunctis Miſſarum, quae propterea a S. GREGORIO nuncupantur, uſus dimanavit, quem *Cluniacenſes* Monachi UDALRICO teſte *lib. III. cap.* 29. cumprimis cooptarunt, tum paſſim Fideles exceperunt. Quia tamen interjecto aliquo tempore neſcio quis triginta Miſſas prorſus ineptas, abſoniſque rebus inquinatas ſua auctoritate conſarcinavit, illis S. GREGORII nomine perperam indito, has impreſſas S. R. C. 8. Aprilis 1628. prohibuit, edito deinde 28. Octobris ejuſdem anni decreto, quo triginta Miſſas a S. GREGORIO, ut antea retulimus, inſtitutas, probataſque minime a ſe vetari edixit.

HIBERNICA illa eſt, quae antiquitus apud *Hibernos*, & *Britones* in uſu fuit. Ritus hujus Miſſae qualis fuerit, non plane compertum eſt; modum tamen ſacrificandi talium Populorum a *Romano* diverſum fuiſſe, colligi poteſt ex Divo BERNARDO *in lib. de Vita* MALACHIAE *cap.* 3. *&* 8., ubi MALACHIAS barbaras conſuetudines dictarum Gentium abrogaſſe, & *Romanos* Ritus introduxiſſe, necnon Canonicum Divinae Laudis Officium invexiſſe in illas Eccleſias memoratur.

S. JACOBI Epiſc. *Hieroſolymit.* Ejus Liturgiam non ſolum *Trullani* Patres *can.* 32., & PROCLUS CPolitanus *in lib. de traditionibus Miſſae* memorant, ſed omnes fere *Orientales* Eccleſiae; immo S. CYRILLUS *Hieroſolymit.* ubi ſuae Eccleſiae Liturgiam explicat, pleraque refert, quae in *Jacobaea* exhibentur. Aliqua ſubinde primigenio JACOBI textui inſerta fuiſſe, nemo inficietur; ſed id Liturgiis omnibus, ceteriſque libris Ritualibus commune eſt, ut procedente tempore nonnulla admittant recens inſerta. Vide BONAM, & HONORATUM a S. MARIA in ſuis animadverſionibus ad criticеs Regulas, praeſertim vero ASSEMANUM *in Cod. Liturg.*

MISSA DE JEJUNIIS vocatur illa, quae die Jejunii celebratur: de hac mentio habetur apud MARTENE *Tom.* 4. *Anecdotorum col.* 706., ubi ex ſtatutis Eccleſiae *Cadurt.* eam colligit; in ipſis enim leguntur haec verba: *Miſſae de Jejuniis in hora nona poterunt celebrari, aliae vero antea celebrentur*. Haec Miſſa Jejunii refertur etiam in Liturgia *Gallicana*, ſeu in Miſſali *Gothico*.

ILLYRICA eſt illa, qua utuntur *Roxolani*, ſeu *Moſcovitae*, qui quamvis ab Epiſcopo quodam *Graeco*, & Schiſmatico a cultu Idolorum ad Chriſti Fidem converſi fuerint, ab eodemque *Graecorum* Ritus adceperint; ſermone tamen *Illyrico* in ſuis Officiis utuntur. Eadem lingua, ut tradit Cardinalis BONA *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 4., in uſu eſt apud Chriſtianos *Tartaros* circa *Tauricam Cherſoneſum*, apud *Circaſſos*, & quaſdam *Ponticas* Nationes, itemque in *Servia*, *Miſia*, *Boſnia*, *Bulgaria*, *Ruſſia Minori*, Regi *Poloniae* ſubjecta; in *Volhinia*, *Podolia*, & parte quadam *Lithuaniae*, & in aliis finitimis Regionibus, in quibus *Graeci* Ritus pariter vigent. In *Iſtria* vero, in *Liburnia*; & in *Dalmatia Littorali*, Miſſa, & alia Officia lingua pariter *Illyrica*, ſeu *Sclavonica* celebrantur, ſed ſervatur ibidem Ritus *Romanus*.

ILLYRICIANA eſt illa, quam MATHIAS FLACCIUS *Illyricus*, *Centuriatorum* MAGDEBURGENSIUM Princeps, & rigidorum *Lutheranorum* errorum ſorde inquinatus, in antiquo codice Mſ. ſe reperiſſe tradit, eamque praelo commiſit *Argentinae* anno 1557. ſub hoc titulo: *Miſſa Latina, quae olim ante Romanam circa 700. Domini annum in uſu fuit, bona fide ex vetuſto, authenticoque codice deſcripta.* Sed titulus mentitur; eſt enim ipſamet Miſſa *Romana*; mutila tamen, & variis Orationibus interpolata. *Mutilam* dixi, quia in ea deſiderantur Introitus, Collectae, Epiſtola, Graduale, Evangelium, Offertorium &c. Praeterea ſeptimo ſaeculo multo recentior eſt. Licet enim HONORATUS a S. MARIA antiquiorem velit, & quarto, vel quincto ſaeculo ſcriptam, MENARDI tamen ſententia illam X., vel XI. ſaeculo editam ſtatuentis multo veroſimilior eſt. Varia hujus Miſſae ab ILLYRICO vulgatae fortuna fuit. Primo enim triumphos de ea egerunt *Lutherani*, quaſi per ipſam Catholica Dogmata convellerentur: unde PHILIPPUS II. *Hiſpaniarum* Rex, ut baccantium Haereticorum ſubſannationes reprimeret, ejus lectionem interdixit, & a Sacr. Congregat. pariter in odium praeſertim improbi Editoris, qui perverſo animo Eccleſiae Catholicae nocendi, eam evulgaverat, ejus lectio prohibita fuit. Verum *Lutherani* videntes, tandem Miſſam *Illyricianam* catholicis dogmatibus favere, ſuiſque erroribus adverſari, omnem impenderunt operam, ut illam ſupprimerent. Tunc Catholici proficientes ex hac Haereticorum palinodia, eamdem Liturgiam attentius perluſtrarunt, eamque ad confirmanda Euchariſtiae, Confeſſionis, & ſuffragiorum pro mortuis dogmata perutilem invenerunt; & idcirco Catholicae Eccleſiae rem facere arbitrati ſunt, ſi Miſſam *Illyricianam* a *Lutheranis* ſuppreſſam iterum typis committerent; ſicut fecerunt CAROLUS LE COINTE *in Tom.* 2. *ſuorum Annalium Eccleſiaſticorum Francorum ad annum* 601. *n.* 20. cum variis notis, & obſervationibus, necnon Card. BONA in calce ſui praeclariſſimi Operis *de Rebus Liturgicis*; & denique *Edmundus* MARTENE *in Lib.* 1. *de Antiquis Eccleſiae Ritibus cap.* 4. *art.* 12. Confer *Bibliothecam noſtram Ritualem T.* 1. *p.* 40.

JUDICII, illa ſcilicet, quae celebrari olim conſueverat cum aquae ferventis, ſeu ferventis, vel etiam ferri candentis examine, & judicio, quando veritas ab aliquo erat eruenda, qui ritus ſolemnis erat etiam ſaeculo XI. Sancta enim CUNEGUNDA, S. HENRICI II. Caeſaris Conjux, hoc improbo examine ferri candentis purgata fuit: ſed talis Miſſa poſtea fuit abrogata,

rogata, & proſcripta. Ritus hujus Miſſae in eum, qui ad purgationem damnatus erat, deſcribitur a DUNSTANO Archiepiſcopo *Dorobornenſis* Eccleſiae his verbis: *Cum homines vis mittere ad judicium aquae frigidae ob comprobationem, ita facere debes: adcipe illos homines, quos vis mittere in aquam, & duc eos in Eccleſiam, & coram omnibus illis cantet Presbyter Miſſam, & faciat eos ad ipſam Miſſam offerre.* Totus Ordo hujus Miſſae refertur ab *Aloyſio* NOVARINO *in lib. 5. Sacrorum Electorum cap. 4. pag. 255.*, necnon a MACRIO *in ſuo Hierolexico V. Miſſa judicii, pag. mihi 364.* Plures etiam ejuſdem judicii Miſſas ex variis Codicibus Mſſ. collegit, & evulgavit *Edmundus* MARTENE *Tom. 3. lib. 2. de antiquis Eccleſ. Rit.*

De LUCE. Vide ſupra DE GALLI CANTU.

LEGATA eſt illa, quam Teſtamento, vel alio Inſtrumento aliquis Fidelium inſtituit. Tam haec, quam SPONTANEA, de qua infra, nunc ſunt in uſu; & ut ait VICECOMES *lib. 1. cap. 7.*, habent veterum firmamenta; ſed prima non indiget probationibus; altera vero ſatis conſtat ex eo, quod S. AMBROSIUS pro Anima VALENTINIANI Imperatoris Sacrificium inſtituit. Sed amplius liquet hoc genus Miſſarum *Legatarum* ex more introducto dandi ſtipendium Sacerdoti propter Miſſae celebrationem.

LUNATICA eſt Miſſa, quae celebratur die Lunae: haec memoratur in Statutis Confratriae Clericorum apud *Pontiſaram*.

MATUTINA, ſeu *Matutinalis* vocabatur illa, quae celebrabatur ſolemniter, vel poſt Primam aeſtate, vel hyeme poſt Tertiam: ideo autem dicebatur *Matutinalis*, eo quod mane decantaretur, ut paſſim teſtantur Monaſteriorum *Benedictinorum* tum editae, tum manuſcriptae conſuetudines, ſtatuta LANFRANCI, & Concordia DUNSTANI, ad differentiam alterius Miſſae ſolemnis, quam *Conventualem* appellabant, & quae meridie celebrabatur. Hujus rei luculentum teſtimonium exhibet Charta S. ANGILBERTI pro Monaſterio *Centulenſi* in ejuſdem Monaſterii Chronico *lib. 2. cap. 11.* ab HARIULPHO relata, & habetur *Tom. 4. Spicil. Dacher. pag.* 470., ubi haec inter alia leguntur: *Illud etiam obſervari praecipua devotione mandamus, ut nulla dies praetereat abſque Sacrarum Miſſarum decantatione, videlicet ut ſi non plus, vel XXX. a Fratribus diverſorum Chororum per diverſa Altaria Miſſae quotidie agantur, exceptis illis duabus de Conventu, quae mane, & meridie ſolemniſſime celebrantur.* In *Bobienſi* Monaſterio ſaeculo X. haec Miſſa dicebatur *poſt Matutinos*, ut colligitur ex libro miraculorum S. COLUMBANI Abbatis *cap. 7.*, ſaeculo 2. *Benedictino pag.* 44. Ejuſdem Miſſae mentionem facit Venerabilis BEDA in Vita S. BENEDICTI BISCOPII *n. 17. lib. 2.*, & habetur in ſaeculo 2. *Benedictino*, ubi refert, CEOLFRIDUM Abbatem, qui anno 716. obiit – primo mane Miſſam in Eccleſia Beatae Dei Genitricis . . . . . , quinta Feria, communicantibus, qui aderant – cantaſſe. Haec Miſſa in quamplurimis Monaſteriis quotidie cantabatur, in aliis vero numquam; & idcirco nulla Miſſae *Matutinalis* mentio fit in Rituali, ſive Ordinario *Caſſinenſium*, tempore ODERISII Abbatis deſcripto. *Ciſtercienſes*, ut habetur in libro *uſuum Ciſtercienſium cap.* 60. Dominicis tantum, certiſque ſolemnitatibus duas in Conventu Miſſas celebrabant; & idem nonnullis diebus faciebant quoque *Burſfeldenſes*, ut habetur in eorum *Ordinario cap.* 47. *Cluniacenſes*

Digitized by Google

cenſes vero, & alii communiter Nigri Monachi quotidie: Conſuetudines S. GERMANI a PRATIS agentes de Fer. quincta in Coena Domini: *Dominus Abbas mittit quaeſitum centum pauperes.......Quando pauperes fuerint reperti, ipſi adducuntur ad navem Monaſterii......Hebdomadarius Miſſae Matutinalis ibit celebratum ad Altare S. Crucis*. Hanc autem Miſſam in Monaſterio *S. Vincentii* una cum Miniſtris cantabant pauperes Clerici; ideoque ab aliquibus dicebatur *Miſſa pauperum &c.* Dicebatur autem haec Miſſa vel pro Monaſterii Benefactoribus, vel pro neceſſitatibus, perſoniſque publicis: unde S. ANGILBERTUS in ſua pro *Centulenſibus* Monachis Charta *Tom. IV. Spicileg. Dacher. p.* 470. jubet, ut in duabus de Conventu Miſſis, quae mane, & meridie ſolemniſſime celebrantur: *quotidie memoria Sanctiſſimi Papae* HADRIANI, *& glorioſi Domini mei Auguſti* CAROLI, *conjugis, & prolis ejus teneatur*. Agunt de hac Miſſa VICECOMES *de ant. Miſſae ritib. lib. 3. cap.* 27., BONA *lib. 1. cap. 22.*, & MARTENE *de ant. Monach. ritib. lib. 2. cap. 5.*

MEDIA dicitur illa, quae participat de Miſſa privata, & ſolemni: nam cum ſolemni habet cantum; cum privata vero convenit in hoc, quod celebratur ſine Miniſtris ſacris, ſed cum uno tantum, vel duobus Acolythis: unde patet, hanc Miſſam non differre ab illa, quae ſimpliciter *cantata* dicitur, de qua ſuperius loquuti ſumus.

MINOR eadem quae *Matutinalis*. Ejus fit mentio in ſaeculo 2. *Benedictino pag.* 44. ubi ſermo habetur de Miraculis S. COLUMBANI, & ſequentia leguntur: *Finitis vero Matutinis, & ad minorem Miſſam venientibus, ipſe advenit; Diaconus vero in ambonem adſcendens Evangelium pronuntians &c.*

(PRO) MORTE *Inimicorum*. De hac in Canone *quicumque Sacerdotum*, *Diſtinct. 26. quaeſt. 1.* ſic habetur: *Plerique etiam Sacerdotum ſauciati inimicitiae dolo, Miſſam pro requie Defunctorum promulgatam fallaci voto pro vivis ſtudent celebrare hominibus, ut is, pro quo ipſum offerunt ſacrificium, mortis incurrat periculum*. Haec Miſſa antiquitus frequentabatur in *Hiſpania*: ſed jure merito tamquam ſuperſtitioſa, & vindicativa condemnata, & prohibita fuit ſub graviſſimis poenis anno 694. *in Concilio* TOLETANO *Can.* 5.

MOZARABUM, ſeu GOTHO-HISPANA eadem quae *Gallicana*, ut oſtendit LESLAEUS, qui Miſſale *Mixtum* ſecundum Regulam Beati ISIDORI a Card. XIMENIO *Toleti* editum ann. 1500., ac longe rariſſimum *Romae* ann. 1755. iterum vulgavit praefatione, notis, & appendice ornatum. Ejus uſus apud *Hiſpanos* ſub ALEXANDRO II. abrogari coepit; ſub GREGORIO vero VII. fere intercidit; in paucis poſtea Eccleſiis ab eodem Card. XIMENIO *Romanis* Pontificibus adnuentibus inſtauratus fuit. Vide *Biblioth. noſtram Ritualem T. I. p. XLVII.*, & 61.

NAUTICA, ſeu NAVALIS non ea dicitur, quae in mari conſecratione, & communione perficiatur (haec enim, licet a ſanctis viris interdum celebrata, ut a S. VULFRANO Archiep. *Senonenſi*, de quo BARONIUS *ad ann.* 700. *n.* 3., & a R. Pontificis Legato apud MATTHAEUM PARISIUM *ad ann.* 1247., amplius non licet ſine Apoſtolica facultate, qualem a CLEMENTE XI. Equites *Hieroſolymitani* impetrarunt, ea tamen lege ut tutum navigium ſit, longeque abſit a littore, tranquillum ſit mare, & celebranti

adſit

Digitized by Google

adſit alter vel ſacerdos, vel diaconus, qui, ſi quis coorireturmotus, unde Calix dejici poſſet, poſſit manu calicem ab ejuſmodi periculo eripere); ſed *ſicca*, ideſt, ſine conſecratione, & Communione. Ejus ritum ſic deſcribit DURANDUS *Ration. lib. IV. cap.* 1. *Sacerdos, ſi ex devotione, non ex ſuperſtitione velit totum officium Miſſae ſine ſacrificio dicere, adcipiat omnes veſtes Sacerdotales, & Miſſam ordine celebret uſque ad finem offerendae, dimittens ſecreta, quae ad ſacrificium pertinent. Praefationem vero dicere poteſt, licet in eadem videantur Angeli invocari ad Conſecrationem Corporis, & Sanguinis Domini. De Canone vero, nihil dicat: ſed orationem Dominicam non praetermittat; & quae ibi ſequuntur ſub ſilentio dicenda, non dicat: Calicem, vel Hoſtiam non habeat: nec de his, quae ſuper Calicem, ſeu Euchariſtiam dicuntur, vel fiunt, aliquid dicat, vel faciat. Poteſt etiam dicere Pax Domini &c., & exinde Miſſae officium ſuo ordine peragat: melius eſt tamen alia omittere.* Olim haec Miſſa in *Melitenſibus* triremibus, uti vulgo creditur, dicebatur, ejuſque meminit uti conſuetae *Sacerdotale* ALBERTI CASTELLANI. Verum PACIAUDIUS *Antiq. Chriſt. de cultu S. Joh. p.* 385. *ſeq.*, quum nulla apud Melitenſes veſtigia deprehenderit, Fratres Hieroſolymitanos pernegat hanc um, quam Miſſam uſurpaſſe. Neque ſolum haec Miſſa in mari dicebatur. Nam illam ſibi quotidie celebrandam curaſſe S. LUDOVICUM *Francorum* Regem, dum captivus teneretur, adſerit GUILIELMUS *Carnotenſis* in ejus Vita. *Totum officium Miſſae, abſque Sacramenti conſecratione, adſidue cum uno Presbytero Praedicatore, me adjuncto tunc temporis ſibi Clerico ſuo, jugiter exſolvebat devoto corde.* Epiſcopus quoque PRUDENTIUS coram infirmo, cui Eccleſiam adire non liceat, eam celebrari adſentitur in ſuo *Pontificali*, ante octingentos, & amplius annos conſcripto. Praeterea GUIDO DE MONTE ROCHERI ſaeculi XIV. Theologus *in Enchiridio Sacerdotum cap. VII.* conſuetudinem probat, quae in quibuſdam locis obtinuerat, Miſſae ſiccae celebrandae, ne Peregrini, qui jam peracta Miſſa ad Eccleſiam ſe conferunt, Miſſa omnino careant. Quid? quod etiamnum D. MOLEON teſte in ſuo *Itinere Liturgico per Gallias p.* 76., in *Claromontana* Dioeceſi, ſi quis meridie obierit, nec ad proximum diem ſervari incorruptum ejus cadaver poſſit, mos eſt, Miſſam ſiccam a prandio celebrare, ne ſine ulla Miſſa Chriſtiani hominis cadaver tumuletur. Hujuſmodi tamen Miſſam plures Theologi cum ESTIO *orat. XIII. Theol.*, & BONA *lib.* 1. *cap.* 15. *n.* 6. improbant; quibus etiam BENEDICTUS XIV. *de Sacroſ. Miſſae Sacrif. lib. III. cap.* 6. *n.* 8. ſubſcribit. Vide MARTENIUM *de ant. Eccleſ. ritib. lib. III. cap.* 3. *artic.* 1. *n.* 20. *ſeq.*

NOCTURNA, quae noctis tempore celebrabatur. Plures olim fuiſſe Miſſas Nocturnas, antiqua monumenta declarant; at ex his ea ſola permanſit, quae in nocte Nativitatis Domini ubique celebratur. Reliquae Miſſae Nocturnae prohibitae ſunt, & in deſuetudinem omnino abierunt, quarum praecipua erat Miſſa Sabbathi Sancti, pertinens ad diei ſequentis noctem, in qua Chriſtus reſurrexiſſe creditur.

NOVA, quae a novo Sacerdote prima celebratur. De hac ita ſtatuit Concil. *Valliſoletanum* a. 1322. *Miſſam* NOVAM *poſt conſecrationem infra ſex menſes ſolemniter celebrent, niſi legitime fuerint impediti.*

NOVEL-

NOVELLA eadem quae *Nova*. *Novellae* nomine utitur PETRUS DELPHINUS *ep.* 125. apud MARTENE *Tom.* 3. *ampliſſ. collect. p.* 1071. D. BENEDICTUS *Dominica proxima Miſſam Novellam celebraturus eſt, neque magno (ut moris eſt) apparatu*.

NUPTIALIS, quae celebratur in benedictione Nuptiarum. De ea hoc exſtat Concilii *Toletani* ann. 1323. decretum: *Qui alieno Parochiano, abſque alia teſtimoniali Sacerdotis proprii Miſſam celebraverit Nuptialem, trecentos moropetinos nobis ſolvere teneatur*.

OCCULTA, Sacrificium Schiſmaticorum, qui ſe ab Eccleſia ſegregant, & in ſuis Conventiculis Sacrificia offerre praeſumunt. Ita explicat ECKIUS Divum BASILIUM *in Pſal.* 115. prope finem, ubi ait: *Non in latebris deliteſcens ſacrificabo, ſed publicum exhibebo tibi Sacrificium*; nempe ad differentiam Sacrificii Schiſmaticorum, quod, ut dixi, appellabatur *occultum*. Confer BELLARM. *lib. VI. de Miſſa cap.* 10. *in fine*.

PAROCHIALIS, conventus Fidelium, in quo preces publicas, & Sacrificium offerunt Miniſterio Paſtoris, diſcuntque ab eo, quae vitare, quaeve praeſtare debeant ad propriam ſalutem, & proximi aedificationem. De hac Miſſa Parochiali Concilium *Tridentinum ſeſſ.* 22. *in Decreto de obſervandis, & evitandis in Miſſae celebratione*, declarat obligationem, qua tenentur Parochiani praedictae Miſſae Parochiali intereſſe: ait enim: *Moneant etiam* (Epiſcopi) *eumdem Populum, ut frequenter ad ſuas Parochias ſaltem diebus Dominicis, & majoribus Feſtis accedant*. Ex quibus verbis colligitur, quod Fideles tenentur Miſſae Parochiali dictis diebus intervenire, niſi, inquit MERATUS, ratio honeſta excuſet.

PASCHALIS dicitur illa, quae in ſingulis ſeptimanae Paſchalis Feriis agitur, in Miſſali *Gothico pag.* 342. 343., & in *Gallicano pag.* 480.

De PATRE AETERNO, *Matriti* olim edita, vetita vero a S. R. C. 8. April. 1628.

PATRIARCHINA, ſeu AQUILEJENSIS, quae apud *Aquilejenſes*, *Forojulienſes*, *Comenſes*, alioſque populos *Aquilejenſi* Patriarchae obnoxios in uſu fuit. Cujuſmodi ea fuerit, docet P. DE RUBEIS O. P. in egregia diſſertatione *de Sacris Forojulienſium ritibus*. Putat nempe Vir doctus, illos habuiſſe primis Eccleſiae ſaeculis *Romanam primigeniam Liturgiam*, qualem exhibet, ſi placeat, Sacramentarium *Leonianum*, peculiaribus tamen quibuſdam ritibus interpolatam, ut ſymbolo quibuſdam additamentis aucto. Poſtea ſchiſmatis, ſcilicet ob tria capitula exorti, tempore, *Gelaſiano* ritui adhaeſiſſe *Aquilejenſes* videntur; tum PAULLINI Patriarchae aetate (ſedem autem ille adeptus eſt Patriarchalem a. 776.) *Gregorianus* ritus inductus fuit in *Aquilejenſi* Eccleſia, *Gallicanis* tamen, ac *Gelaſianis*, & novis quibuſdam ritibus immixtus. Poſt Miſſale, ac Breviarium *Romanum* a S. PIO V. reſtitutum, in deſuetudinem abiit vetuſtus ritus cum *Aquilejae*, tum in *Foro Julii* abire coepit. Eumdem tamen in publica ſaltem Liturgiae, & officiorum celebratione ſervari decrevit a. 1585. CAESAR DE NORES Epiſc. *Parentinus* juſſu GREGORII XIII. Viſitator Apoſtolicus. Rejectus demum eſt, ab eoque etiam *Comenſis* Eccleſia a. 1598. deſcivit.

PECULIARIS, eſt Miſſa privata. Hinc in Capitulis THEODULPHI *Aure-*

Aurelian. cap. 45. ſtatutum fuit, *ut Miſſae, quae per dies Dominicos peculiares a Sacerdotibus fiunt, non ita publice fiant, ut per eas Populus a publicis Miſſarum ſolemnibus, quae hora tertia Canonice fiunt, abſtrahatur*. In Concilio vero *Salengunſtadienſi* a. 1022. *cap.* 10., & in Capitulari *Anglicano* incerti Auctoris *cap.* 4. ſuperſtitionis cujuſdam mentio fit, qua quidam Laici, ac maximae Matronae *Miſſas peculiares, hoc eſt de Sancta Trinitate, aut de Sancto Michaele quotidie audiebant pro aliqua divinatione*, quae ibi vetatur. V. Missa Familiaris.

PEREGRINORUM, Matutinalis, quae fortaſſe inde *peregrinorum* ſortita eſt nomen, quod eorum, pauperumque commodo celebraretur. De hac Miſſa GUIDO *Diſciplinae Farf. cap.* 2. mentionem facit dicendo: *Poſt Capitulum aliquantulum intervallum factum ſonent ſignum ad Matutinalem Miſſam pro adunatione pauperum, & Sacerdos, qui alia hebdomada majorem Miſſam cantaverat, Miſſam peregrinorum dicat, & oblata tribuat*.

POPLICA, ideſt *publica*, in *Gellonenſi Gregoriani* Sacramentarii Codice; vel amanuenſis vitio, vel Regionis dialecto vocatur ſecunda Miſſa in feſto *S. Laurentii*.

PRAESANCTIFICATORUM. Apud *Graecos* Concilium *in Trullo can.* 52. ſtatuerat, *ut omnibus Sanctae Quadrageſimae diebus, Sabbatho, & Dominica, & Sanctae Adnunciationis die exceptis, fiat ſacra praeſanctificatorum Miſſa*. In *Occidente* praeſanctificatorum, ſemel quotannis die Paſſionis, Miſſa, ſeu communio uſu, & conſuetudine recepta eſt in eorum gratiam, qui quotidie communicabant; at quo tempore, quave in Eccleſia primum coepta, nihil certi conſtat. Mihi, inquit LESLAEUS *in Miſſ. Mozarab. p.* 557., credibile eſt, in Monaſteriis originem habuiſſe, poſt medium ſeptimi ſaeculi. Regula *Magiſtri* ſaeculo ſeptimo ſcripta obſcure loquitur; nam *cap.* 53. agens de ſexta feria Paſſionis requirit, non tamen praeſcribit, ut omnes praeter infantes, infirmos, & ſenio confectos, diem Paſſionis ſine ulla refectione tranſigant; eos vero, qui refici volunt eo die, communione privat. Statuit itaque, ut *Sacramenta altaris in patena majori vitrea finiantur*, & poſt pauca addit: *Qui ſexta feria refecturi ſunt, ſine communione reficiant*. Quibus ſatis clare patet, Monachos hoſce feria ſexta Paſſionis communicaſſe: quoniam ii, qui veſpere *refecturi* erant, non communicabant; at non adeo certum eſt, an praeſanctificatorum communionem celebraverint, an potius ipſa ſexta feria Paraſceves Miſſam celebraverint. MABILLONIUS *comment. in ord. Rom. pag.* 72. hunc locum pro antiquo uſu praeſanctificatorum adfert. *Sacramenta vero altaris in patena majori vitrea finiantur* ideſt, ait MABILLONIUS, *recondantur*. Sed viro doctiſſimo de hac interpretatione non adſentior: nam *Magiſter* agens de Coena Domini nihil dixit de Euchariſtia in diem ſequentem conſervanda, & hoc loco manifeſte agit de iis, quae feria ſexta Paſſionis peragenda erant, & dum inter alia praeſcribit, ut ob diei triſtitiam, Sacramenta altaris non in patena argentea; ſed in vitrea finiantur, de conſecratione Sacramentorum loqui videtur. Et ſane modus loquendi *Graecus* in *Latinum* translatus (τελέω enim, quod eſt *finio, perficio*) quum de Euchariſtia ſermo eſt, frequenter idem atque *conſecro* ſignificat; quare *Magiſter cap.* 53. praeſcribit, ut die Paſſionis Miſſae

in ſuis Monaſteriis celebrentur, ita tamen, ut Sacramenta *finiantur*, hoc eſt *conſecrentur* in patena vitrea. Sed de praeſanctificatorum ritu diſtincte loquitur Sacramentarium *Gelaſianum: Iſtis orationibus ſupraſcriptis expletis, ingrediuntur Diaconi Sacrarium, procedunt cum Corpore, & Sanguine Domini, quod ante die remanſit, & ponunt ſuper altare, & venit Sacerdos adorans Crucem Domini, & oſculans, & dicit* Oremus, *& ſequitur* Praeceptis ſalutaribus moniti, *& oratio Dominica, inde* Libera nos quaeſumus, *his omnibus expletis adorant omnes Sanctam Crucem & communicant.* Nec minus diſtincte de eodem ritu loquitur Breviarium Eccleſiaſtici Ordinis a MARTENIO, & DURANDO *Tom. 5. Theſ. nov. anecdot.* editum, & quod ad uſum Monaſterii cujuſdam octavo ſaeculo fortaſſe compoſitum fuit. Agens autem de Paraſceve haec habet: *Recitatis orationibus dicat Presbyter*, Oremus, *& dicit orationem* Praeceptis ſalutaribus moniti *cum oratione Dominica, & ſequitur oratio* Libera nos quaeſumus Domine, *& adcipit Diaconus Corpus Domini, quod ante die Coenae Domini remanſit, & conſecratum fuit, & communicant omnes Corpus, & Sanguinem Domini cum ſilentio nihil canentes.* Haec ſunt antiquiſſima teſtimonia de hujus ritus uſu in Eccleſia *Latina*, eaque, quod animadvertendum eſt, oſtendunt ſaeculo octavo, ſanguinem ſimul cum corpore feria quinta in Coena Domini conſecratum, repoſitum fuiſſe in diem ſequentem, omneſque feria ſexta Paſſionis Domini verum Corpus, verumque Chriſti Sanguinem ſumpſiſſe, atque adeo ſaeculo octavo nondum introductam fuiſſe conſuetudinem vinum non conſecratum in Calice ad altare deferendi, quod in verum Chriſti ſanguinem per commixtionem particulae conſecratae tranſmutari haud pauci docuerunt. Quae quidem opinio ſub ejus ſaeculi finem obtinuit auctoritate Ordinis *Romani*, in quo olim legebatur, ut modo apud HITTORPIUM *pag.* 60. legitur: *Sanctificatur autem vinum non conſecratum per ſanctificatum panem;* quod cum plures Eccleſiae, aliae totidem verbis, aliae quibuſdam mutatis in libros ſuos Ritnales retuliſſent, opinionem, ex errore ortam, ſua auctoritate adeo confirmarunt, ut eidem quamplurimi, & in his Viri docti, tanquam veritati, adhaeſerint. Porro verba illa (ſupra allata, quae errori huic occaſionem dederunt), ut contendit MABILLONIUS, ad Ordinem *Romanum* minime pertinent, quum ſint merum gloſſema, privata auctoritate codicibus quibuſdam inſertum, nec in melioribus codicibus, quibus ille uſus eſt, inveniantur; ſed eſto gloſſema non ſint, (nam in codice, quo uſus eſt AMALARIUS, inveniebantur) certe de vera conſecratione intelligenda non erant, ſed de externa quadam ſanctitate per contactum corporis Domini adquiſita: maxime quod in Ordine *Romano* legebatur: *ſanctificatur autem*, non vero, ut in quarumdam Eccleſiarum Miſſalibus, *conſecratur autem vinum non conſecratum per ſanctificatum panem.* Caeterum opinio de hac fictitia conſecratione, quae a longe majori parte Eccleſiarum ſemper rejecta fuerat, nec antiquitatis auctoritate fulciebatur, detecto errore paullatim concidit. *Mentiuntur*, inquit JACOBUS a VITRIACO *Hiſt. Occid. cap.* 38., *qui dicunt, quod die Paraſceves Corpus Chriſti ex contactu mutat vinum in ſanguinem.* Et eodem capite paullo ſupra agens de vino ablutionis, quod aliqui in ſanguinem converti docebant: *Non dicimus, quod ex contactu ſanguinis vinum ablutionis convertatur in ſanguinem, ſed remanet purum*

rum

rum vinum: *licet*, inquit, *ex contactu ſanctae rei ſit ſanctificatum*, *ſicut aqua fluminis aquae benedictae commixta dicitur ſanctificari*. Plura de hac opinione vide, ſi lubet, apud MABILLONIUM *comment. in Ord. Roman. pag.* 76. *& ſeq.* copioſe, & erudite de ea tractantem, & apud MARTENIUM *de antiq. Eccleſiae Ritibus Tom. I. lib.* 1. *cap.* 5.

PRIVATA, prout diſtinguitur a Miſſa ſolemni, eſt illa, quae privatim, & peculiariter ſine cantu, uno dumtaxat Clerico miniſtrante, ſive in Eccleſia, ſive in Oratorio privato celebratur. Quapropter haec Miſſa, ut bene advertit BOCQUILLOT *lib.* 2. *cap.* 7., poteſt eſſe publica, quando fit cum conventu Populi offerentis, & communicantis &c. De hujuſmodi Miſſis privatis erudite diſſerunt MARTENE *de antiquis Monachorum Ritibus cap.* 6., necnon mox laudatus BOCQUILLOT *toto cap.* 7., *&* 8. *lib.* 2. *in Tract. Hiſtorico de Liturgia*. Miſſa vero privata, prout diſtinguitur a publica, eſt illa, in qua ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat. Haeretici Miſoliturgi utramque Miſſam privatam prohibitam eſſe comminiſcuntur. Verum utriuſque generis privatas Miſſas, tamquam licitas probandas eſſe, & commendandas, Catholica doctrina eſt, eamque demonſtrat Card. BONA *lib.* 1. *cap.* 14., ubi pariter refert varios veteres Auctores, quibus oſtendit perpetuum Miſſarum privatarum uſum.

MISSA AD PROHIBENDUM AB IDOLIS, cujus meminit Sacramentarium *Gelaſianum*, item Codex *Rhemenſis* apud MENARDUM, eſt illa, quae celebrabatur in die Circumciſionis Domini ad evellendas, quae olim Kalendis Januarii ab ipſiſmet Chriſtianis obſervabantur, Paganorum ſuperſtitiones. Hujus Miſſae veſtigium aliquod adhuc ſupereſt in Eccleſia *Ambroſiana*, ut videre eſt in Liturgia hujus diei, cujus haec eſt *Ingreſſa*, ſive introitus: *In conſpectu gentium nolite metuere: vos enim in corde veſtro adorate, & timete Dominum, Angelus enim ejus vobiſcum eſt*. Oratio ſuper Populum: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui Menſae tuae participes a diabolico jubes abſtinere convivio, da quaeſumus plebi tuae, ut guſtu mortiferae profanitatis abjecto, puris mentibus ad epulas aeternae ſalutis accedat*. Lectio ex cap. 6. BARUCH. *Propter peccata, quae peccaſtis &c.* uſq. ad *Angelus enim meus vobiſcum eſt*.

PROPRIA. Vide De Sanctis.

PUBLICA eſt illa, cui intereſſe utrique ſexui promiſcue licet, & quae coram populo peragitur: hanc Miſſam WALAFRIDUS STRABO *cap.* 22. *legitimam appellat*: ab AMALARIO vero *cap.* 8. vocatur *Generalis*, & in Concilio *Vaſionenſi cap.* 20. appellatur *Miſſa publica*, quae dicitur talis non a loco publico, quia olim in cryptis, & abditis locis celebrabatur, & tamen publica appellabatur, ſed, ut mox dixi, a conventu populi circumſtantis, offerentis, & communicantis in tali Miſſa. Quum olim *Neapoli* quotidiana quidem eſſet Liturgia, verum nunc in una, nunc in alia Baſilica, quemadmodum ſtationum ordo poſcebat, S. ATHANASIUS I., qui IX. ſaeculo Epiſcopus *Neapolitanae* praefuit Eccleſiae, *ordinavit*, JOHANNE diacono teſte, *ut in Eccleſia Salvatoris* (ea erat *Stephania*, ſive Cathedralis) *omni die Miſſa* PUBLICA *cum diptychis celebretur, offerens ibidem terras, ex quibus ejuſmodi alcretur collegium*. Confer MAZZOCHIUM in Kal. Neap. *Tom. I. p. XXVII.*

p. XXVII. ſeq., ubi etiam Miſſam PUBLICAM, *conventualem* quam dicimus; fuiſſe adnotat. Ante horam tertiam celebrari illam vetat Concilium *Aurelianenſe III. Can.* 14., *&* *Bracarenſe* ann. 572. *can.* 9. Ejuſdem horae tertiae, quam a TELESPHORO praeſcriptam liber Pontificalis inepte adfirmat, meminit etiam GREGORIUS *Turonenſis* de Vitis Patrum ſic dicens: *Facta quoque hora tertia, cum Populus ad Miſſarum ſolemnia conveniret &c.* Denique THEODULPHUS *Aurelian. in Capitulis cap.* 45. haec habet: *Ut Miſſae, quae per dies ſolemnes a Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas Populus a publicis Miſſarum ſolemnibus, quae hora tertia Canonice fiunt, abſtrahatur.* Ut foeminarum adceſſus in Monachorum Monaſteria vitetur, habetur conſtitutum GREGORII MAGNI pro Monachis apud BARONIUM anno 601. *num.* 15., *& lib.* 4. *epiſt.* 43. nimirum: *Miſſas quoque publicas ab eo* (Epiſcopo) *in Coenobio omnino fieri prohibemus, ut in Servorum Dei receſſibus, & eorum receptaculis nulla popularis praebeatur occaſio conventus, vel mulierum fiat novus introitus, quod omnino non expedit animabus eorum.* Idem Pontifex *lib.* 5. *epiſt.* 46. ad Epiſcopum *Piſaurienſem* haec ſcripſit: *Dum etiam in eodem praecepto inter alia mandatum ſit, ut locum ipſum abſque Miſſis publicis dedicares.* Eadem leguntur in aliis ejuſdem Pontificis epiſtolis, & in Concilio *Lateranenſi I.* anno 1122. *Can.* 17. vetantur Abbates, & Monachi Miſſas publicas cantare.

QUADRAGESIMALIS, quae in Quadrageſima dicitur. Vide Concilium *Vaſionenſe* cap. XX., & *Vaſenſe* cap. III.

DE QUINDECIM AUXILIATORIBUS Sanctis GEORGIO, VITO, BLASIO, DIONYSIO &c. Miſſa olim *Venetiis* edita, quam S. R. C. 8. Aprilis 1628. celebrari vetuit.

ROMANA, ſeu ROMENSIS a S. PETRO, quod ad ſubſtantiam pertinet, *Romanis* tradita, aucta ſubinde, ac reformata a Sanctis LEONE M., GELASIO, GREGORIO M., GREGORIO VII., ac PIO V. ſummis Pontificibus.

MISSA PRO REQUIE SANCTORUM OBLATA. Ejus indicium eſt apud CYPRIANUM *ep.* 34., ubi ait: *Sacrificia pro eis ſemper, ut meminiſtis, offerimus, quoties Martyrum paſſiones, & dies Anniverſaria Commemoratione celebramus. Gratulatoriae autem*, ut recte P. AMELIUS adnotavit in TERTULL. librum *ad Martyr.* n. 22., *preces erant, quibus cum Deo gratias agebant, qui Martyribus eam gratiam, & tantum dignitatis contuliſſet: tum ſimile donum coelitus ſibi dari concordibus votis flagitabant, ceu adhuc canit Eccleſia: Gaudeamus in Domino, & reliqua.*

REVELATA erat quaedam Miſſa ſuperſtitioſa, quae ſequenti Canone proſcripta fuit in Concilio VALENTINO anno 1565. inter *Hiſpan.* Tom. 4. pag 73. *Synodus praecipit ſuperſtitioſum cultum Miſſarum, quae dicuntur Revelatae, &* S. AMATORIS, *& aliarum quarumcumque ſimilium aboleri: certum etiam Candelarum numerum, qui ſpeciem ſuperſtitionis habet, rejiciendum eſſe duxit.*

REVOCATA dicebatur illa, in qua Populus antea dimiſſus, denuo ad ſacrificium revocabatur. Favet huic interpretationi GREGORIUS TURONENSIS *in lib. I. de Gloria Martyrum cap.* 51., ubi eodem loquendi modo utitur:

utitur? *Vade; & vigila totam noctem in honore, ac revoca Miſſas, & liberaberis a Plaga*: ideſt, (ut notat doctiſſimus MABILLON. *lib.* 1. *de Liturgia Gallicana* §. 4.) celebra Miſſas; nam familiare eſt GREGORIO, ut Miſſae etiam a Laicis celebrari dicantur. De hac Miſſa Revocata mentionem facit FORTUNATUS in libello *de Vita* S. GERMANI *Pariſiorum* Epiſcopi *cap.* 60., itemque in *lib. I. de Vita* S. RADEGUNDIS, cujus verba referuntur a MABILLON. loco ſuperius citato.

SACRAMENTORUM, in Vita S. GREGORII VII., & apud IVONEM *ep.* 219. appellatur *Miſſa Fidelium*, quae ſcilicet, ejectis Catechumenis, aliiſque, inchoabatur.

DE SANCTIS Miſſae ſunt, quae ſcilicet in eorum honorem agi ſolent. S. CYPRIANUS *ep.* 37. ad Clerum ſuum diligenter adnotari jubebat dies, quibus Martyres excederent, ac ſibi ſignificari, *ut* inquit, *celebrentur heic a nobis oblationes, & ſacrificia ob commemorationes eorum*. Circa has Miſſas, alia in *Occidente*, alia in *Graecia*, & *Oriente* diſciplina obſervabatur. Eccleſiarum enim *Occidentis* mos erat, orationibus, praefationibus, illationibuſque Miſſarum, quae feſtivis Sanctorum diebus recitabantur, peculiaria geſta ejus Martyris inſerere, cujus dies ſolemnis agebatur, quemadmodum ex Miſſalibus libris aperte patet, maxime ex iis, quibus in *Hiſpania*, & *Gallia* utebantur. Hinc omnes MISSAE Sanctorum ab initio PROPRIAE erant. Erant autem paucae, cum ab Eccleſiis ſingulis ſuorum tantummodo Martyrum feſta annua colerentur: & in quibuſdam Eccleſiis non omnium ſuorum, quum nimis multi eſſent, ſed praecipuorum tantum ſolemnitates celebrarentur. Deinde celebratae ſunt feſtivitates Martyrum quorumdam eximiorum primum vicinarum, poſtea etiam longe remotarum Eccleſiarum; quorum quum in dies augeretur numerus, nec ſatis nota forent eorum acta, neceſſe fuit MISSAS COMMUNES componere, quae praeter nomen Martyris, aut Martyrum, quorum colebatur memoria, nihil continebant, quod Chriſti Athletae non conveniret. Inſtar Martyrum feſta deinde Confeſſorum adjecta ſunt; atque ut Martyrum, ita & Confeſſorum Miſſae ab initio PROPRIAE omnes fuerunt, deinde communes acceſſere: & haec quidem *Occidentalium* Eccleſiarum *Latine* loquentium diſciplina. *Orientalium* vero, & *Graecorum* alia eſt ratio: illi enim, quovis Sanctorum feſto recurrente, Liturgiam eodem tenore conſtanter recitant: additis tantummodo Epiſtola, Evangelio, aliiſve ſacris lectionibus de Sancto: ſic, ſive Apoſtoli, ſive Martyris, ſive Confeſſoris feſtivitas agitur, Liturgia, puta S. CHRYSOSTOMI, S. JACOBI, aut S. BASILII, aliave pro Eccleſiarum diverſa conſuetudine, integra recitatur, quin in orationibus ulla fiat mentio Sancti, cujus celebratur ſolemnitas, quem tantummodo inter Sanctos, quum dyptycha recitantur, commemorant; unde apud eos nullae exſtant MISSAE PROPRIAE, quales in Eccleſia *Occidentali* celebrantur. Habent tamen & ipſi ſuas Miſſas PROPRIAS, & COMMUNES; ſed haec diſtinctio tota ferme ſita eſt in diverſitate lectionum ſacrarum, non in varietate orationum, quae in Liturgiis recitantur. De antiquitate autem Miſſarum *communium* in Eccleſia *Occidentali* non idem omnes ſentiunt: alii eas ſaeculo ſeptimo ineunte, alii poſt D. GREGORII MAGNI aetatem inventas putant; ego, (inquit MERATUS) quum

eas in

eas in vetuſtiſſimis Sacramentariis, *Leoniano*, *Gelaſiano*, *Gregorianis* MENARDI, ROCCAE, & MURATORII, in Calendariis a MARTENIO, & DURANDO *Theſ. nov. anecdot. Tom. 5. pag. 66.*, & ab ALLATIO, ad calcem tractatus *de Hebdomadis, & feſtis Graecorum* editis, in Miſſali, & Breviario *Mozarabum*, in Lectionario *Luxovienſi*, Sacramentario *Bobiano*, & Miſſali *Gallo-gothico* inveniam, facile inducor, ut credam, Officia, & Miſſas *de communi* ante annum ſexcenteſimum Aerae Chriſtianae uſu receptas fuiſſe: nec me movet, quod in Calendario FRONTONIS, in Capitularibus GEORGII, in Sacramentario *Gregoriano* P. AMELII non inveniantur Miſſae *communes*; credibile enim eſt, eas ab initio ſeparatim habitas fuiſſe, unde nil mirandum, quod in iſtiuſmodi libris non reperiantur.

SCRUTINII DIES erat illa, quae in Feria IV. hebdomadis quartae Quadrageſimalis celebrabatur, & quae ad Catechumenos directa intelligebatur; nam incipiendo ab Introitu de illis eſt ſermo in illis verbis: *quum ſanctificatus fuero in vobis, effundam ſuper vos aquam mundam*; in eo pariter ſenſu legitur epiſtola, ac clarius Evangelium, in quo habetur coeci nati miraculum in Natatoria SILOE viſum recipientis; quod ſymbolum revera Catechumeni eſt, qui ſpirituale lumen in ſacro Baptiſmatis Fonte recipit, ut in Homilia ejuſdem diei explicat Divus AUGUSTINUS. De hac Miſſa mentionem facit MACRIUS in ſuo *Hierolexico V. Scrutinium*, ubi etiam advertit, quod in Ordine *Romano* praedicta Feria antonomaſtice vocabatur *Feria Scrutinii*. Scrutinia in Eccleſia *Romana* ſeptem in Quadrageſima celebrata fuiſſe conſentiunt omnes Auctores, qui de Ritibus Eccleſiaſticis ſcripſerunt; quae quidem Scrutinia non erant niſi examina, & inſtructiones Catechumenorum, qui baptizari in proximo debebant. Primum ex dictis Scrutiniis fiebat in Feria IV., & ſecundum in Sabbatho tertiae Quadrageſimalis hebdomadae. Tertium vero, quartumque Scrutinium fiebat in iiſdem diebus quartae Hebdomadae ſequentis; & quia tertium ceteris ſolemnius erat, teſtante AMALARIO *lib. 1. de Eccl. Officiis cap. 8. de ſecunda varietate quartae Hebdomadae Quadrageſimae*, ubi loquendo de praedicta quarta Feria ait: *Eadem die agitur Scrutinium tertium, quod maximum eſt inter ſeptem ſcrutinia*; idcirco illa Feria appellabatur, ut diximus, antonomaſtice, *Feria Scrutinii*. Quinctum autem, & ſextum Scrutinium convocabatur in iiſdem diebus quartae, & quinctae Quadrageſimalis hebdomadae. Ultimum tandem erat in quarta Feria ſextae hebdomadae. Verum juxta ſententiam VICECOMITIS *lib. 3. de Baptiſ. cap. 23.* quartum, quinctum, & ſextum Scrutinium nullum tempus certum, ſed vario Epiſcopi arbitratu habuerunt. Juxta autem ſententiam *Edmundi* MARTENE *lib. 1. de Eccleſiae Ritib. art. 11. n. 3.* quartum, & quinctum Scrutinium habebantur hebdomada quincta, ſextum vero, & ſeptimum hebdomada ſexta. Sed in epiſtola JESSE *Ambianenſis* Epiſcopi ab eodem MARTENE citata, ſextum, & ſeptimum Scrutinium in aliis diebus fiebant. Denique juxta ſententiam Card. BONA ſeptimum Scrutinium habebatur in Vigilia Paſchae, & pro praedictis examinibus in qualibet praecedenti Dominica, vel alio die invitabatur univerſus Fidelium coetus, & in Dominica Palmarum tradebatur Symbolum competentibus, a quibus repoſcebatur reddendum, vel in Feria quincta majoris hebdomadae, quae vocatur *in*

Digitized by Google

tur *in Cocna Domini*, ut in Canone *Laodiceni* Concilii continetur; vel in Sabbatho Sancto juxta Ordinem *Romanum*, ut teſtatur AMALARIUS ſupracitatus *cap.* 12. Praedicta tamen Scrutinia in ſola *Romana* Eccleſia, aut in Eccleſiis, quae Ritum *Romanum* ſequebantur, celebrata fuiſſe contendit VICECOMES *in lib. 3. de Baptiſmi Ritibus cap.* 21., ſed MARTENE loc. ſuperius cit. *art.* 11. *n.* 2. obſervat, quod ſuae ipſius Eccleſiae oblitus fuiſſe videtur doctiſſimus Vir: nam *Mediolanenſis*, uti & *Africana*, *Hiſpanica*, *Gallicana*, atque etiam *Graeca*, quae proprium, non *Romanum* Ordinem obſervabant, ſua aeque habuere Scrutinia. De *Mediolanenſi* praedictus MARTENE locupletiſſimum dicit ſe perhibere teſtem Divum AMBROSIUM *in lib. de Myſteriis cap.* 1. ubi ſic loquitur: *Aperite igitur aures, & bonum odorem vitae aeternae inhalatum vobis munere Sacramentorum carpite, quod vobis ſignificavimus, quum aperitionis celebrantes Myſterium, diceremus, Epheta, quod eſt adaperire, ut venturus unuſquiſque ad gratiam, quid interrogaretur cognoſceret, quid reſponderet meminiſſe deberet*: quibus verbis ſolemniſſimum omnium Scrutinium, quod dicitur *in aperitione aurium*, deſignat. De *Africana*, & de *Hiſpanica*, teſtes pariter locupletes producit laud. MARTENE. Ad *Gallicanam* vero Eccleſiam quod ſpectat, nullum dubitandi locum permittit vetus Miſſale *Gallicanum* a V. Card. THOMASIO editum, cujus *cap.* 9. inſcribitur: *Ad faciendum Scrutinium*. Adde his Eccleſiam *Aquilejenſem*, de cujus Scrutiniis diſputat P. DE RUBEIS diſſ. *de Sacr. Forojul. Ritib. cap. X. ſeq.* Vide Scrutinium.

SECRETA, ideſt privata. In Actis Epiſcop. *Cenoman. p.* 72. *Numquam a die ordinationis ſuae cognoverunt diem praeterire, ut non Miſſam aut publicam, aut ſecretam celebrarent*.

SICCA. Vide Nautica.

SINGULARIS, privata, ſeu ſpecialis. Utitur hoc nomine EDDIUS *Stephanus* in S. WILFRIDO *cap.* 61. ubi habetur: *Nam omni die pro eo Miſſam ſingularem celebrare &c.*

SOLEMNIS in communi ſenſu dicitur illa, quae omnem ſolemnitatem habet Cantus, Thuris, Miniſtrorum ſacrorum, earumque Caeremoniarum, quas praeſcribunt Rubricae Miſſalis. Sub hoc genere Miſſae ſolemnis continetur Miſſa *Papalis*, de cujus Ritibus, & Caeremoniis tractant MARCELLUS Archiepiſcopus *Corcyrenſis* in ſuo Libro inſcripto: *Rituum Eccleſiaſticorum, ſive Sacrarum Caeremoniarum S. R. Eccleſiae*, & Cl. *Dominicus* GEORGIUS in eruditiſſimo Opere *de Liturg. Rom. Pont.* tribus voluminibus comprehenſo: ſub eodem genere pariter continetur Miſſa Pontificia *Epiſcopalis*, cujus Ritus, & Caeremoniae deſcribuntur in *Caeremoniali Epiſcoporum*. De iis tractant pariter CASTALDUS, BAULDRY, BISSUS, GERLACUS VINITOR; necnon PARIS DE CRASSIS olim Apoſtolicarum Caeremoniarum Magiſter, & Epiſcopus *Piſaurenſis* in lib., cui titulus: *De Caeremoniis Cardinalium, & Epiſcoporum in eorum Dioeceſibus*: in quo, ut ex praedicto titulo apparet, etiam de Caeremoniis, quae ad Cardinales ſpectant, docte differit. Etiam ſub hoc genere continetur Miſſa Pontificalis *Abbatialis*, de cujus Ritibus, & Caeremoniis agunt praeſertim *Zacharias* a MUTINA in *Caeremoniali Caſſinenſium*; *Donatus* RAMERIUS *in Rituali Monaſtico*, *Romano Ritui, ac Caele-*

Digitized by Google

Caeleſtinorum uſui conformi; necnon Auctor *Caeremonialis Canonicorum Regularium Congregationis S. Salvatoris*. Denique ſub hoc genere Miſſae ſolemnis continetur etiam Miſſa, quae dicitur *Canonicalis*, nimirum illa, in qua Dignitate, vel Canonico ſolemniter celebrante, Canonici pariter pro Diacono, & Subdiacono inſerviunt.

MISSA SOLITARIA prout a privata, & plana diſtinguitur, intelligitur illa, quae a ſolo Sacerdote, nemine praeſente, & reſpondente, olim celebrabatur ex indulgentia in Coenobiis, ut loquitur EDUENSIS, ſive ex privilegio Canonicarum Sanctionum. *In Vita* S. WANEBALDI *Presbyter quidam Eccleſiam valde diluculo intraſſe dicitur ad Miſſam faciendam pro eo, unde ſuaviſſimo odore recreatus exivit ad conſortem hujus miraculi quaerendum, quod certe non feciſſet, ſi ſocium Miſſae Miniſtrum habuiſſet*. Aliud hujus Miſſae exemplum ſuppeditat Vita S. MEGINARDI Eremitae, qui a ſicariis Miſſam ſolus celebrans inventus eſt, & occiſus. Huc ſpectat inſigne illud Miraculum, quod *Mediolani* evenit anno 1101. Feria quinta *in Coena Domini*, quum Presbyter LIPRANDUS in teſtimonium deteſtationis ſimoniacae electionis GROSSULANI dicti Archiepiſcopi, illaeſus per medias flammas tranſivit, & GROSSULANUM de ſimonia convicit. Dum enim ignis facturus eſſet Judicium (en tibi exemplum de Miſſa *Judicii*) *indutus cilicio, Camiſio atque Caſula more Sacerdotis ab Eccleſia* S. PAULLI *uſque ad Eccleſiam* Ss. PROTASII, & GERVASII, *& Beatiſſimi* AMBROSII *nudis pedibus Crucem portavit. Super quorum Sanctorum altare, ceteris Sacerdotibus deficientibus, ipſe ſibi Miſſam cantavit*. Cetera vide apud PURICELLUM in Actis Ss. ARIALDI, & HERLEMBARDI, & in *Mon. Baſil. Ambroſ.* Nunc tamen diſtricte prohibitum fuit, ne quis Sacerdos ſolus ſine ullo Miniſtro ſacrum Myſterium conficiat. Hujuſmodi autem Sanctiones Miſſam ſolitariam prohibentes adferuntur a *Joſepho* VICECOMITE *lib.* 5. *de Miſſae Ritibus cap.* 4., necnon a Card. BONA *lib.* 1. *cap.* 15. *n.* 5.

SPECIALIS eſt Miſſa privata, de qua mentionem faciunt Capitul. THEODORI *Cantuarienſis cap.* 10. edit. JACOBI PETITI, in quo legitur: *Centum viginti Miſſae ſpeciales ſingulae cum tribus pſalteriis, & cum trecentum Palmatis excuſant annum, ſcilicet poenitentiae*. In epiſt. pariter CAROLI *Magni* ad FASTRADAM Reginam de *Victoria Avarica*, haec leguntur: *Et Sacerdos unuſquiſque Miſſam ſpecialem feciſſet, niſi infirmitas impediſſet*. Et in Vita ALCUINI *num.* 26., ut refert DU-FRESNE in ſuo *Gloſſario* verb. *Miſſa ſpecialis*, legitur: *Levitice ſe praeparans, ſuo cum* SIGULFO *Presbytero Miſſarum colebat ſolemnia ſpecialium uſque ad horam tertiam*.

SPONTANEA vocatur illa, quae ſola dicentis religione, & pietate celebratur, & offertur vel pro vivis, vel pro Defunctis.

DE TEMPORE. Anni ſolaris cum Eccleſiaſtico analogiam diffuſe explicat *lib.* 6. *ſui Rational.* DURANDUS, ubi docet, hyemem repraeſentari a Septuageſima uſque ad Paſcha, vel ab Adventu uſque ad Septuageſimam, aeſtatem a Paſchate uſque ad octavam Pentecoſtes, & ab hac uſque ad primam Dominicam Adventus autumnum. Quaedam autem officia propria Miſſarum his temporibus adſignata fuiſſe vel ab Apoſtolis, vel ab eorum ſucceſſoribus, quae ideo *de tempore* nuncupantur, antiqua traditio eſt. Feſta

ſiqui-

Digitized by Google

ſiquidem Nativitatis, Epiphaniae, Reſurrectionis, & Adſcenſionis Chriſti; ac Pentecoſtes, & jejunia Paſchae ſolemnitatem antecedentia, atque his diebus ſynaxes Apoſtolicae inſtitutioni tribuunt praeter *Conſtitutiones Apoſtolicas* TERTULLIANUS *lib. de Jejun.*, THEOPHILUS *Alexandr.* in epiſtolis Paſchalibus, & IRENAEUS apud EUSEB. *lib. 5. hiſt. Eccleſ.* De Tempore Adventus ante Nativitatem meminerunt Concilia *Turon. II. cap. 17.*, & *Matiſcon. I. cap. 5.* ante GREGORIUM M. habita. Officia vero, & Liturgiae cum his diebus, tum ſingulis Dominicis, certiſque feriis per annum agendae exſtant in antiquiſſimis Sacramentorum libris *Gelaſiano*, & *Gregoriano*, & in Lectionario S. *Hieronymi*, atque in Ordine *Romano*.

IN TRADITIONE SYMBOLI erat Miſſa, quae adhuc habetur in Miſſali *Gothico-Gallicano pag. 318.*, & eſt ſeptima Quadrageſimae. Ita vero inſcribitur, quia illo die, nempe in Dominica Palmarum tradebatur Symbolum Competentibus. Vide Traditio Symboli.

TREVIRENSIS, ſeu Sancti SIMEONIS *Syracuſani* eſt illa, quae *Treviris* conſervatur, & ideo *Trevirenſis* nunc appellatur, praedicto tamen Divo SIMEONI *Syracuſano* adſcribitur, *Treviris* in Turri, quae antea *nigra porta* vocabatur, poſt reditum ab *Hieroſolymitana* peregrinatione recluſo, ibique Kal. Junii ann. 1037. pie defuncto. Hujus Liturgiae meminit LINDANUS in calce ſuarum Adnotationum ad Liturgiam D. PETRI Apoſtoli. Num vero SIMEON illius Auctor fuerit, num potius a ſe deſcriptam ex *Oriente* detulerit, non ſatis conſtat.

VESPERTINA, ſeu Serotina, quae etiam Quadrageſimalis dicta eſt, erat illa, quae ſub Veſperam celebrabatur, videlicet poſt quinctam, aut ſextam horam poſt meridiem, ut obſervat JOHANNES PRAEVOTIUS in ſuis notis ad librum *de Officiis Eccleſiaſticis* JOHANNIS *Abrincenſis* Epiſcopi *n. 273.* De hujuſmodi Miſſis erudite juxta morem ſuum diſſerit VICECOMES *loc. ſupracit. cap. 28. & ſeqq.*, in quibus diligenter inquirit, unde Miſſarum Veſpertinarum uſus originem duxerit; quibus diebus praedictae Miſſae dicerentur; & utrum poſt ſumptum cibum, vel a jejunis celebrarentur? MACRIUS cenſet, Miſſam Veſpertinam, ſeu Veſpertinalem non fuiſſe veram Miſſam, ſed tantum Siccam: quia in ea, ait ipſe, a Sacerdotibus ante ſolutionem jejunii, conſecrata Hoſtia Dominicae praecedentis ſumebatur, adeoque conveniebat cum Miſſa Sicca, quia non conſecrabatur Hoſtia; & ab eadem Sicca diſcriminabatur, quia in Veſpertinali ſumebatur Hoſtia conſecrata; in Miſſa vero Sicca nulla habetur Hoſtiae conſecratio, neque Hoſtiae conſecratae ulla habetur ſumptio. Sed melius diceretur, poſito quod in Miſſa Veſpertina ſolum ſumatur Hoſtia antecedenter conſecrata, ejuſmodi Miſſas Veſpertinales convenire omnino cum Miſſis *Praeſanctificatorum*. De Miſſis Veſpertinis, & Matutinis reperiuntur Sanctiones in Concil. *Agathenſi cap. 30.*, & in Concil. *Aurelianenſi III. cap. 28.* Rurſus de Miſſis Veſpertinis mentio facta eſt etiam in Concilio *Matiſconenſi Can. 9.* ubi dicitur, has Miſſas *ordine Quadrageſimali* celebrari; quia nimirum in Quadrageſimae Feriis ad Veſperam diferebantur; Concilium vero *Braccarenſe II. Can. 9.* iiſdem Miſſis Veſpertinis adſignat horam nonam, vel decimam.

PRO VIVIS dicitur illa, quae pro hominibus adhuc viventibus celebratur.

Digitized by Google

bratur. Ratione autem circumſtantiarum, quae hominum vitam comitari ſolent, haec Miſſa multifariam partitur, veluti cum pro gravi moleſtia adfectis, vel pro iter agentibus, vel pro agonizantibus, vel pro remiſſione peccatorum &c. Sacrificium Deo offertur.

VOTIVA eſt, quae pro aliqua ſpeciali cauſſa, aut neceſſitate ſeu publica, ſeu privata interdum celebratur. Harum quindecim ſupra centum ex diverſarum Eccleſiarum Miſſalibus *Cornelius* SCHULTINGIUS collegit Tom. III. *Biblioth. Eccleſ. p.* 1. Hujuſmodi fuit Miſſa, quam ſcripſit S. AUGUSTINUS *de Civit. Dei lib.* 22. *cap.* 8. celebratam in domo privata, ut a ſpirituum vexatione liberaretur; item Miſſa pro Catechumenis Feria IV. poſt quartam Dominicam Quadrageſimae, ab AMALARIO *lib.* 1. *cap.* 8., & Ordine *Romano* indicata; uti & Miſſa ad *prohibendum ab idolis*, quae olim ut diximus Kalendis Januariis agebatur.

MISSALE, liber Miſſas continens. Vide *Bibliothecam Ritualem Tom. I. pag.* 50. *ſeq.*

MISSALE MIXTUM, liber ex commixtione Miſſalis ſimplicis, Lectionarii, Antiphonarii, & Benedictionalis compoſitus. Cujus denominationis ſignificationem quum *Eugenius* DE ROBLES ignoraſſet, rationem commentus eſt plane falſam, cur Miſſale XIMENII, pro titulo, appellatum fuerit *Mixtum*, ſuaque auctoritate Viros quoſdam eruditos in errorem induxit, ut crederent nonnulla, a ritibus *Mozarabicis* aliena, jubente XIMENIO, Miſſali, quum typis ederetur, fuiſſe interpolata. Vide PLENARIUM.

MISSATICUS, Miſſatica paratura. Hac voce utitur Auctor Vitae S. UDALRICI *Auguſtani* Epiſcopi, & ſignificat omnem ornatum ad Miſſam celebrandam neceſſarium. Ordo Rom. *Miſſalia veſtimenta* nuncupat.

MISSO, SAS, celebrare Miſſam. *Vellem ego potius numquam Miſſare; quam ſic damnabiliter idolatrare.* BERNARDUS *Tergenſen*.

MISSORIUM CANGIO videtur lancis, vel diſci genus, quia apud *Papiam* Lances, vaſa quibus ſacrificatur, *miſſoria* dicuntur. AB ISIDORO *Hiſpalenſi* inter vaſa eſcaria ablegatur, vocaturque *Meſſorium* a menſa per derivationem, quaſi *menſorium*. Sed hoc vas multis ante ISIDORUM annis *miſſorium* dici coepit. ENNODIUS *Ticinenſis* epigramma edidit, ubi *Miſſorium*, quod habet loricatum juvenem ſuper equum, tenentem victoriam in manu, hexaſticho deſcribit. SONATIUS Epiſcopus *Remenſis* A. D. 627. Baſilicae *Remenſi*, quam haeredem reliquit, narrante HODOARDO, *Miſſorium Argenteum* teſtamento legavit. Oblata enim vero Miſſoria fuiſſe videntur ad Eulogias diſtribuendas, & *oblationes* accipiendas, ac etiam ad ſacrificii divini apparatum, dum haec vaſa exponi in abaco inter Miſſarum ſolemnia ſolerent, quemadmodum legimus, plurima *vaſa aurea*, & *argentea* in veteris legis ſacrificio, ac in templo expoſita fuiſſe.

MITRA. Nullus eſt apud *Graecos* Epiſcopos Mitrae uſus. Solus *Alexandrinus* Patriarcha phryſio, ſeu loro utitur; quam praerogativam vel ipſe Schiſmaticus BALSAMON ab Apoſtolica Sede repetit. Cidarim adhibent *Orientales Maronitae*, *Neſtoriani*, & *Jacobitae*: *Occidentalibus* Epiſcopis aliquod ſemper capitis ornamentum in uſu fuit; quod cujuſmodi eſſet, incertum eſt. Mitrae tamen diſerta mentio primum occurrit apud THEODULPHUM *Aurelian.*

relian. ſaeculo IX. ineunte Epiſcopum, qui de Pontificis ornamentis canit *lib. V. carm. 3. Illius ergo caput reſplendens Mitra tegebat*. S. LEO IV. Mitrae uſum peculiari privilegio conceſſit ann. 849. S. ANSCHARIO *Stamburgenſi* Epiſcopo, uti & S. LEO IX. *Trevirenſibus* Archiepiſcopis, & quibuſdam ſolemnioribus diebus *Bambergenſibus* Canonicis A. MLII. *Pileum cornutum* appellat F. *Bartholomaeus a* TRIDENTO in MS. libro, quem ann. MCCXLIV. compoſuit, *de Vitiis & Actibus Sanctorum per circulum anni*. Certe ante BONIFACII VIII. tempora Epiſcopi Mitra utebantur bicorni, ſeu bifida, haud paullo quam nunc humiliori, & oblonga. Lineam Mitram olim fuiſſe, non ſericam innuit BRUNO *Signienſ.* Epiſcop. *de Sacr. Eccleſ. myſter.*, byſſinam HONORIUS *Auguſtod.*, & HUGO VICTORINUS, auro tamen, & gemmis ornatam. Triplex Mitrarum genus deſcribit Caeremoniale Epiſcopor. *lib. 1. cap. 17.*

Romanorum porro Pontificum Mitra ante BONIFACIUM VIII. oblonga fuit, & rotunda, uti in lapidea S. PETRI *Corbejenſis* effigie cernitur. Caeremoniale juſſu GREGORII X. editum tres Summi Pontificis Mitras diſtinguit, *unam ſcilicet albam totam* (uti ſimplex mitra Epiſcopalis), *unam cum aurifriſio* (ſcilicet acu pictam, ac gemmis ornatam) *in titulo ſine circulo, & mitram aurifriſiatam in circulo, & in titulo*. Vide Titulus in Mitra. Mitra *aurifriſiata in circulo, & in titulo* utitur Pontifex in officiis feſtivis, excepto a Septuageſima uſque ad Paſcha, & ab Adventu uſque ad Natale, & quando *cantat pro defunctis........Mitra raro cum aurifriſio in titulo ſine circulo utitur, quum ſedet in Conſiſtorio, & judicat: unde* Coronam *Regalem repraeſentat*. Alba *utitur diebus* Dominicis, *& aliis* non feſtivis *ab Adventu* Domini ad *Vigiliam Nativitatis in Veſperis, praeter quam in tertia Dominica de Adventu, quae dicitur Dominica de Gaudete*. Non confundenda Pontificis Mitra cum Tiara, ſeu Regno. Vide Tiara. Pontificalium, atque adeo Mitrae privilegio potiuntur Cardinales, etiam Diaconi. CANGIUS voce Mitra, & BOCQUILLOTIUS *de Sacr. Liturg. lib. 1. cap. 7.* innuere videntur, Mitrae privilegium Cardinalibus ademptum fuiſſe, poſtquam in Concilio *Lugdun.* ann. 1245. rubeus illis Galerus fuit adſignatus. Sed eos SALA *Tom. II. p. 264.* erroris arguit; nam teſtibus GOBELINO, & Card. PAPIENSI *in Comment. lib. 2. n. 40.* PAULLUS II. Cardinalibus, *qui ſacris induti veſtibus a Praelatis inferiorum ordinum........non agnoſcebantur*, uſum Mitrae ſericae damaſceni operis, rubraque capitia *indulſit*. Mitrae uſu, ac privilegio *Romae* fruebatur etiam Primicerius Cantorum. Eadem Abbatibus conceſſa fuit. Vide Cl. GARAMPIUM haec omnia eruditiſſime confirmantem *in Garfagn. ſigill. p. 72. ſeqq.*

MITRALE apud I. CAJETANUN *Ord. Rom.* XIV. *pag.* 280. videtur eſſe capſula, in qua Mitra deferebatur. Notum autem eſt SICARDI *Cremonenſis* Epiſcopi *Mitrale*, ritualis nempe liber, de quo dixi *Biblioth. Ritual. Tom. I. p. 154.*

MODELLUS, Calix. MARTENE in Onomaſtico.

MONASTERIUM a ſolitudine dictum; nam Monaſteria in locis abditis, & ab hominum commercio ſejunctis condi ſolebant; ut qui in illa ſeſe reciperent, ſoli quum eſſent, facilius contemplationi vacarent.

MONOGRAMMA; nota; qua Chriſtus compendio exprimebatur hoc vel ſimili modo ☧. Poſt celebrem a CONSTANTINO M. habitam viſionem uſitatiſſimum Chriſtianis fuit, licet GEORGIUS, GORIUS, aliique doctiſſimi Viri jam ante CONSTANTINUM fuiſſe a Chriſtianis adhibitum ſentiant. Veteres Chriſtiani SIGNUM adpellarunt, quod ex Chriſtiano lapide eruto in Coemeterio S. AGNETIS, adlato a Cl. BOLDETTIO *Par.* 1. *l.* 1. *c.* 51. *p.* 273., colligi poteſt; nam in eodem lapide, quem PRISCO patri ASELLUS, & LEA filii poſuerunt, BASSO, & ABLAVIO Coſſ. imperante CONSTANTINO MAGNO, anno nimirum Aerae Chriſt. CCCXXXI. sacrum Monogramma ☧, undique palma, & ramuſculis ornatum, haec verba praecedunt IN SIGNO, quaſi ad idem auguſtiſſimum CHRISTI nomen, atque ad ea verba in caelo viſa a CONSTANTINO, ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ, referri poſſint; vel potius ad Fidei profeſſionem, & SIGNUM DEI vivi, quod in divina *Apocalypſi Cap. VII. v.* 2. *& ſeqq.* juſſus eſt Angelus ſcribere, & ſignare in frontibus Servorum Dei; quo ſigno CONSTANTINUS Auguſtus & CHRISTI Nomen, & CRUCEM ejus ſibi adorandam, eaque auxiliante, & duce victorias, & triumphos de hoſtibus referendos intellexit.

MONSTRANTIA quid ſignificet, facile colligitur ex his, quae refert MARTENE *l.* 3. *c.* 25. *n.* 9. loquens de feſto SS. Corporis Chriſti. *Sacerdos hebdomadarius in profeſto hujus diei duas conſecrat hoſtias magnas, quarum altera reconditur in* Monſtrancia *ad hoc aptata, cum vitro perſpicuo, quae poſt finem Miſſae deportatur obvoluta linteo mundo, & includatur capſellae, in qua Corpus Domini pro infirmis conſervari conſuevit..... Praemiſſa venia* Monſtrantiam *extrahat ex capſula, eam deferendo ad altare.* Ex his patet, Monſtrantiam aliud non eſſe, niſi Oſtenſorium, ſeu Inſtrumentum illud, in quo Chriſti Corpus exponitur publicae Fidelium adorationi.

MORTUORUM COMMUNIO. Circa hanc communionem, cujus mentio exſtat in III. *Carthaginenſi* Concilio *cap.* 6., *in Quiniſexto cap.* 83., & *Toletano cap.* 14., error invexit, quo aliqui putabant, tam neceſſariam Euchariſtiam, quam Baptiſmum. Itaque ſicut quidam ex illo PAULLI loco 1. *Cor. XV. quid faciunt, qui pro mortuis baptiʒantur*, mortuos baptizabant; ita & illis nonnulli Euchariſtiam porrigebant. Tantum abuſum S. CHRYSOSTOMUS *hom. in* 1. *ad Cor.* non ſolum redarguit, ſed etiam errorem profligat haereticorum, qui ob Euchariſtiae neceſſitatem Baptiſmi, ut rebantur, neceſſitati parem, ſicuti Baptiſmum, ita & Communionem mortuis dandam exiſtimabant: *Quibuſnam*, inquit, *dixit*, niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis meum Sanguinem, non habebitis vitam in vobis? *Viviſne, an mortuis?* dic *quaeſo*. Hinc diſcrimen patet inter hunc abuſum, & morem a ſanctis ipſis Viris nonnunquam adhibitum, ut cum mortuis Euchariſtia ſepeliretur, de quo conferendi BONA *lib. II. cap.* 17. §. 6., GRANCOLAS *Ancien. Sacram.* P. 1. *p.* 346., MARTENIUS *de ant. Eccl. Ritib. lib.* 1. *cap. V. art.* 4. *n* 6.

MOZARABUM Liturgia. Vide Miſſa Mozarab.

MURAENAE, MURAENULAE, catenulae, ſeu ornamenta in modum muraenae ſerpentis efformata, ac lapidibus pretioſis contecta. GREGORIUS IV. ab

Digitized by Google

IV. ab ANASTASIO obtuliſſe dicitur *imaginem auream habentem Hiſtoriam Dominae noſtrae ..... in eadem imagine habet* MURAENAS PRASINALES *pretioſiſſimas duas, ex quibus habet pendulas numero undecim. Item* MURAENAM *triſilem auream, quae habet gemmas diverſas albas numero ſeptuaginta tres.* MURAENAM, *in qua pendent gemmae hyacinthinae tredecim. Item* MURAENAM *filatam, ex qua gemmae pendent hyacinthinae quatuordecim. Signum Chriſti habet naviculas duas, &* MURAENAS *tres*.

MUSIVUM opus, latine *Vermiculatum* a vermibus quibuſdam coloris varii. Aliud eſt *encauſticum*, igne ſcilicet pictum, aliud *teſſellatum*, variis nempe teſſulis diſtinctum. Vide de Muſivis praeſertim ſacris CIAMPINUM, & FURIETTUM.

MYSTERIORUM *liber*. Vide SACRAMENTARIUM.

MYSTERIUM, conſecratio eſt in Miſſalibus veteribus *Gallicanis*.

MYXUM, MYXUS, Lucernae ellychnium. MARTIALIS *lib. XIV. ep.* 41.

Illuſtrem quum tota meis convivia flammis,
Totque geram myxos, una lucerna vocor.

Lucernam enimvero auream myxorum XII. Baſilicae S. AGNETIS CONSTANTINUS dono dediſſe fertur in libro Pontificali *Tom.* I. *pag.* 98. Myxi genus ſingulare idem liber indicat, nempe ex *ſtuppa amianthi* ibidem *pag.* 88.

N

NACUS. Hoc nomine intellexerunt veteres Chriſtiani *Romani* Pannum laneum rubrum, quo equorum ſellam, quum Pontifex equitabat, cooperiebant a verbo *Graeco* Νακος, quod lanam, ſive vellus ſignificat, derivatum.

NAON, Navis Eccleſiae, nempe ipſum templum cancellis, vel tabulatis a Narthece ſeparatum, in quo ſtabant inferiorem partem occupantes Poenitentes tertii generis, poſt quos manebant Fideles ſervata ſexus, & ordinis diſtinctione; nam viri a mulieribus, virgines a nuptis, Monachi a ſaecularibus ſeparati erant. V. ECCLESIA. In hac *Eccleſiae* parte, ejuſque medio Ambo ſurgebat, ſeu pulpitum. Vide AMBO.

NARTHEX, locus, in quo primum viciniores portae infideles, tum Catechumeni, & Poenitentes ſecundi ordinis commorabantur. Defunctorum cadavera in Narthece apud *Graecos* detinentur, dum illis juſta perſolvuntur; omneſque ibi ſupplicationes, & rogationes fiunt.

NATALE GENUINUM, & *Ingenuinum*. In Miſſali GELASIANO extant Orationes Miſſae in *Natale genuinum*, nempe in diem, quo quis ex matris utero emerſit in lucem. Vide THOMASIUM in *Orationali Tom. II. pag.* 552. Hinc apud RHABANUM ad d. XXVIII. Januarii: *Romae* S. AGNETIS *genuinum*: ſupple *Natale*, quod antiquiores dixere *Nativitas* S. Agnetis *Virginis*, vel etiam, ut in eodem GELASIANO Sacramentario, *Natale ejuſdem de* NATIVITATE. Vide MAZZOCHIUM *Tom. I. Kal. Neap. p.* 17. *ſeq.*, & Equitem VICTORIUM *diſſert. Phil. p.* 20.

NATA-

NATALIS CALICIS, Feria V. in Coena Domini. Vide Coena Domini.

NATALIS CATHEDRAE. In pervetuſto *Bucherii* Calendario VIII. Kal. Martii occurrit *Natale Petri de Cathedra*. AUGUSTINUS quoque, aut alius antiquus Auctor Serm. XV. de Sanctis, *in feſto Cathedrae Sancti Petri: Inſtitutio Solemnitatis hodiernae a Senioribus noſtris Cathedrae nomen accepit, ideo quod primus Apoſtolorum* PETRUS *hodie Epiſcopatus cathedram ſuſcepiſſe referatur. Recte ergo Eccleſiae natalem Sedis illius colunt, quam Apoſtolus pro Eccleſiarum ſalute ſuſcepit*. Vide Cathedra S. Petri.

NATALIS *Epiſcoporum*, annua ſuſceptae ab ipſis ordinationis memoria: Uti olim Imperatores, inquit ROSWEIDUS *in ep. XVI.* PAULLINI, imperii ſui ortum, ſeu natalem celebrabant (quare in SILVII Laterculo X. Kal. Nov. adſcribitur *Natalis* VALENTINIANI *Purpurae*, & *in Bucheriano* Calendario VI. Idus Novembr. notatur *Natalis* CONSTANTII, ſcilicet, ut eſt in IDACII faſtis, dies, quo *levatus eſt* CONSTANTIUS *Caeſar*.) ita Romani Pontifices Cathedrae, ſeu Epiſcopatus ſui natalem celebrare ſunt ſoliti. SIXTUS Pontifex ad CYRILLUM Ep. *Alexandrinum* anno Chriſti CCCCXXX. *Ad beatum Apoſtolum* PETRUM *fraternitas univerſa convenit: ecce auditorium congruens auditoribus, conveniens audiendis. Habuerunt Coepiſcopi noſtri illum gratulationis teſtem, quem habemus honoris exordium. Sanctae namque, & venerabili Synodo, quam Natalis mihi dies favente Domino congregarat, quia ſic credendum eſt, ipſe praeſedit*. Idem Epiſtola ad JOHANNEM Epiſcopum *Antiochenum*: *Audivit univerſa fraternitas, quae ad Natalis mei convenerat diem, qualiter bono humani generis Apoſtolicae Sedis me praeſide gratulentur*. HILARIUS Papa in Epiſtola ad Epiſcopos *Tarraconenſis* Provinciae: *Lectis ergo in conventu fratrum, quos Natalis mei feſtivitas congregarat, litteris veſtris*. Ea feſtivitas inter ſolemnia connumerabatur, veluti illa indicant, quae profert ANASTASIUS Bibliothecarius in Vita HADRIANI PRIMI: *Denique ejus beatitudo fecit & pharum majorem in eadem* B. PETRI *Eccleſia in typum Crucis, qui pendet ante presbyterium, habentem candelas mille treceutas, & ſeptuaginta. Et conſtituit ut quatuor vicibus in anno ipſum pharum accenderent, ideſt, in Nativitate Domini, in Paſcha, in Natali Apoſtolorum, & in Natali Pontificis*. Neque id e more fuit tantummodo *Romanorum* Pontificum, ſed & ceterorum Epiſcoporum. Sic S. AUGUSTINUS ep. 108. n. 5., & lib. II. contr. litt. Petil. cap. 23. *frequentiſſima numeroſitate* Thamagudenſis OPTATI *Natalitia* celebrata perhibet, anniverſarium nempe ſuſcepti Epiſcopatus diem.

Primo Natalis cathedrae die Sermones ab Epiſcopis ipſis habiti. Ita GREGORIUS NAZIANZENUS *Orat. VII.*, item NYSSENUS *Tomo II. Operum*, CHRYSOSTOMUS *Tomo V. Operum*, ENNODIUS V. *Sacra dictione*. Aliquando aliorum panegyricis laudati: ita PETRUS Epiſcopus a CHRYSOLOGO Sermone CVII., LAURENTIUS *Mediolanenſis* Epiſcopus ab ENNODIO I. *Sacra dictione*. Quin & anniverſario Cathedrae die concionem habebant Epiſcopi. AUGUSTINUS Homilia XXIV. & XXV. ex libro I. Homiliarum; LEO Sermone I. II. & III. Sic XXX. anno Natali Sacerdotii, ſeu Epiſcopatus EPIPHANII dictio IX. dicta apud ENNODIUM lib. I.

Digitized by Google

lib. I. Carminum. Vide FERRARIUM lib. II. *de ritu Sacrarum Concionum*, *cap. XXXV.* Adi etiam BARONIUM in not. ad Martyr. XVIII. Jan., & MAZOCHIUM *in Kalend. Neap. Tom. II. p.* 570

NATALIS SANCTORUM. In Mſ. collectione Canonum Cardinalis LABORANTIS haec, teſte ANTONELLIO *in Miſſ. Vot. Rom. pag.* 24. *Tit. XIX.* primae Partis libri VI. de octavis diebus feſtivitatum, afferuntur ex Epiſtola 2. CAROLI Regis ad ALBINUM Abbatem: *Duas ſtolas ſunt habituri Sancti, glorificationem ſcilicet corporis, & glorificationem animae. Altera praecedit alteram, ſtola videlicet animae. Haec enim in die depoſitionis carneae gravitatis, & ſarcinae corporalis adcipitur: qui dies* Natalis, *ſeu* Natalitium hujus, illiuſque Sancti *vocatur. Tunc quippe vir Sanctus quum praeſenti miſeriae moritur, naſcitur aeternae felicitati. Dies, inquit, mortis dies Nativitatis, & ſociatur Angelicis Choris; & ut pro naſcente puero fieri ſolebat antiquitus, pro eo* Natalitium *celebratur in terris, de cujus adſumptione gaudium fit in Coelis, & cui veluti concorporali membro caetera membra congaudent.* Sic *Natalis Martyrii* in actis S. POLYCARPI; *Natale Sanctae* AGNETIS *de paſſione* in Sacramentario GELASIANO. Licet autem Paſſiones Martyrum, eorumque dies Natalis frequenter ipſo die, quo paſſi ſunt, recurrente celebrentur; frequenter tamen aliis etiam diebus recoluntur. Id videas in Calendario *Bucheriano*, in quo tam Epiſcoporum, quam Martyrum non dies mortis, ſed depoſitionis, ſive quo ſepulti ſunt, ſignatur. Non raro etiam contingit, ut feſtum celebretur die Translationis Reliquiarum, (ſic *Natalis Reliquiarum* STEPHANI *Protomartyris* in Martyrologio HIERONYMIANO recolitur IV. Non. Aug.) aut die Dedicationis Baſilicae, aut demum die ab Epiſcopo, vel a Synodo, vel ab ipſa conſuetudine ob commodum populi adſignato. Tamen feſtivitas, quocumque tandem die recurrente celebretur, *dies Natalis*, dieſque *paſſionis* plerumque nuncupatur: ab exemplis abſtineo, quia obvia ſunt.

NATIVITAS DOMINI. Concilium *Toletanum X. cap.* 1. ſtatuit, ut Nativitas Domini noſtri Salvatoris *octavo Kalendarum Januarii* celebretur; quo tamen decreto nihil novae conſuetudinis inductum eſt: nam proculdubio ante annum 656. Solemnitas Natalis Domini fixa erat ad diem 25. Decembris in omnibus Eccleſiis *Hiſpaniae*. *Johannes* Epiſcopus *Nicenus*, incertae aetatis Scriptor, apud *Combefiſium Hiſt. Monothelit.* ait, JULIUM Pontificem Romanum Eccleſiis omnibus die 25. Decembris Natalem Chriſti celebrandum tradidiſſe. Magis credibile eſt, feſtivitatem hanc ab Apoſtolis, & Apoſtolicis Viris, qui fidem Chriſti in Occidente diſſeminaverunt, & inſtitutam, & VIII. Kal. Jan. celebratam eſſe. Sane CHRYSOSTOMUS *Hom. in Nat. Domini Tom.* 2. *oper. p.* 355. *edit. novae* aperte adſerit, hanc ſolemnitatem in *Oriente* ante decennium celebrari coeptam eſſe. In Eccleſiis *Ponti*, & *Cappadociae* citius, in *Aegypto* ſerius idem mos receptus eſt. Anno 425. lex THEODOSII JUNIORIS *de Spectaculis* edita eſt, *L. Dominico* 5. Th. de *Spectaculis*, qua Spectacula edi prohibentur die Natali Domini, die Epiphaniorum, Paſchae, & Pentecoſtes diebus. In Calendario apud BOLLANDISTAS *Tom.* 7. *Junii p.* 178., quod anno 448. exaratum eſt, VIII. Kal. Jan. ſignatur *Natalis Domini corporalis*. Apud eoſdem *ibid. pag.* 186. ſunt

faſti

faſti conſulares ad an. Aer. vulgaris 493. pertinentes, in quibus AUGUSTO XII. & SYLLANO (lege SULLA) Coſſ. legitur: *Chriſtus natus eſt VIII. Kal. Jan. Luna XIV.* Calendarium *Carthaginenſe* habet: *VIII. Kal. Jan. Domini noſtri Jeſu Chriſti filii Dei Natalis.* Sacramentarium S. LEONIS: *VIII. Kal. Jan. Natale Domini.* In *Hiſpania* Concilium *Bracharenſe I.* anno 561. *Can.* 4. ſancivit: *Si quis Natalem Domini non bene honorat..... anathema ſit*, & leges *Wiſigothorum lib. 2. Tit. 1. de Indiciis, & Judicatis lege XI.*, *& lib. 12. Tit. 3. de novellis legibus Judaeorum leg. 6.*, forum vacare die Natalis Domini, & feſtum ſollicita devotione celebrare, jubent. De ritibus porro, quibus *Romae*, atque aliis in Eccleſiis fauſtiſſimus hic humano generi dies celebrabatur, conſule MARTENIUM, GRANCOLASIUM in Breviar. *lib. II. cap.* 14., & BENEDICTUM XIV. *lib. I. de Feſt. cap.* 17. Unicam Miſſam feſto Natalis Domini adtribuit Miſſale *Gallo-Gothicum*, Lectionarius *Luxovienſis*, & Sacramentarium *Bobienſe*. At *Romae*, vetuſto more, tres Miſſae in Natali Domini celebrabant, unam nocte, aliam mane primo, tertiam de die. Confer Sacramentaria S. LEONIS, GELASIANUM, & GREGORIANA, & ſimul Calendaria FRONTONIS, & MARTENII, & capitularia THOMASII, & GEORGII.

NATIVITAS B. Virginis. Feſtum Nativitatis B. Virginis *Galli* antiquitus colebant, ut diſtincte innuit *conteſtatio* Miſſae Adſumptionis in Miſſali *Gallo-gothico*: ſic enim de Beata Virgine canebant: *Cujus ſicuti gratulati ſumus ortu, tripudiavimus partu, ita glorificemur in tranſitu*: attamen in libris Liturgicis *Gallicanis* nulla exſtat Miſſa propria pro Nativitate Deiparae, quia fortaſſe Miſſam communem B. MARIAE celebrabant, & ejuſmodi Miſſa communis exſtat in Sacramentario *Bobienſi* ante Miſſam Adſumptionis? An *Gotho-hiſpani* celebraverint feſtum Nativitatis B. Virginis, LESLAEUS incertus haeret. Illud conſtat, nullum ejus feſtivitatis officium proprium exſtare aut in Orationali *Gothico*, aut in Breviario *Mozarabum*. Miſſam autem hanc, quae in Miſſali *Mozarabico* legitur, patet a *Mozarabibus* eſſe conſarcinatam. Caeterum Nativitatem B. Virginis *Graeci*, & *Latini* die VIII. Septembris colunt, illi in *Menaeis*, & in *Menologio* BASILII; hi in praecipuis Martyrologiis omnibus, S. HIERONYMI, BEDAE, RABANI, ADONIS, USUARDI, in *Gellonenſi*, in *Romano* parvo, & in *Romano* BARONII. Unicum exſtat HIERONYMIANUM *Epternacenſe*, in quo XVI. Auguſti Nativitas Virginis enunciatur: at cum caeteris Martyrologiis conſentiunt Sacramentaria *Gelaſianum*, & *Gregoriana*, & Vetuſta Evangeliorum Capitularia, quibus die VIII. Auguſti inſcribitur Nativitas B. Virginis MARIAE. Sacramentarium S. LEONIS, & Capitulare Epiſtolarum *Mediolanenſe Em.* THOMASII feſtum Nativitatis B. Virginis non enuntiant: quo etiam argumento Sacramentarii *Leoniani* probatur antiquitas. Sed de Solemnitatis hujus antiquitate plura, ſi vacat, apud *Em.* BARONIUM in notis ad Martyrologium die VIII. Septembris legas, & adde, in Statutis S. BONIFACII *Moguntini* Epiſcopi feſtum Nativitatis B. MARIAE inter eas Solemnitates numerari, quibus ab opere ſervili abſtinendum erat. VI. Idus Septembris, atque adeo ſaeculo VIII. in *Germania*, & vicina *Gallia* inter praecipuas ſolemnitates celebrabatur. De eadem feſtivitate meminit ANA-

STA-

Digitized by Google

STASIUS Bibliothecarius in SERGIO I., quae *Romae* ſaeculo VII. fluente agebatur.

NAVELLUM, ſepulcrum, tumulus &c. *Cum autem morerentur, ſepeliebantur in Eccleſia* S. AMBROSII *in* Navello *marmoreo rubeo, quod erat poſitum ſuper duos Leones marmoreos rubri coloris.......& ſuper* Navellum *eſt una Aquila, ubi cantatur Evangelium, & Epiſtola.......*ALLICO *poſt paucos dies obiit, & fuit ſepultus in* Navello *Comitum* Angleriae, *in* S. AMBROSIO. PURICELLUS *loc. cit. p. 769. ſeq.*

NAVICULA, Acerra, vaſculum illud, in quo ponitur incenſum, dictum & *Pyxis*.

NAVIS, Gremium, pars amplior Baſilicae, ſeu media. Vide Gremium Eccleſiae.

NECROLOGIUM, liber, in quo mortuorum nomina ſcribuntur.

NECROTHYTA, res mortuis ſacrificata. *Si ergo gulam, & ventrem ab inquinamentis liberamus, quanto magis oculos, & aures ab idolothytis, & necrothytis voluptatibus abſtinemus.* TERTULL. *de ſpectac. c. 13.*

NEOPHYTUS. Vide Dominica in Albis, Infantes, Lac & Mel. Neophytos antique e Baptiſterio in Baſilicam introductos ſeorſim a coetu Fidelium, circa altare collocabant. S. AMBROSIUS *de iis qui myſt. initian. cap. 8. His abluta plebs, dives inſignibus ad Chriſti contendit altaria.* S. HILARIUS *Pictavienſis*, aut alius vetuſtiſſimus Tractator apud MARTENE, & DURAND. *Veter. ſcript. coll. ampliſſ. Tom. 9. col. 78.* in tractatu die Paſchatis ad Neophytos habito: *Solemnitas Paſchae eſt, & innovationis myſteriorum iſte dies, in quo deponentes in Baptiſmo veterem hominem, novi homines effecti, ſanctum altare circumdant.* Et S. PAULLINUS *epiſt. 12. ad Severum*:

Unde parens ſacro ducit de fonte Sacerdos
Infantes niveos, corpore, corde, habitu:
Circumdanſque rudes feſtis altaribus agnos
Cruda ſalutiferis imbuit ora cibis.

Nam Neophyti offerebant, & communicabant: unde in Sacramentario *Gregoriano* MENARDI monet rubrica, ut infantes *non prohibentur lactari ante communionem ſi neceſſe fuerit.* At in Ordine *Romano* HITTORPII *pag. 77.* cavetur, ne parvuli ante communionem lactentur *ſine ſumma neceſſitate.* Nimirum ea tum erat diſciplina Eccleſiae, ut Neophyti omnino communicarent ſtatim a lavacro, etiamſi jejuni communicare non poterant, quod parvulis haud raro contingebat.

NERVUS. Eſt ferreum vinculum, quo pedes impedirentur, quo etiam & cervices implicarentur, ut FESTUS eſt auctor. Vide etiam ISIDORUM *lib. IX. Origin.*

NEUME, NEUMATA &c. ſunt notae illae, quae in fine vocis *alleluja* prolixe decantantur. *Solemus*, inquit S. BONAVENTURA *lib. de expoſit. Miſſae cap. 2., longam notam poſt* alleluja *ſuper hanc litteram, & prolixius decantare, quia gaudium Sanctorum in coelis interminabile, & ineffabile eſt.* HUGO VICTORINUS *de Myſt. Eccl. Quando Sequentia dicitur, poſterius* Alleluja *non habet neuma.*

Digitized by Google

NIMBUS. Hanc honoris notam ab *Aegyptiis* derivatam *Romani* cooptarunt, qui eo inſigni Deorum aeque ac Imperatorum capita pro majore cultu ornare conſueverunt. Quare SERVIUS *in lib. III. Aeneid. verſ.* 590. ait: *Proprie nimbus eſt, qui Deorum, & Imperantium capita, quaſi nebula clara, ambire fingitur*. Quamobrem inter varios uſus, quos Chriſtiani ab Gentilibus mutuati aliquibus videntur, fuit fortaſſis & uſus nimbi ad honeſtandas effigies tam Chriſti JESU, Angelorum, & Sanctorum, quam illuſtrium Virorum. PAGIUS in Critica ad ann. 394. n. 4. *magnopere obſervandum eſſe*, ait, *Chriſtianos veteres, ferme primis quatuor ſaeculis, nec Chriſto, nec Apoſtolis, nec ulli ſuperum ejuſmodi circulos adhibuiſſe. Quod vel ex Tumulis Romanis apud* ARINGHIUM *in Roma ſubterranea manifeſtum eſt; in quibus Tumulis Chriſti, & Apoſtolorum, aliorumque ante Chriſtum Divorum longe plurimae imagines nudis capitibus ſine circulis ſculptae cernuntur. Sunt hae Tumbae pleraeque* CONSTANTINO MAGNO *aut aequales, aut ſuppares*. Cl. PAGIUS penitus non negat iiſdem prioribus Eccleſiae ſaeculis ad exornanda Chriſti, Sanctorumque capita nimbo Chriſtianos uſos fuiſſe: nam & ipſe animadvertit, ut puto, ARINGHIUM (*Romae ſubterr. Tom.* 1. *pagg.* 379. 383.) cum hocce nimbo protuliſſe Chriſti *Jeſu*, & Sanctorum ſchemata Coemeterii PONTIANI, temporibus CONSTANTINI M., (*ibid. Tom. II. pag.* 273.) & vetuſtiſſimam imaginem S. PAULLI Coemeterii PRISCILLAE, cui eſt inſcriptio: PAULUS PASTOR APOSTOLUS; ſicut in duobus orbiculis vitreis (*ibid. pag.* 689.) antiquiſſimis effigies Chriſti, & Deiparae eodem dignitatis circulo exornantur. In aliis hujuſmodi rotundis vitris in veterum Chriſtianorum Sepulcris adinventis, & a BONARROTIO (*Tabb.* 4. 5. 9. 17.) eximia doctrina explicatis, ſimiliter laudatae ſacrae Imagines nimbo decoratae cernuntur. BOLDETTUS (*lib. I. C. XXXIX.*) alia in aliis vitris exempla pro more eruditiſſime exhibet; ejuſque Socius Cl. MARANGONIUS in Notis ad Acta S. VICTORINI (*pag.* 38. 39.) nonnulla pariter hujuſce rei monumenta in medium adfert. Hoc tamen animadvertendum, Chriſti, Martyrumque imagines ad medium ſaeculum VI. nunc nimbo ornatas exſtare, nunc etiam illo deſtitutas, cujuſmodi Apoſtoli ſunt in Muſivo, quod CIAMPINIUS adfert *Tom.* 1. *n.* 27., ſed perperam adſcripto a typographis ann. 643. pro 463., aut potius 468., ut monuit eruditiſſimus Cajetanus BUGATUS in libro praenotato: *Memorie Storico-Critiche intorno le reliquie, ed il Culto di S. Celſo Mart. pag.* 83. Ab eo autem tempore in omnibus fere cum Orientis, tum Occidentis monumentis conſtanti uſu Sanctorum imagines nimbum praeſeferunt.

NOBULAE, NEBULAE, NEVOLAE ſignificant hoſtias, ſeu oblatas, ſcilicet panem ſubtiliſſimum, qui in ferro caracterato conficitur. *Si forte ſunt in promtu cruda poma, vel ea, quae in ferramento caracterato de conſperſione farinae tenuiſſimae fiunt, & ab hominibus* Romanae *linguae Nobulae, & a noſtratibus appellantur Oblatae*. MARTENE &c.

NOCTURNUM Officium inde dictum fuit, quod noctu recitaretur. Et quidem inter omnes officii Horas Nocturna quoad antiquos celeberrima eſt. Vetuſtiſſimi enim Chriſtianorum, vel ipſis Ethnicis teſtantibus, eam ſanctiſſime ſervabant. *Ad Hymnos*, inquiunt PLINIUS *Junior* epiſtola 75. l.

1. &

1. & LUCIANUS in Dialogis, *tota nocte decantantes, vigilantes.* *Die Feſto Chriſtiani*, ait AMMIANUS MARCELLINUS, *in Eccleſia pernoctabant*, & LACTANTIUS lib. 7. cap. 19. *Nocte vigilias laboramus propter adventum Regis, ac Dei noſtri*. Hora autem, qua Nocturnum officium peragebatur, eadem ubique nequaquam fuit. Ceterorum moribus ſilentio praetermiſſis, *Romani* ſolemnioribus diebus, quibus duplex officium recitabatur, primam Matutini partem prima noctis hora; ideſt poſt ſolis occaſum decantabant: *In initio, ſeu crepuſculo noctis*; ſecundam vero ad primum galli cantum. Diebus vero, quibus officium unicum erat recitandum, hora ad galli cantum decernebatur, hoc tantum adpoſito diſcrimine, quod tribus ante Paſcha diebus officium media nocte eſſet peragendum: *Ad vigilias media nocte*; unde noctis medium a galli cantu diſtabat, quamquam *Romae* per primum galli cantum media nox intelligebatur. Natalis enim Chriſti diei prima Miſſa mediae noctis Miſſa appellabatur; *vel Miſſa ad primum galli cantum, ſive in galli cantu*. Exploratum vero eſt, olim unicum fuiſſe Nocturnum in noctis officio, eumque duodecim pſalmis conſtitiſſe, ſicuti ad noſtra tempora Ferialibus diebus, atque in primo Dominicae Nocturno fieri ſolet. Poſtmodum tres a Monachis nocturni praeſcripti ſunt, qui non continenter recitabantur, ſed per intervalla. Inſtituti autem fuerunt, quemadmodum AMALARIUS docet *lib. IV. cap. 7.*, ut tribus vigiliis juxta veterem loquendi rationem recitarentur: *Prima Vigilia, ſecunda Vigilia, & tertia Vigilia*. Hinc S. HIERONYMUS in Epiſtola ad EUSTOCHIUM ei ſuadet, ut bis, vel ter noctu ad orandum ſurgat: *Noctibus bis, terve ſurgendum*. Horum quoque trium temporum, Veſperi ſcilicet, mediae noctis, atque horae antelucanae meminit S. BASILIUS in Reg. c. 37. *Primis impendentibus tenebris ſequetur petitio, ut quies, quam ſumus capturi &c.... tempore mediae noctis, juxta traditum a* PAULLO, *&* SILA, *& ante diluculum ad orationem ſurgendum eſt*. Hos Nocturnos, quot erant, tot Chori recitabant, ut per vices ſingulis officiis intereſſent: ſe mutantibus Clericis, ait Scriptor Vitae S. GERMANI *Pariſienſis* de hujus Eccleſiae Clericis, pleruṁque tamen iidem erant, qui ad ſingulos Nocturnos ſurgebant. Poſtea conjuncti ſunt, quod nimis arduum viſum fuerit ter per noctem cubitum concedere, ac totidem vicibus ſurgere.

NOLA, Campana. STRABO *cap. 5. rer. eccleſiaſt. A Campania* Italiae Provincia eadem Vaſa majora quidem Campanae dicuntur; minora vero, quae & a ſono tintinnabula vocantur, Nolas appellant a *Nola* ejuſdem civitate CAMPANIAE. Vide TINTINNABULUM.

NOMEN. Catechumeni quum nomen darent, Competentes, & Subſcripti vocabantur. Vide CATECHUMENI. Vetus mos fuit, ut Epiſcopi ſua aliquando, quum ordinarentur, nomina mutarent. Sic S. WILLIBRORDUS *Trajectenſis* Epiſcopus a SERGIO I. ordinatus, CLEMENTIS nomen ab ipſo Pontifice accepit, teſte BEDA *hiſt. Anglor. lib. V. cap.* 12. Sic etiam magnus ille *Germanorum* Apoſtolus S. BONIFACIUS ante Epiſcopatum WINFRINDUS appellabatur. *Syri* etiam, & *Graeci* Epiſcopi mutant nomen, adſumpto quopiam alio Majorum ſuorum Sanctimoniae fama illuſtrium. Nunc in *Latina* Eccleſia ea nominis mutatio penes ſolos *Romanos* Pontifices ſuper-

 eſt,

Digitized by Google

eſt. Primus Romanorum Praeſulum fuit, ut narrant, JOH. XII. antea OCTAVIANUS dictus. Imponebatur autem novo Electo Pontifici ſive a Priore Diaconorum, ut fert Ordo *Rom.* XV., ſive a Primiſcriniis ipſius Electi arbitrio.

NOMEN B. V. Vide Mariae Nomen.

NOMENCLATOR, ſeu NOMENCULATOR, & NOMENCULARIUS: Erat illius munus ad menſam Pontificis invitandos invitare. Solebant enim Romani Pontifices, ut & Epiſcopi, quoties ſolemnem Miſſam celebrarent, Primates e clero, qui altari deſerviebant, ad menſam invitare, quod officii genus per Nomenclatores explebant. Praeterea Conciliis Nomenclator eos exhibebat, quos Patres audire vellent; quod in Romana A. DCCXLV. Synodo a GREGORIO Nomenclatore factum novimus cum DENEARCO S. BONIFACII legato, quem in Patrum conſpectum adduxit. Conſtat quoque ex Ordine *Romano* Nomenclatoris fuiſſe, uti & Sacellarii, eorum, qui a Pontifice, ubi ab equo deſcendiſſet, audiri vellent, cauſſas cognoſcere, Pontifici indicare, & finire. Quare Cl. GALLETTO, qui Nomenclatorum ſeriem dedit in libro *de Primicerio pag.* 162. *ſeqq.*, idem eſt Nomenclator, qui & *Adminiculator*, etſi PANVINIUS alterum ab altero habuiſſe diverſum videtur. Quandoque Nomenclatores Pontificum diplomata dederunt. Diploma Paſchalis I. A. D. 817. pro monaſterio Farfenſi datum eſt *Kal. Februarii per manus* THEODORI *Nomencularii ſanctae Sedis Apoſtolicae*. V. Adminiculator.

NONA. Nonae officium ita appellatum fuit, quod nona diei hora diceretur. Potiſſima autem ratio, ob quam hora nona preces fundimus, haec eſt, quod hac nimirum hora Dominus Jeſus extenſis in Cruce manibus damnatam in primo homine poſteritatem ad eſum Ligni Vitae revocavit. Hac etiam hora CORNELIUS Centurio vir religioſus, ac timens Deum in oratione poſitus Angelum Domini videre meruit, a quo monitus eſt adcerſere PETRUM, & audire ab illo verba vitae. Eadem hora PETRUS, & JOHANNES adſcendentes in Templum, claudo a matris utero per fidem, & invocationem nominis Chriſti ambulandi uſum contulerunt. Vide ſupra V. Jejunium.

NONAE, & DECIMAE, quinta pars fructuum ex praediis, quae Laici ab Eccleſiis tenebant in feudum. Inter capitula LUDOVICI Imperat. hoc erat a REGINONE prolatum *lib. I. de Eccleſ. diſcipl. n.* 36. *Et qui nonas, & decimas dare neglexerit, primum quidem illas cum lege ſua reſtituat, inſuper & bannum noſtrum ſolvat, ut ita caſtigatus caveat, ne ſaepius iterando beneficium amittat*. Hinc, inquit BALUZIUS ad eum REGINONIS locum, nonarum, & decimarum inveſtitura memoratur in diplomate KARLOMANNI Regis pro Eccleſia *Aurelianenſi*. Hinc LAMBERTUS *Cenomanenſis* Epiſcopus ad HILDEBRANDUM *Sagienſem* Epiſcopum ſcribit, excommunicatum a ſe fuiſſe RAINONEM quemdam, qui nonam, & decimam Eccleſiae ſuae retinebat.

NOTARIUS, a nota dictus, vel a notando, quod ſcribendo cuncta notaret. CLEMENS Papa primus ſeptem Notarios per totidem Urbis regiones inſtituit, ad res geſtas Martyrum diligenter ſcribendas. Quibus Notariis ſeptem Subdiaconos ab ſe recens creatos imminere juſſit FABIANUS, ut ac-

Digitized by Google

ut accurate munus ſuum implerent. Quibus ne, pace Eccleſiae parta, & martyrio ſublato, deſides eſſent, JULIUS Papa injunxit, ut notitia, quae omnibus fidem faceret, per eos colligeretur, & ut omnium monumentorum in Eccleſia confectio, Notariorum, & ipſius Primicerii munus eſſet (ita enim ipſorum primus, quem aliquando Cancellarii munus obiiſſe obſervavi, vocabatur); haec autem, quo ad cautiones, inſtrumenta, donationes, commutationes, teſtamenta, colligationes, & manumiſſiones intelligi voluit. Hi autem Notarii dicti ſunt *regionarii*, quia per ſeptem regiones diſtincti muneri ſuo vacabant; quorum uſus diu manſit. Qui etiam inter cetera populo per Urbem indicebant, quando Papa Litanias, ideſt proceſſiones, vel ſupplicationes facere, aut ubi Miſſam celebrare, vel ſtationem habere conſtituiſſet. Pontificis quoque mortem, novique electionem ex ambone, aliove excelſo loco nunciabant. Inter illorum munera fuit etiam Pontificum diplomata ſcribere. Aucto deinde Notariorum numero, qui ex ſeptem illis primis fuerunt, Notarii regionarii, vel Notarii Sacri Palatii, vel Protonotarii vocati ſunt: reliqui Notarii ſimpliciter. De his plura, nec protrita dabit Cl. GALLETTUS in libro *de Primicerio*. In aliis quoque Eccleſiis Notariorum munus eminebat. Vide MAZZOCHIUM *in Kalend. Neap. Tom. I. pag.* 129., ubi & illud invenies, Notariorum fuiſſe, virgam, ſeu baculum ante Epiſcopum portare. Nam id diſerte traditur *lib. II. de Vita* B. CAESARII *Arelatenſis*.

NOVEMDIALES FERIAE, & SUPPLICATIONES in honorem Sanctorum. Illas ab initio ſaltem ſaeculi XV. apud Fideles in uſu fuiſſe, teſtis eſt JOHANNES GERSONIUS, qui eaſdem & pie defendit, & utiliter moderatur. „ Condeſcendendum eſt, *inquit*, quandoque fragilitati, & debili devotioni hominum, & paucae fidei, qui nequeunt ſic ferri in Deum immediate. Et ex hoc poſſunt excuſari Novenaria, quae fiunt cum certis obſervationibus, quas credunt ſimplices eſſe neceſſarias, & quod alioquin nihil valeret, quidquid agerent: ut ſi ſolum eſſent octo dies, vel ſi undecim eſſent; ſimiliter ſi detur candela longitudinis illius, qui offert, quod plus prodeſt, quam longior; & ita de ſimilibus innumeris. Non eſt igitur quaelibet talis obſervantia condemnanda, & extrahenda tanquam impia: ſed potius ſtudendum eſt, ut illud, quod fit, fiat intentione pia ad Deum, & ſub ſpe auxilii ſui ab ipſo, & non altero quolibet, conſequendi. Sic pie poteſt dici verſus prior: *Dirupiſti vincula mea*, & ſimilia, non de adſertione certa, quod habeat vim hujuſmodi; ſed quia devotio dicentis hoc mereretur, adjuvante gratia Dei, & ſpes interim ſua vigoroſius elevatur. „

Vetus etiam Novemdialium uſus colligi poſſe videtur ex iis, quae de Regibus *Galliae* narrat *Gulielmus* MARLOT, *Hiſtoriae Remenſis* Scriptor accuratus, apud P. DANIELEM PAPEBROCHIUM in Actis Sanct. Maji Tom. I. die 1., videlicet: *Statim poſt inaugurationem Remis celebratam, illuc* (ideſt ad Sepulcrum S. MARCULPHI Abbatis in *Corbiniaco* Monaſterio) *a multis retro temporibus peregrinari ſolent; ubi Novenam per ſe, vel per unum ex Eleemoſynariis perficiunt, cultumque ſuum erga praedictum Confeſſorem teſtantur, quibuſdam donariis, & immunitatibus Eccleſiae, ac civibus loci impertiis,*

NOVE.

NOVENA, NOVENARIUM. Vide ſupra NOVEMDIALES FERIAE. Novenarium praeterea tum apud BERNARDUM *Ordin. Cluniac. P. II. cap.* 15., tum apud UDALRICUM *lib. II. Conſuetud. Cluniac. cap.* 22. novem Pſalmos ſignificat, qui in Matutinis cantantur.

NOVUS IGNIS. Mos erat apud *Hiſpanos* antiquos novum ignem e ſilice petere: quare PRUDENTIUS *Hymn. 5. Cathemer. cecinit*:

Incuſſu ſilicis lumina nos tamen
Monſtras ſaxigeno ſemine quaerere;
Ne neſciret homo ſpem ſibi luminis
In Chriſti ſolido Corpore conditam
Qui dici ſtabilem ſe voluit petram;
Noſtris igniculis unde genus venit,
Pinguis quos olei rore madentibus
Lychnis, aut faſcibus paſcimus aridis:

In *Gallia* ignem novum aut e ſilice excutiebant, aut collectis cryſtallo ſolis radiis accendebant. Mos idem erat Eccleſiae *Ticinenſi*, atque adeo *Mediolanenſi*, aut certe illi Eccleſiae, pro qua ENNODIUS *benedictiones cerei* ſcripſit; iis vero, qui ritus Romanos ſequebantur, mos erat feria quinta, aut ſexta, pro diverſitate Eccleſiarum, unam aut plures lampades, in ſecreto quodam Eccleſiae loco, continuo ardentes habere; unde Sabbatho Sancto novum ignem accendebant. Vide Epiſtolam ZACHARIAE Papae ad S. BONIFACIUM *Epiſt.* 142. *inter Epiſt.* S. BONIF. *Bibl. Patr. Colon. Tom.* 8. *p.* 133., & Breviarium Eccleſiaſtici Ordinis, *Theſ. nov. anecd. Tom.* 5. Demum adverte, in aliquibus Eccleſiis ſingulis diebus hujus tridui, nimirum feria V., VI., & Sabbatho majoris hebdomadae, excitatum eſſe novum ignem: in *Hiſpania*, nonniſi Sabbatho Sancto, ignem novum e ſilice excitatum invenimus.

NUMISMA SACRUM. Jam anno 1200. conſueviſſe Peregrinos, qui Romam veniebant, plumbea, vel ſtannea numiſmata, praeſertim *Veronicas*, ſeu Vultum Sanctum in Lateranenſi Baſilica adſervatum exhibentia, coemere, ſuiſque pileis adligata in patriam deferre, auctor nobis eſt INNOCENTIUS III. *ep.* 533. Morem tamen illum, qui paſſim obtinet, in Corollis, Roſariiſque ſacra haec numiſmata appendendi, multo recentiorem eſſe, nec niſi coeptum a. 1566., ex FAMIANO STRADA habes *de Bello Belgico decad. I. lib.* 5.

NUPTIAE. Non ſecundas modo Nuptias, ſed & tertias, & ulteriores, prioribus morte conjugis diſſolutis, celebrari ſine crimine poſſe, ſemper Eccleſia ſenſit. S. AMBROSIUS L. de viduis, longe poſt medium: *Non prohibemus*, inquit, *ſecundas nuptias, ſed non probamus ſaepe repetitas. Neque enim, quidquid licet, & decet. Omnia mihi licent, dicit Apoſtolus, ſed non omnia ſunt utilia. Et vinum bibere licet, ſed plurimum non decet. Licet ergo nubere, ſed pulchrius eſt abſtinere.* Et S. HIERONYMUS Ep. 50. ad PAMMACHIUM: *Libera voce proclamo, non damnavi in Eccleſia digamiam, imo nec trigamiam, & ita licere quinto, & ſexto, & ultra, quomodo & ſecundo marito nubere; ſed quomodo non damnantur iſtae nuptiae, ita nec praedicantur.* Et ep. II. ad AGERUCHIAM viduam: *Quid igitur? damnamus ſecunda ma-*

trimo-

Digitized by Google

trimonia? minime, ſed primā laudamus: abjicimus de Eccleſia digamos? abſit; ſed monogamos ad continentiam provocamus.... Rem dicturus ſum incredibilem, ſed multorum teſtimoniis adprobatam. Ante annos plurimos, cum in chartis Eccleſiaſticis juvarem (DAMASUM) *Romae urbis Epiſcopum, & Orientis, atque Occidentis Synodicis conſultationibus reſponderem, vidi duo inter ſe paria viliſſimorum e plebe hominum comparata, unum, qui viginti ſepeliſſet uxores, alteram, quae vigeſimum ſecundum habuiſſet maritum, extremo ſibi, ut ipſi putabant, matrimonio copulatos. Summa omnium expectatio virorum aeque ac feminarum.... quis quem prius efferret. Vicit Maritus, & totius urbis populo confluente coronatus, & palmam tenens.... uxoris multinubae feretrum praecedebat.* Atque hinc *Montaniſtas*, & *Novatianos* jam olim damnavit Eccleſia eo etiam ex capite, quod communicare digamis nollent, ut patet ex Concilio *Nicaeno I.*, quod *Can.* 8 ita habet: *De his, qui ſe nominant* CATHAROS, *ideſt mundos, ſi aliquando venerint ad Eccleſiam Catholicam, placuit ſancto & magno Concilio.... eos ſcriptis profiteri, quod Catholicae & Apoſtolicae Eccleſiae dogmata ſuſcipient, & ſequentur, ideſt & bigamis ſe communicare, & his, qui in perſecutione prolapſi ſunt.* Apud *Latinos* tamen ſecundo nubentes privabantur olim eleemoſynis Eccleſiae, ut docet idem S. HIERONYMUS l. 1. contra JOVIN. c. 8. *Quae duos habuit viros, etiamſi anus eſt, & decrepita, & egens, Eccleſiae ſtipes non meretur adcipere.* Apud *Graecos* vero mulctabantur poenitentia publica; ita enim Synodus *Laodicena* ſtatuit Can. 1. *Oportet ſecundum Eccleſiaſticum Canonem eos, qui libere, & legitime ſecundo nuptiis connexi ſunt, nec occultam permixtionem operati ſunt, pauco tempore tranſacto, vacare orationibus, & jejuniis, & ſecundum veniam reddi eis communionem.* Nimirum Eccleſia ſecundas nuptias minus perfectas habuit, quam primas. Nam repetitae nuptiae nec tam perfecte Chriſti cum Eccleſia conjunctionem ſignificant, nec tam prolis ſuſcipiendae deſiderio, quam luxuriandi animo interdum contrahuntur. V. MISSA NUPTIALIS.

NYMPHAEUM. Vas aquae, quod ponebatur ante fores Eccleſiae, ut Fideles ingreſſuri manus lavarent. Nymphaeum, & triporticum ante Oratorium Sanctae Crucis memorat ANASTASIUS in HILARO. V. CANTHARUS.

O

O. Antiphonae, quae dicuntur in Adventu, incipiendo a die 17. Decembris, uſque ad diem 23., majores vocantur, eo quod majori cum ſolemnitate decantantur. Olim inchoabantur a die 16. & ultimo loco haec dicebatur: *O Virgo Virginum, quomodo fiet iſtud, quia nec primam ſimilem viſa es, nec habere ſequentem? Filiae Jeruſalem, quid me admiramini? Divinum eſt Myſterium hoc, quod cernitis.* Cujus quidem meminit AMALARIUS *lib.* 2. *de Ord. Antiphon. c.* 13. Secundum autem Eccleſiarum diverſitatem, diverſam etiam ſolemnitatem in earum cantu ſortiebantur. Sufficiat haec adſcribere, quod MARTENIUS ex Conſuetudinibus *Floriacenſibus* refert. *Antiphonam O. prima die dicet Abbas, ſecundam Prior, tertiam Hortolanus, quartam Celerarius, quintam Theſaurarius, ſextam Praepoſitus, ſeptimam Armarius,*

octavam

Digitized by Google

ctavam Magiſter operis; *erat & Capicerius*.

O SALUTARIS HOSTIA. Stropham hanc cantabant Monachi *Caſalini* ex MARTENE, ad elevationem SS. Sacramenti, idque propter inſtantes neceſſitates bellorum, & haereſim. Card. BONA *l.* 2. *rer. Liturgic. c.* 13. *n.* 2. haec habet. *Solent quaedam Galliarum Eccleſiae, dum tollitur in altum Hoſtia, eos verſiculos canere: O Salutaris Hoſtia, idque rogante* LUDOVICO XII. *ab Epiſcopis Regni illius, ingruentibus undique bellis, ſtatutum fuit, quum tamen ſatius ſit Chriſtum in ſilentio adorare, ſicut conſuevit Romana Eccleſia*. In multis autem Eccleſiis *Ambroſianis*, & maxime ruralibus, canuntur praedicti verſiculi poſt datam benedictionem populo cum SS. Sacramento, quo tempore a Sacerdote reponitur in tabernaculo.

OBEDIENTIALES, officiales qui nunc vel *Punctatores* paſſim, vel *Camerarii* vocantur, olim Obedientiales dicti, quaſi ex obedientia (opinor) ad officium diſtributorum quotidianarum erogationum deſtinati. Abſolute Obedientialem interpretantur *diſtributorem chori* Fratres MACRI. Alio plane ſenſu haec vox adcipitur a PETRO diacono tum *Chron.* CASIN. *lib. IV. cap.* 102., tum in *diſciplina* CASINENSI *p.* 3. *Vet. diſc. Monaſt.*, ad deſignandos ſcilicet Monachos, qui in cellas, & Prioratus ſeu obedientias mittebantur, eaſque procurabant. Hujuſmodi ann. MCCCVIII. fuit D. JACOBUS Monachus S. PAULLI *Obedientiale Caſtrorum Flaviani, & Civitatucule*, cujus mentio fit in veteri charta a Cl. GALLETTO indicata *pag.* 53. diſſertationis inſcriptae: *Capena Municipio de' Romani*.

OBLATA. Saeculo Chriſti VIII., ut ex MABILLONIO obſervat GEORGIUS *Tom. II. pag.* 201., oblatae nomine intelligebant Fideles non panem cibarium, & uſitatum, ſed formulam quamdam rotundam ex tenui farina confectam, qualem modo in ſacrificiis adhibemus. Id autem liquet ex verbis ISONIS Monachi ſancti GALLI, qui de miraculis S. OTMARI Abbatis ſancti GALLI, vita functi Ann. D. 759., haec narravit, dum ejus tranſlationem medio ſaeculo IX. factam memorat: *Sub capite autem, & circa pectus viri Dei quaedam panis rotulae, quae vulgo oblatae dicuntur, ita illaeſae, atque ab omni corruptione extraneae, ab eodem Epiſcopo* (Salomone) *inveniebantur, ut in nulla omnino parte colorem, vel ſpeciem ſui amittentes adſpicientium oculis infra ſpatium ipſius hebdomadae videantur confectae*. Mos enim olim fuerat, ut Epiſcopi cum ſacra Euchariſtia, poſita circa pectus, ſepelirentur, ut habetur de ſancto CUTBERTHO Epiſcopo *Lindisfarnenſi* in ejus Vita ab Anonymo ſcripta *lib. IV. cap.* 13. apud BOLLAND. II. *Mart.* Ritus autem, quo conficiebantur oblatae, magna religione priſcis temporibus ſervatus eſt. Quarto Chriſti ſaeculo teſtis oculatus eſt PALLADIUS *in hiſtoria Lauſiaca c. CXLV.*, ſe vidiſſe CANDIDAM TRAJANI Magiſtri militum uxorem, *tota nocte laborantem, & molentem, & propris manibus facientem panem oblationis, ad vires corporis deprimendas*. S. PACHOMIUS (DIONYSIUS Exiguus in ejus Vita Cap. XI. PACHOMII regula Cap. XVII. & XIX.) *praeceperat fratribus, qui in piſtoria arte laborabant, ut ſi quando facerent oblationes, nihil loquerentur ſupervacaneum, ſed apud ſemetipſos ſalutaria meditarentur eloquia*. Nota ſunt, quae de S. RADEGUNDA tradit in ejus Vita FORTUNATUS, & de muliere, cujus meminit *Johannes* Diaconus in Vita S. GREGORII *lib. II.*

Digitized by Google

lib. II. cap. 12. Saeculo IX. oblatae ferro concoquebantur, imprimebanturque, ut ex libro miraculorum S. WANDREGISILI Abbatis liquet *cap. XXIX.*, & ex libris etiam miraculorum ſanctae WALPURGAE *lib. III. cap. I.* Dies ſolemniſſimi, oblatis conficiendis, erant ante Natalem Domini, vel ſanctae Reſurrectionis diem; quem morem explicat UDALRICUS in ſuis *Conſuetudinibus lib. III. Cap. XIII.* HUMBERTUS quoque Epiſcopus *Silvaecandidae* teſtatur contra *Graecos*, panem pro Chriſti menſa confectum, eum fuiſſe, quem *Diaconi cum Subdiaconis, ſeu ipſi Sacerdotes, ſacris amicti veſtibus, cum melodia Pſalmorum conſperſum, & in ferro paratum, ex Secretario proferunt.*

Panis autem fuit ſemper candidi coloris, quod colligitur ex BEDA *Hiſtor. Anglorum lib. II. cap. V.*, ex Concilio *Toletano* XV. Ann. D. 693. *Can.* VI. Adde ALGERUM Scholaſticum in libris *de Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini lib. II. cap. IX.*, qui docet, *candido pane* magis, quam *nigro*, aut alterius coloris, Chriſti corpus conſecrari, quia decet, eum *candidiſſimum* eſſe, & mundiſſimum, quia transferri debet in ſplendidiſſimum Corpus immaculati Agni.

Oblatae porro tenues erant & graciles, paullo tamen grandiores, quam hujus temporis hoſtiae fiant, quia olim in plures partes frangebantur. Quod liquet ex *Romanis* Ordinibus (*Ord. Rom. I. n.* 19.): nam de oblata *Romani* Pontificis tres partes fiebant, quarum altera ſuper altari relinquebatur, altera Pontifex ſe communicabat, altera Archidiaconum, & ſecutis inde temporibus Diaconum Evangelii, & Subdiaconum Epiſtolae.

Oblatae praeterea figura Crucis Chriſti Domini exornabantur. Rem docte illuſtrat SIRMONDUS *in diſquiſitione de Azymo Cap. IV.* ex Synodo *Turonenſi II. Can. III.*, ex Synodo V. *Arelatenſi Can. I.*, & ex veteri Codice Bibliothecae S. GERMANI *Pariſienſis*, ubi oblatae rotundae cum crucis ſigno viſuntur. His adde vetuſtiſſima, ac praeclara monumenta. S. EPIPHANIUS oblatas rotundas fuiſſe docet in *Anchorato*. S. GREGORIUS *in Dialogis lib. IV. cap. LV.* narrat, Presbyterum quemdam ad balnea iterum detuliſſe ſecum *duas oblationum coronas*, ut eas daret ei, qui ſolebat ſervitia praeſtare ad lavandum. De oblatae ſeu hoſtiae forma ſaeculo XI. haec habet HONORIUS *Auguſtodunenſis lib. I. Gemmae Anim. Cap. XXXV. Panis vero ideo in modum denarii formatur, quia panis vitae Chriſtus pro denariorum numero tradebatur, quia verus denarius in vinea laborantibus in praemio dabitur. Ideo imago Domini cum litteris in hoc pane exprimitur, quia & in denario imago, & nomen Imperatoris ſcribitur, & per hunc panem imago Dei in nobis reparatur, & nomen noſtrum in libro vitae notatur.* GEORGIUS CASSANDER *Epiſt.* 114. *ad Jacobum* PAMELIUM meminit BERNOLDI *Conſtantienſis* Presbyteri, qui claruit anno 1060., & quem compoſuiſſe volumen ad eccleſiaſticae Reipublicae utilitatem, praenotatum *Ordo Romanus*, ait TRITHEMIUS: de hoc, inquam, volumine loquens idem CASSANDER *in Liturgicis cap.* 27. haec ſcribit. „ Plura ab eodem auctore, alioquin prudenti, pio, & eccleſiaſticarum traditionum ſtudioſiſſimo in eam ſententiam „ dicuntur, qui indigniſſime tuliſſe videtur aetate ſua in quibuſdam Eccleſiis oblatas panis, quae priſca Eccleſiae conſuetudine ad uſum Sacrificii „ ad menſam Domini a populo offerebantur, ad imaginem nummorum, &

„ ad tenuiſſimam quamdam, & leviſſimam formam a vera panis ſpecie alie„ natam fuiſſe redactas; quare per contemptum minutias nummulariarum „ oblatarum appellat, imaginariam, & umbratilem levitatem illis tribuit, „ & indignas eſſe panis vocabulo pro ſua tenuitate: ac propter eas officium, „ atque Religionem eccleſiaſtici officii multum per omnem modum confun„ di adſerit. „ Earum tamen uſus obtinnit. ERNULPHUS Epiſcopus *Roffenſis* C. A. D. 1122. ſcribens de ritibus Euchariſtiae ſumendae ad LAMBERTUM (*Dacher. Spicileg. Tom. II. pag.* 434.) docet, qua forma hoſtia fieret: *Nos*, inquit, *in forma nummi panem adcipimus, vinum aqua mixtum potamus*. Ceterum *oblata* eſt etiam 1. ipſum ſacrificium, vel Euchariſtia; 2. panis, & vinum, quod Fideles pro conſecratione offerebant: vide mox OBLATIO; 3. donaria omnia Deo, aut Eccleſiae oblata eo nomine denotantur.

OBLATIO. In ipſius Eccleſiae exordiis a Chriſtifidelibus, dum ſingulis diebus Dominicis in unum convenirent, ut habet Apoſtolus 1. *Cor. XVI.*, oblationes fiebant. Ritus adferendi ab Epiſcopis, & Presbyteris in altari ad Miſſam panem, & vinum ex Canonibus Apoſtolicis adſtruitur, in quibus deponuntur ii, qui aliud ad altare adtulerint, praeter panem, & vinum, oleum ad luminare, & incenſum ad oblationem, & primitias frugum, & vini. Audi Canonem III. GENTIANO HERVETO Interprete: *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, praeter Domini de Sacrificio ordinationem, alia quaedam ad altare adtulerit, vel mel, vel lac, vel pro vino ſiceram factitiam, vel aves, vel aliqua animalia, vel legumina, praeter ordinationem, deponatur: praeter novas ſpicas, vel uvam tempore opportuno. Ne liceat autem aliquid aliud ad altare offerre, quam oleum ad luminare, & incenſum tempore ſanctae oblationis*. JUSTINUS Martyr meminit ſemel, ac iterum de panis, vini, & aquae oblatione *Apolog. II. pag. 97. edit. ann. 1615. Deinde*, inquit, *ei qui fratribus praeeſt*, ideſt Epiſcopo, *offertur panis, & poculum aquae, & vini*. Mox: *Et ſicuti retulimus, precibus peractis, panis offertur, & vinum, & aqua*. S. CYPRIANUS *in lib. de opere, & eleemoſynis cap. V.* divites matronas redarguit, quod paupercularum oblationes carperent, & ſuas non adferrent: *Locuples, & dives es*, inquit, *& Dominicum celebrare te credis, quae corbonam omnino non reſpicis, quae in Dominicum ſine ſacrificio venis, quae partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis*. Vide etiam Acta S. THEODOTI *Ancyrani*. Oblationes autem nonniſi a fidelibus, qui in communione Eccleſiae erant, nimirum qui neque poenitentes, neque communione privati eſſent, afferri poterant. In rem hanc ſunt decreta Concilii *Illyberitani Can. XXVIII.* Ann. D. 305., *Niceni Can. XI.* Ann. D. 325., Concilii *Ancyrani Can. XVI.* Ann. D. 314., *Vaſenſis* I. *Can. II.* Ann. D. 442., & *Arelatenſis* II. *Can. XII.* Ann. D. 452. Priſcus ritus fuit, ut omnes Fideles offerentes, ſi ſolum Imperatorem excipias, ad altare oblationem non adferrent; laicis enim ſemper interdictum fuit *Presbyterium*, & *Sanctuarium* ingredi. AMALARIUS *in Ecloga cap. XIX.* Paucis item, quae ad hujuſmodi oblationum ritum pertinent, complectitur. Panem, & vinum tantummodo pro ſacrificio offerri tradit, cum *fanonibus*, ideſt velis, ſeu mappulis ex lino confectis; a viris primum, deinde a foeminis oblationes fieri, extremo loco a Presbyteris, & Diaconis, ſed ſolius panis: ſolum

Archi-

Archidiaconum oblationes priorum implere, & infundere aquam in calicem, & amulam Pontificis. Hae igitur oblationes tunc ex ſolo pane, & vino erant juxta antiquorum canonum ſanctiones. Subſequutis temporibus antiquatus fuit uſus recipiendi a Pontifice e manibus fidelium oblationes, ideo DURANDI aetate *lib. IV. cap. XXX. num.* 37. ſolam panis oblatam Pontifex manu tangebat, alias vero ad pedes adcipiebat. Priſcarum oblationum reliquiae ſunt in Miſſa *de Conſecratione Epiſcopi*, ubi Electus in Epiſcopum, ut & Abbas (Pontificale Romanum *de Conſecratione Electi in Epiſcopum, & de benedictione Abbatis*) offerunt, dicto offertorio *duo intortitia adcenſa, duos panes* (in antiquis Pontificalibus apud MARTENIUM *de antiquis Eccleſiae ritibus P. II. lib. I. Cap. VIII. art. X. pag.* 484. additur *albos panes*) *& duo barilia vino plena*, ſeu doliola vino plena. In coronatione vero Regis, ipſe Rex *offert aurum*, prout ei libet, ut & Regina. (*Pontificale* Romanum *de benedictione, & coronatione Regis, & Reginae*)

Oblationes item panis, & vini, atque candelarum fieri conſueverunt ad Miſſam Pontificalem in Canonizatione Sanctorum per Cardinales antiquiores ex triplici ſacri Senatus ordine, nempe per antiquiorem ex Epiſcopis, ex Presbyteris, & Diaconis. Primus Epiſcopus Cardinalis offert duos magnos cereos, antiquior Cardinalis Presbyter duos magnos panes cum mappulis, prior vero Diaconorum Cardinalium duo vaſa vini. (*Caeremonial. S. R. E. lib. I. cap. II. Sect. VI.*) Ita enim praefert Caeremoniale S. R. E. quod addit, ut tres Oratores itidem offerant; ſcilicet *primus caniſtellum deauratum cum duabus turturibus, ſecundus caniſtellum argentatum cum duabus columbis albis, tertius caniſtellum diverſorum colorum cum variis aviculis*. Hic offerendi modus initium ſumpſiſſe creditur Ann. D. 1391. quo BONIFACIUS IX. beatam BIRGITTAM Sanctorum numero adſcripſit. Narrat enim *Petrus* AMELIUS, ipſius BONIFACII Papae caeremoniarum magiſter, tres Cardinales ad Pontificem ſuas oblationes adtuliſſe, deinde cereos per Viros principes oblatos; poſtremo veniſſe quinque Procuratores beatae BIRGITTAE: quorum *quilibet obtulit unam magnam candelam de una libra cerae albae, modicum laboratam cum roſis, & floribus, viridi, alba, & rubea. Item unum parvum caniſtellum, totum depictum de colore viridi, in quo fuerunt duae columbae albae, & duae turtures*. Erant & oblationes Pecuniae. De his Concilium primum *Braccarenſe Can.* 21. alias 39. ſtatuit, ut quae fideles *per feſtivitates martyrum, aut per commemorationem defunctorum* obtulerant, apud quemdam Clericum deponantur, *& ſemel, aut bis in anno inter Clericos* dividantur; *nam non modica ex ipſa inaequalitate* diſcordia generatur, inquiunt Patres, ſi unuſquiſque ſibi adtribuere voluerit, quod *in ſua ſeptimana* oblatum fuerat. S. ISIDORUS epiſt. ad LUDIFREDUM *Cordubenſem* curam hanc Archidiacono adtribuit; *collectam pecuniam de communione ipſe* (Archidiaconus) adcipit, *& Epiſcopo defert, & Clericis proprias partes idem diſtribuit*. Concilium *Emeritenſe* (anno 666. celebratum) *cap.* 14. ſtatuit, ut pecunia *communicationis tempore a fidelibus oblata* fideliter collecta Epiſcopo praeſentetur, & in tres partes dividatur, quarum una cedat Epiſcopo, alteram *Presbyteri, & Diacones conſequantur*, quam inter ſe, *ut dignitas, & ordo popoſcerit*, dividant, tertia Subdiaconis, & Clericis di-

 ſtribua-

Digitized by Google

ſtribuatur. Hanc pecuniam *in altario* oblatam eſſe dicunt canones 14. & 15. Concilii I. *Aureliaenſis*; non quod in altare depoſita fuerat (quamquam hoc aliquando contigiſſe non negaverim), ſed quia per manus Sacerdotum Deo fuerat oblata. Apud antiquos non invenio, quo tempore, & an omnino tempore ſacrificii, pecuniam, veſtem, aliaſque res in uſum pauperum, & Cleri offerre mos erat. Concilium *Emeritenſe* docet, ut vidimus, *Gotho-hiſpanos* tempore *communicationis* pecuniam obtuliſſe, & S. Iſidorus hanc *collectam de communione pecuniam* dicit: num forte illis in more poſitum erat pecuniam offerre, quum ad adcipiendum Corpus Domini adcederent? Sane Concilium *Compoſtellanum* anno 1056., nondum abrogatis ritibus *Gotho-hiſpanis*, celebratum, ſtatuit ur per omnes communiones majores Nativitatis Domini, Paſchae, & Pentecoſtes, quiſquis de quo habuerit offerat. OBLATIO interdum ſacrificium ſignificat, ut dum ENNODIUS ſub finem *Apologet.* Eccleſiam inducit loquentem: *Me......... quam a victimis liberavit* OBLATIO. Vide PAMELIUM ad lib. TERTULL. *de cultu feminar. cap. XI.*

OBLATIONARIUM. Locum ſignificat, ubi repoſitae hoſtiae pro ſacrificio, a nullo tamen oblatae, eaſque ſuper patena Archidiaconus deferebat ad Pontificem. Vide Ordinem *Rom. VI. n.* 9.

OBLATIONARIUS, ille, ad quem ſpectabat oblationes ſuſcipere, & deferre Archidiacono. *Archidiaconus ſuſcipit oblatas duas de oblationario, & dat Pontifici.* (Ordo *Romanus*) Dicitur GREGORIUS *Tertius* diſpoſuiſſe, ut in coemeteriis circumquaque poſitis luminaria ad Vigilias faciendas, & oblationes de Patriarchio per *Oblationarium* deportarentur ad celebrandas Miſſas. Subdiaconi plerumque erant in *Romana* Eccleſia. Ordo *Rom.* 1. *Ornato vero altari, tunc Archidiaconus ſumit amulam Pontificis de Subdiacono oblationario.* Eadem verba habentur in Ordine *Romano* III. Verum Diaconi *oblationarii* mentio occurrit ſaeculo X. Vide DIACONUS.

OBLATORIUM. Vide OFFERTORIUM.

OBSEQUIUM. In libro *uſuum Ciſtercien.* quomodo hoſpes ſepeliatur: *Quo tumulato ſi cantor viderit expedire, interrumpat pſalmodiam...... Ab hoc obſequio poſſunt remanere infirmi &c.* Et de ſepultura Abbatis apud MARTENE *lib. 5. cap.* 11. 12. *De obſequio autem ipſius ita fieri debet &c.* Ex quibus colligitur *obſequii* nomine ea omnia, quae ad defuncti ſepulturam, exequiaſque fieri ſolent, comprehenſa fuiſſe. Conſuetudines Mſſ. S. GERMANI *Pariſienſis* apud cit. MARTENE *lib. 3. cap.* 24. 28. *Ad Veſperas fit duplex feſtum de Domno* DAGOBERTO *Rege hoc modo: campanae dupliciter ſonantur.......deinde celebratur feſtive obſequium Regis. Antiphona* PLACEBO: ℣. *Congregati ſunt &c. a quatuor in cappis, & poſt* ℣. *repetatur Audivi vocem: Antiphona: Ego ſum reſurrectio &c.* Hic *obſequium* quoque ſumitur pro Anniverſario &c. Obſequium quoque ſumitur pro his omnibus, quae aguntur circa agentes animam ex eodem MARTENE.

Nomine quoque obſequii venir apparatus rerum neceſſariarum ad aliquam publicam Eccleſiaſticam functionem. Conſuetudin. *Divionen. Quoties aliqua urgente neceſſitate, Reliquiae Sanctorum extra Monaſterium ſunt deferendae, hujuſmodi obſequiis ſunt proſequendae.*

OBSE-

OBSEQUOR, Miſſae miniſtro, ſeu inſervio. MARTENE *lib. II. cap.* 5. *Quod ſi talis matutinalis Miſſa fuerit, ad quam tres obſequuntur Converſi.... Quando vero unus tantum obſequitur.....*

OCCURSUS, ſtatio, collecta, Miſſarumque ſolemnia, Vide Card. THOMASIUM *Tom. V. pag.* 437.

OCTAVA. Octavae antiquam habent originem: juſſerat enim Deus Paſchatis Feſtum per ſeptem dies peragi: SALAMON octiduum Dedicationis Templi Feſtivitatem perdurare voluit; ſicuti & ZOROBABEL quum Templum reſtitui curavit. Quocirca hoc imitata exemplum Eccleſia, Paſchatis Feſtum ad integram hebdomadam protrahit, praecipue in Neobaptizatorum gratiam; uti & celebritas Dedicationum Eccleſiarum TYRI, & HIEROSOLYMAE a CONSTANTINO conſtructarum octidua fuit, referentibus EUSEBIO, & SOZOMENO, quorum poſterior adnotavit, anniverſarium quoque Dedicationis Eccleſiae *Hieroſolymitanae* quotannis celebratum fuiſſe: *Quotannis initiationes Sacrorum peraguntur, & dies octo conventus fiunt.* Hoc igitur pacto diei Chriſti Natalis, Epiphaniae, Pentecoſtes, atque Patroni Feſta Octavas nacta ſunt. BEDA Pentecoſtes Octavae tantum, THEODEMARUS CAROLO MAGNO coaevus Nativitatis Chriſti ſolummodo, & Epiphaniae Octavarum meminere: Sanctorum quippe Feſtis nullae adhuc tributae erant, quum octavo tantum ſeculo praecipua Feſta Octavas in *Occidente* obtinuerint, quarum uſum ignorant *Graeci*; adeoque *Latinorum* peculiaris eſt dicendus. Porro Octavae iſtae primum repetitio tantum erant Feſti, & Officii; die tantummodo octavo; neque enim in GELASII, vel GREGORII Sacramentariis *dies intra Octavam* conſpiciuntur. Iiſdem vero libris additae poſthac fuere Octavae S. PETRI, & S. LAURENTII, quae BB. PETRI, & LAURENTII *Natalitia repetita appellantur.* Negat tamen MERATUS, octavam S. PETRI iis Sacramentariis fuiſſe adjectam. Hoc certum eſt, licet antiquitus recolerentur eae Octavae, nihilominus diebus intermediis de Sanctis nullum recitatum fuiſſe officium, & nullam de ipſis factam Commemorationem; cujus rei aliquod ſupereſt veſtigium in Breviario *Romano* pro S. AGNETE, in cujus octava *Sanctae Agnetis Secundo* fit officium. At ſequiori aevo ſex dierum intervallum eodem Feſti, cujus celebratur Octava, officio repletum fuit, ut etiam Octavae Sanctorum octo diebus durarent. Ceterum monitos nos vult MERATUS, ne ex ſilentio BEDAE, & THEODEMARI inferamus, eorum temporibus Paſchatis Octavam non fuiſſe celebratam, utpote quae in omnibus Sacramentariis, BEDA etiam vetuſtioribus, habeatur.

Romae autem Octavis omnibus, ut refert MICROLOGUS *cap.* 40., etiam Domini noſtri, excepta Paſchatis, & Pentecoſtes hebdomada, Pſalmi de Feria ad Matutinum numquam praetermittebantur, licet Invitatorium, Antiphona in Pſalmos, & Reſponſoria de Feſto eſſent, quia tres tantum lectiones in Octavis adſignabantur: *Juxta Romanum Ordinem Ferialem, Nocturnum numquam dimittimus intra ſolemnitatum dies, quum tantum tria Reſponſoria dicimus, niſi in hebdomada Paſchae, & Pentecoſtes.* Et cap. 44. *Juxta Romanam auctoritatem nullorum Sanctorum Octavas obſervare debemus, niſi unde certam aliquam traditionem a ſanctis Patribus habemus. Eorum quoque, quorum*

octavas

Digitized by Google

Octavas celebramus, nullam quotidianam mentionem per interjectos dies agimus, quia nullam auctoritatem inde habemus, exceptis de S. MARIA, *&* de S. PETRO, *quorum memoriam & alio tempore non ceſſamus celebrare*. Haec MICROLOGUS, qui claruit ſeculo undecimo. Feſtis igitur beatiſſimae Virginis, ſcilicet ejus Adſumptione, & S. PETRI juxta *Romanum* morem, non horum Officium, ſed Commemoratio tantum diebus intra Octavam fiebat. Poſtqnam autem diebus officia adſignata fuere, Dominicae officium, teſtante RADULPHO *propoſ.* 10., recitabatur infra Octavam; quod juxta Rubricas noſtri Breviarii *Romani* adhuc ſervatur, exceptis Dominicis infra Octavam Adſcenſionis, Epiphaniae, Nativitatis, & Corporis Chriſti, quibus multa de Feſto cum Dominicae officio miſcentur: at in Octavis aliis integrum Dominicae officium non intermittitur, quia aequum non eſt, diem intra alicujus Sancti Octavam Domini Feſto, & Officio praeferre.

OCTAVA *Domini*. Antiquiores libri Circumciſionis Dominicae feſtivitate praetermiſſa ſolam *Octavam Domini* celebrant Kalendis Januarii, ut *Frontonis* Kalendarium, *Gelaſianum* Sacramentarium, & *Gregorianum* Antiphonarium. Vide MAZZOCHIUM in *Kal. Neap.* ad eum diem.

OCTAVARIUM *Romanum*, Officia ſcilicet in octavis Feſtorum ritu *Romano* recitanda. GAVANTUS primus illa vulgavit. Vide *Bibliothecam Ritualem T. I. p.* 134.

OCTOCHORUM. Vide Trichorum.

OCTOECHUS, ſeu *octotonus*, liber *Graecorum*, quo octo toni a S. JOHANNE DAMASCENO compoſiti praecipue continentur. Vide quae poſt ALLATIUM de hoc libro adnotavi *Bibliothec. Ritual. Tom. I. pag.* 83.

OECONOMIA *Domus Domini*. Ita inſcribitur Rituale Eccleſiae TOLOSANAE. Vide *Biblioth. Ritual. T. I. pag.* 155.

OECONOMUS, Officium Eccleſiaſticum a Concilio *Chalcedonenſi Can.* 26. conſtitutum. In Eccleſia Latina Diaconis, in Orientali Presbyteris hoc officium demandabatur; ut S. ISIDORUS *Peluſiota* teſtatur *lib. I. ep.* 169. *& lib. II. ep.* 127. *Ad Oeconomum*, inquit S. ISIDORUS *Hiſpalenſis* in epiſtola ad LAUDEFREDUM *Epiſcopum*, quam tamen nonnulli ei abjudicant, *pertinet reparatio Baſilicarum, atque conſtructio, actiones Eccleſiae in judiciis vel in proferendo, vel in reſpondendo, tributi quoque acceptio, & rationes eorum, quae inferuntur, cura agrorum, & cultura vinearum, cauſae poſſeſſionum, & ſervitialium, ſtipendia Clericorum, viduarum & devotarum pauperum, diſpenſatio veſtimenti, & victus domeſticorum Clericorum, ſervitialium quoque, & artificum; quae omnia cum juſſu, & arbitrio ſui Epiſcopi ab eo implentur*. Idem pia legata exigebat, §. *Si quis autem, Auth. de Eccl. tit.* Mortuo autem Epiſcopo ad illum ſpectabat inventarium conficere Eccleſiaſticarum ſupellectilium. In Eccleſia *Alexandrina* eligebatur Oeconomus *totius Sacerdotalis ordinis ſententia*; alibi ab Epiſcopo deligebatur, ſed tamen ex proprio Clero. Oeconomos Latini etiam *Vicedominos, Camerarios, Majores domus, Diſpenſatores, & Procuratores appellabant*. In Eccleſia *Conſtantinopolitana Magnus Oeconomus* ex praecipuis erat dignitatibus, quem SIMEON *Theſſalonicenſis* S. STEPHANI Protomartyris, & primaevae Eccleſiae Oeconomi ſucceſſorem vocat. Oeconomus is quoque dicitur, qui vacante beneficio, donec conferatur, il-

lud

Digitized by Google

lud adminiſtrat, *Cap. 4. de offic. judic. ordin.*

OFFENSIO SACRAMENTI. Negligentia, ſeu quid aliud circa Sacramentum, ut effuſio Sanguinis, vel quid ſimile. Conſuetud. *Lyrenſes*. *Pro offenſione Sacramenti 40. diebus debet jejunare: ſed ex 40. diebus poteſt Praelatus in ſecreto 20. relaxare poenitenti*.

OFFERENDA. AMALARIUS, aliique ſub *offerendae* nomine comprehendunt ea omnia, quae a Sacerdote, & Miniſtris fiunt, & recitantur a Salutarione, ideſt *Dominus vobiſcum* poſt Symbolum, uſque ad concluſionem ſecretae Orationis, cum alta voce Sacerdos dicit: *Per omnia ſaecula*. Verum apud GUIDONEM *diſcipl. Farf. cap. 7. & 8.* oblatio panis, & vini ad ſacrificium eo nomine deſignatur; uti & antiphona, quae dum offeruntur panis, & vinum, in choro cantatur apud BERNARDUM: *Ordin. Cluniac. P. II. cap. 15.*

OFFERSIO, donum, oblatio. *Et haec cartula offerſionis nomine firma, & ſtabilis permaneat*. Ita MACER, & veteres chartae paſſim.

OFFERTORIUM, cantus eſt ex aliquo Pſalmo fere ſemper ſumptus, interim dum fideles ſuas oblationes offerunt. *Carthagine* c. Ann. D. 400. hunc morem ad oblationem canendi viguiſſe, nos docet S. AUGUSTINUS; quem quidem morem HILARUS quidam, vir tribunitius laicus catholicus, inquit AUGUSTINUS, *neſcio unde adverſus Dei miniſtros, ut fieri adſolet, irritatus, nempe ut hymni ad altare dicerentur de Pſalmorum libro, ſive* ANTE OBLATIONEM, *ſive quum diſtribueretur populo, quod fuiſſet oblatum, maledica reprehenſione, ubicumque poterat, lacerabat, adſerens fieri non oportere*. Huic reſpondet AUGUSTINUS peculiari libro, qui ad nos minime pervenit. Num ante haec tempora in *Romana* Eccleſia vigeret, ignoramus; ſcimus tantummodo, in *Antiphonario* S. GREGORII verſiculos ex Pſalmis ſumptos exſtare, qui in *Antiphona ad offerenda*, ideſt *ad offertorium* dicendi ſunt; & in ipſo Sacramentarii *Gregoriani* limine *Offertorium* poſt Evangelium ſtatuitur. *Romani* item libelli offertorii cantum memorant poſt dictum *Oremus* a Pontifice, his verbis: *Tunc canitur offertorium cum verſibus*. Protrahebatur autem cantus uſquequo omnium oblationes Pontifex adcepiſſet, & uſque ad Orationem ſecretam. Antiphonatim porro, ut conjicit probabiliter Cardinalis THOMASIUS, offertorium a Choro, prout Introitus Miſſae, decantabatur. Offertorii cantum ex eo ortum habuiſſe cenſet S. ISIDORUS *Hiſpalenſis*, quod in veteri teſtamento Levitae canebant, quando victimae immolabantur, cui concinunt etiam ALCUINUS, AMALARIUS, & alii. Erat etiam *offertorium*, ſeu *oblatorium* vas ingens ex argento, aut auro, aut cupro, aut certe, in Eccleſia Romana, erat Syndon munda, quam extenſam ad excipiendos panes Acolythi deferebant. S. BENEDICTUS *Anianenſis* Abbas vaſa ad Chriſti conficiendum corpus nolebat ſibi eſſe ARGENTEA: ſiquidem primum ei fuerunt LIGNEA, deinceps VITREA: ſic tandem conſcendit ad STANNEA: PLANETAM vero refutabat habere SERICEAM; & ſi aliquis illi dediſſet, mox aliis ad utendum praeſtabat. Id enim eximiae S. BENEDICTI humilitati eſt certe adſcribendum, quippe *vaſa pretioſa* poſtea admiſit, & ſedulo conquiſivit. Ita enim Vitae auctor tradit: *Librorum multitudinem congregavit*, PRETIOSA VESTIMENTA ECCLESIASTICA,

STICA, CALICES ARGENTEOS PRAEGRANDES, OFFERTORIA ARGENTEA. Etiam S. ANSEGISUS Abbas ſuo *Fontanellenſi* coenobio, ut in hujus *Chronico* legere eſt *cap. 6.*, *contulit calicem argenteum..... Offertorium argenteum ejuſdem calicis, habens effigiem mirifici operis; alia Offertoria argentea tum Patenis argenteis earumdem dedit*. Eſt etiam offertoriorum liber liturgicus, in quo verſus offertoriorum. Vide *Biblioth. Ritual. Tom. I. pag.* 47.

OFFICIALES ab officiis dicti ſunt. Quae eſſent officia, AMBROSIUS in Epiſt. ad MARCELLINUM declarat his verbis: *Palatina omnia officia, hoc eſt, Memoriales, Agentes in rebus, & Apparitores diverſorum Comitum.* Haec AMBROS. At in Actis Martyrum, aliiſque antiquioribus monumentis per *officium* Praeſidis Apparituram, & per *officiales* ipſos Apparitores intelligere debes. Etiam Vicarii, Epiſcopi Officiales dicebantur.

OFFICIALIS liber, Rituale. Vide *Biblioth. Ritual. T. I. pag.* 155.

OFFICIUM. Miſſa ipſa ſaepe *Officii* nomine deſignatur. INNOC. IV. in Bulla Ann. MCCL. pro *Vaticana* Baſilica: *Cantor*, inquit, *qui ad* OFFICIUM *ante Gloriam de introitu Miſſae non venerit, & qui in* OFFICIO *uſque in fine Poſtcommunionis non permanſerit, debita diſtributione privetur*. In Rituali quoque Tiphernatium Canonicorum ſaeculi fortaſſe XII. haec GARAMPIUS ad rem praeſentem reperit: *Totum Officium Miſſae, ideſt ordo, in quatuor dividitur ſpecies*. Confer eumdem GARAMPIUM in Vita B. CLARAE *pag.* 48. *&* 360. Verumtamen Cantus ille, quem vetuſta conſuetudine Eccleſia *Gotho-Hiſpanica* divinorum myſteriorum celebrationi praemittebat, in Miſſali *Mozarabum*, & in Miſſali *Toletano* aut ſimpliciter *Officium*, aut certe *Officium ad Miſſam* denominatur; nobis Introitus. OFFICIUM vero maxime dicuntur horae Canonicae, quia debitum ſunt quoddam, atque Officium, quod Deo perſolvimus, preces noſtras illi dicando. *Oremus*, ait S. HIERONYMUS in Vita S. PACHOMII, *pſallamus, reddamus Domino officium*. Namque in Divinis laudibus id omne continetur, quod nobis faciendum eſt erga Deum; atque adeo eas ſtatis horis perſolventes, debitum ſervitutis obſequium ſupremae Majeſtati impendimus. Latini *officium precum*, aut ſimpliciter *preces* nominabant orationes illas, quae pro diverſis hominum ſtatibus, neceſſitatibuſque funduntur. A *Graecis pacificae* dicuntur, quia ab his vocibus incipiunt: *in pace Dominum precemur*; aut *Diaconicae*, quia a Diacono recitantur. Adhuc apud *Graecos*, & *Orientales*, & olim apud *Gotho-Hiſpanos* Diaconus *preces* recitabat, populus autem reſpondebat apud *Graecos*: *Kyrie eleiſon*, apud *Gotho-Hiſpanos*: *placare, miſerere*, aut tantummodo *placare*, & aliquando, ut eſt in libro offerentium, *praeſta aeterne omnipotens Deus*. Apud *Mediolanenſes* reſpondet modo chorus, olim populus reſpondebat, vel latine: *Domine miſerere*, vel graece: *Kyrie eleiſon*: Harum precum uſus Apoſtolicus eſt, in liturgiis *Graecorum Orientalium*, in *Ambroſiana*, *Gallicana*, & *Gotho-Hiſpana* inveniuntur: erant etiam fortaſſe in *Africana*: in liturgia *Romana* nulla harum extat veſtigium, praeter eas, quae in majori hebdomada recitantur; at in officio divino quotidie preces *Romae* recitabantur, & in Breviario *Romano* ad laudes, ad veſperas, & ad completorium preces dicuntur. Ceterum in Eccleſia *Mediolanenſi* preces adhuc recitan-

cita-

citantur in Miſſa diebus Dominicis Quadrageſimae, exceptis prima, & Dominica Olivae, ſive Palmarum: recitantur autem ſtatim poſt Ingreſſum, ſive Introitum.

OFFICIUM *ad libitum*. Praeter officia recitanda ex praecepto occurrunt inſuper quaedam alia per annum, quae dicuntur *ad libitum*, eo quod de licentia, ac indulto Sedis Apoſtolicae poſſunt quidem, non tamen neceſſario debent celebrari; quae ſi peragantur, non niſi ſub Ritu ejuſdem Indulti, vel expreſſe praeſcripto, vel a Sacr. Rituum Congregatione declarato ſunt exſolvenda. Porro horum Feſtorum alia ſunt ad libitum ubique, ideſt ſine reſtrictione ad certum Locum, aut Nationem, vel Communitatem: alia vero ſunt ad libitum conceſſa alicui Loco, aut Communitati, vel Provinciae dumtaxat particulari, quibus adcenſenda ſunt ea, quae nonnullae Congregationes, Religiones, aut Eccleſiae, vel Nationes de Sedis Apoſtolicae licentia ſemel per menſem, vel ſingulis Hebdomadibus de ſanctiſſimo Sacramento, aut de B. MARIA Virgine, vel de ſui Ordinis Fundatore, aut de aliis Sanctis, diebus non impeditis Feſto Duplici, vel Semiduplici, aut Feria majori, ſeu Vigilia, vel illa Feria, in qua ſit reponendum Officium Dominicae, recitare poſſunt.

OFFICIUM DEFUNCTORUM. Vide DEFUNCTI.

OFFICIUM S. MARIAE in Sabbatho. Vide S. MARIAE in SABBATHO.

OFFICIUM PARVUM B. Virginis. Hujus Officii prima inſtitutio tribuitur ab aliquibus B. PETRO DAMIANO Card. & Epiſc. *Oſtienſi*, qui claruit anno Domini 1060. Hujus opinionis videtur fuiſſe Card. BARONIUS, qui in *Annalibus* (ad annum 1056. num. 2. apud SPONDANUM) refert, DAMIANUM Auctorem fuiſſe, ut in ſuis Monaſteriis dicendum quotidie B. Virginis Officium adſumeretur; & inde manaſſe ut illud ipſum toto Chriſtiano Orbe *Occidentalis* Eccleſiae, non a Monachis tantum, & Clericis, ſed etiam a Laicis Viris, atque Mulieribus quotidiano penſo perſolvatur. Verum qui de Vita, & Geſtis PETRI DAMIANI ſcripſerunt, eum non primum Auctorem, ſed Inſtauratorem, & praeconem faciunt Officii B. MARIAE. JOHANNES FLAMINIUS *Forocornelienſis* (*pag. XX. Tom. 1. Operum* DAMIANI) *Horarium*, inquit, *B. Virginis Officium, & Canonicos ritus, quorum deſuetudo paullatim irrepſerat, ad priſtinam obſervantiam reſtituit*. Et AUGUSTINUS FORTUNIUS Ord. Camaldul. (*pag. XXVII. ibidem*) PETRUS, inquit, *a* GREGORIO VII., *qui anno* 1073. *Cathedram* PETRI *obtinuit, miſſus eſt legatus de latere per totam Italiam, ut promulgaret decreta de dicendo Officio* B. MARIAE *Virginis, quod ubique ſiluerat &c.*

Ex veteribus etiam monumentis colligitur, Officium B. MARIAE ante PETRUM DAMIANUM recitari conſueviſſe. Tomo VII. operum Ven. BEDAE (qui vivebat anno 731.) inter Sermones aliquot varios, in vetuſtiſſimo Codice repertos, exſtat ſermo de S. MARIA, (*col.* 570. *& ſeqq. Tomi 7. edit. Baſileenſis* 1563., *& col.* 364. *& ſeqq. Tomi 7. edit. Coloniae Agripp.* 1612.) in quo mira narrantur de quodam Clerico *Romano, habente Capellam viciniam domui ſuae, in honore* B. MARIAE *conſecratam, in qua quotidie omnes Horas ſanctae* MARIAE *decantabant*.

Digitized by Google

De S. JOHANNE DAMASCENO, BEDAE aequali, tradit VINCENTIUS BELLOVACENSIS Epiſcopus, (*in Speculo Hiſtoriali lib. 17. cap. 103. pag. 224. edit. Venetae 1494.*) *quod Reginae Virginum Horas quotidie ſtudioſiſſime decantabat, factuſque Presbyter Miſſas devotiſſime, ac frequentiſſime celebrabat*. Et Card. BONA teſtatur, (*de Divina Pſalmodia cap. 12. §. 2. pag. 315. Tom. II.* ejus Operum *edit. Pariſ.* 1678.) S. DAMASCENI Officia de B. Virgine ritu Graeco per totum annum exſtare manuſcripta in Monaſterio *Cryptae Ferratae*, quod eſt in agro *Tuſculano*.

PETRUS Diaconus *Caſſinenſis* apud laudatum Card. BONA, Commentario manuſcripto *in regulam* S. BENEDICTI *cap.* 64., ait, quod ZACHARIAS Papa ſub diſtricto praecepto *Caſſinenſi* Congregationi praecepit, *ut totius anni tempore, ante nocturnale, vel diurnale, Officium de* S. BENEDICTO; *& eo expleto inchoent Officium, quod Regula praecepit; adjuncto etiam S. Dei Genitricis, &* V. MARIAE *Officio*. ZACHARIAS autem fuit Pontifex ab anno 742. ad 752.

In Chronico *Virdunenſi*, alias *Flaviacenſi*, circa annum 960. inſignis eſt memoria de Officio B. Virginis. Narratur ibi, (*pag. 135. Tom. I. novae Bibliothecae veterum manuſcriptorum, editae a* P. Philippo Labbè *Pariſiis* 1657.) quod BERENGARIUS Epiſcopus *Virdunenſis*, quum quadam nocte principalem Eccleſiam S. MARIAE nocturnum Officium recitaturus ingrederetur, in ipſo Chori ingreſſu *offendit in Clericum nomine* BERNERIUM, *praepoſitum ejuſdem Eccleſiae, qui tunc forte ſolo proſtratus, matutinarium B. Virginis decantabat curſum, & ut poſt patuit, totus ad altiora, penna devotionis ſubreptus, in Matris Domini ſe extendebat laudibus*. Quem Epiſcopus ſibi adſurrexiſſe non videns, pede percuſſit, & ut cederet, admonuit. Ille juſſis paruit. BERENGARIUS poſt nocturnas preces cubitum ſe recipiens, Dei Genitricem Sanctis Virginibus AGNETE, & THECLA comitatam, lecto ſuo adſtantem vidit, a qua blande eſt requiſitus: *Cur Clericum ſuum ſibi devotum, ſecum loquentem ad ſe totum ſuſpenſum, pede percuſſerit, & de loco, quo ei adſtabat, demigrare coegerit, devotionemque ejus, qua ſecum totus aderat, impedivit &c. Pes igitur* (ſubjunxit B. Virgo) *quo peccaſti, poenas luat, ut agnoſcant omnes in te, quia diligentes me diligo, & memoriam mei facientibus patrocinari non deſiſto*. Tum B. THECLAE mandavit, ut virga, quam ferebat, pedem ejus, quo Clericum percuſſerat, caederet: quo factum eſt, ut BERENGARIUS per totam deinceps vitam claudicaverit.

De S. UDALRICO, ſive ULDARICO, Epiſcopo *Auguſtenſi*, refert MABILLONIUS in *Annalibus Ord. S.* BENEDICTI *ad annum* 924., (*Tom. 3. l. 42. num. 71. pag. 381.*) quod praeter quotidianum curſum Divini Officii tres alios curſus, ſcilicet de S. MARIA, de S. Cruce, & de omnibus Sanctis, (qui mos multorum Monaſteriorum erat) cum toto pſalterio (quod vix credas) adjiciebat. Et ad annum 1026. narrat, (*Tom. 4. in fine libri 55. num. 102. pag. 326.*) quod S. GERARDUS Epiſcopus, & Martyr in *Hungaria*, conſtructa *Conadii* principe Eccleſia, ibique ara in B. Virginis honorem erecta, ibidem ſingulis Sabbathis Officium celebrari voluit de beatiſſima Virgine MARIA Domina noſtra.

OLEUM

Digitized by Google

OLEUM SANCTUM. Vide Unctio Extrema. Erant & olea Ss. Martyrum. Indiculum Ss. Mm., quorum olea ad *Theodelindam* Langobardorum Reginam M. GREGORIUS miſerat, poſt MABILLON., qui illum ex autographo exſcripſerat, plures ediderunt, RUINARTIUS cum primis in *Actis ſinceris Ss. Mm.*, & MURATORIUS *Anecd. T. II. p.* 191. Docuit autem ille, ejuſmodi olea ex lampadibus, quae ad Martyrum *Romae* quieſcentium ſepulcra ardebant, fuiſſe deſumpta, ac dono miſſa. Sed quum locus perquam inſignis vetuſtiſſimi Caeremonialis apud MACRIUM exſtet, in quo *Acolythus in eodem ſtationis die ex Eccleſia, ubi celebrabatur, dicitur deferre Papae fruſtillum elychnii oleo lampadis ejuſdem Eccleſiae intinctum*, MURATORIO placuit, (quod & nuperrimus *Gregorianorum* Operum *Venetus* editor GALLICCIOLIUS ſtatim adripuit *Iſagog. Liturg. cap.* 14. *T. IX. p.* 295.) olea illa fuiſſe ſtationaria hujuſmodi elychnia. Quod etſi de multis concedi poteſt, generatim tamen falſum omnino eſt. Nam in eo GREGORII M. indiculo olea occurrunt Sanctorum, in quorum Eccleſiis nondum illo Pontifice ſtatio celebrabatur, ut oleum *S. Petronillae filiae S.* PETRI *Apoſt.*; quod certe quum in ejus Eccleſia primus ſtationem inſtituerit GREGORIUS III. ANASTASIO teſte in ejus Vita, ſtationarium elychnium eſſe minime potuit.

OLLA FERVENS. De hujuſmodi genere tormenti habetur mentio *lib. II. Machab. cap.* 7., & in Actis Martyrum, ut in Actis S. JULIANAE *Nicomedienſis*, de qua Martyrol. Rom. 16. Februarii.

OMOPHORIUM, Pallium *Graecorum*. Eſt autem longa faſcia ejuſdem cum Latino, aut paullo majoris latitudinis, collum primitus involvens, tum a collo per medium pectus infra genua deſcendens, crucibus intertexta. *Graecorum* pallium omnibus Epiſcopis commune eſt ex JOH. XI. privilegio, quod tamen in gratiam THEOPHYLACTI Patriarchae *CPolitani* malis artibus, ac vi extortum, teſtis eſt LUITPRANDUS *lib.* 5. *de reb. Europ. ſui temp. cap.* 12., *& in Legatione II. CPolitana* apud BARON. *ad ann.* 968. *n.* 85. ZONARAS in Vita CONSTANT. COPRONYMI Omophorion pro ſtola largiore ſignificatione adcepit, dum ſcripſit, ANASTASIUM GERMANI Patriarchae Omophorion calcaſſe, ut ſic eum moneret, ne properaret: Nam CEDRENUS idipſum narrans, *ſtolae oram* ab ANASTASIO calcatam adſerit.

OPUS DEI, *Opus Dominicum*, Officium Divinum appellatur in *Regula* S. BENEDICTI. Sed ex Statutis ADALARDI Abbatis *Corbejenſis lib. I. c.* 2. ſub hoc nomine veniunt opera ſervilia, quae Dominis ſuis ſervi debent praeſtare. *Primo die jejuniorum Quadrageſimae, ut habeant ſpatium Confeſſiones renovare, Monaſterii ſervis ab opere Dominico parcendum eſſe decernunt.*

ORACULUM, Cappella, Oratorium &c. *Intra Baſilicam* S. PETRI *Oraculum mirae pulcritudinis conſtruxit*. ANASTASIUS in LEONE. Confer MABILLON. *de Liturg. Gallic. pag.* 70.

ORALE. Vide Fanon. Quaenam, & quot oralia in BONIFACII VIII. Theſauro ſervarentur, vide apud Cl. GARAMPIUM *in Garfagn. ſigill. pag.* 77. *ſeqq.*

ORARIUM interdum ſumitur pro talari veſte Sacerdotum propria, ut in Canone Conc. *Triburienſis* apud GRATIANUM 17. *qu.* 4. *cap.* 25., quem-

admodum ſcite obſervat BONA, fruſtra hunc Canonem ad ſtolam detorquentibus GEORGIO, & CATALANO, quos SALA refellit *Tom. VII. pag.* 232. Proprie tamen ſtolam ſignificat, ſive Presbyteris, & Diaconis communem, ut apud Latinos, ſive Diaconorum tantum propriam, ut apud *Graecos*, qui Diaconorum quidem ſtolam *Orarium*, Sacerdotalem vero *Epitrachelion* vocant. Hocce diſcrimen diſerte traditum videas a CUROPALATA *de Offic. CP.*, ubi de feſto adorationis S. Crucis agens, ait Archidiaconum, dum Crucem ab Eccleſia adfert, geſtaſſe non *ſtolam* (ἐπιτραχήλιον), *ſed orarium*. Vide Stola.

Ad Latinorum orarium ſpectat *Bracarenſis* Concilii Canon XXVII. *Placuit, quia aliquanti hujus Provinciae Diaconi abſconſis infra tunicam utuntur orariis, ita ut nihil differre a Subdiacono videantur, ut de cetero ſuperpoſito ſcapulae, ſicut decet, utantur orario.*

Interdum tamen Latinos orarium pro orali, ſeu fanone, & ſudario uſurpaſſe, ex Vita BEDAE poſt MABILLONIUM GEORGIUS colligit, quem vide *Tom. II. de Lit. R. P. pag. 167.*

Erat etiam orarium Epiſcopale ſtola ornatior, cruciculis ut plurimum interſtincta, qua olim Epiſcopi humeris ad majeſtatem circumdata, etiam extra rem divinam utebantur: qualem cernere eſt in antiquis, quae multae ſuperſunt, Epiſcoporum praeſertim *Orientalium* imaginibus. Sic dum FERRANDUS in Vita S. FULGENTII eum ſcribit nullatenus orario uſum *ſicut omnes Epiſcopi*, aperte deſignat epiſcopale ornamentum, cujus extra ſacra eſſet uſus: alioqui minus prudenter eo FULGENTIUS, minuſque religioſe carere voluiſſet. Ita ad eum locum FERRANDI CHIFFLETIUS *pag.* 348., quem vide. Hinc in Epiſcoporum depoſitione orarium illis primum auferebatur; quod in Generali VI. Concilio factum cum MACARIO ANASTASIUS refert in AGATHONE *num.* 13., itemque cum CONSTANTINO pſeudo-pontifice a Synodo *Romana* in STEPHANO IV. *num.* 13. idem ANASTASIUS narrat.

ORATIO. Vide Collecta.

ORATIO AD COMPLENDUM. Vide Complenda.

ORATIO *Dominica*. Officium juxta Regulam S. BENEDICTI per Orationem Dominicam definebat, quae clara voce ab Abbate pronunciabatur, atque inde abire licebat: *Poſt orationem Dominicam Miſſam fieri*, ſive poſt abſolutum officium Conventum eſſe dimiſſum. Mos autem iſte officia per orationem Dominicam abſolvendi in Concilio *Toletano IV. can.* 10. conſpicitur, atque in Officio *Mozarabico* ſervatur. *Pater* alta voce dicitur, & ad ſingulas petitiones *Amen* reſpondetur, quarta excepta, *panem noſtrum*, ad quam reponitur, *quia tu es Deus*. Poſthac oratio ſequitur. JOHANNES etiam *Abrincenſis*, ſaeculo undecimo clarus, in ſuo *de officiis* Tractatu refert, Laudes, & ceteras officii Horas per Dominicam Orationem fuiſſe terminatas, Feſtis exceptis. *Romae* in ipſa Urbe, quae collectas majori quam alibi conſcriptas eloquentia ſibi vendicat, ſerius in divinum Officium fuere invectae; nec niſi Miſſae erant deſtinatae. Horae omnes Dominica oratione finiebantur. Certe hunc ritum etiam Eccleſia *Lateranenſis* olim obſervabat, teſte JOHANNE *Diacono* in libro *de Eccleſia Lateranenſi cap.* 7., ubi haec tradit: *Haec*

refert

reſervans Apoſtolicam inſtitutionem nonniſi Dominica in Officiis utitur oratione; quoniam aliae orationes poſtea ſunt ſuperadditae, & congruum eſt, atque conveniens, ut prima, & ſumma aliarum Eccleſiarum, primam, & ſummam omnium aliarum orationem frequentet, & quae Salvatoris vocabulo conſecrata eſt, Salvatoris orationem, quam Diſcipulos ſuos orare docuit, prae ceteris praecipuam ſemper habeat. Quem morem Eccleſiam *Lateranenſem* ſuo etiam aevo retinere teſtatur DURANDUS lib. 5. *Rationalis* cap. 2. Quas porro Orationi Dominicae laudes a JOHANNE *Diacono* conferri audivimus, eae ex veteribus Patribus ſumptae ſunt. Illam enim *legitimam orationem*, *legitimam & ordinariam orationem* TERTULLIAN. lib. *de fuga in perſequut.*, & lib. *de orat. cap.* 9.; *precem legitimam* AUGUSTIN. *Serm.* 126. *de temp.* appellat; ſed ejus quoque in Miſſa recitandae mos ab Apoſtolis dimanavit, teſtibus HIERON. *lib.* 3. *adv. Pelag.*, & GREGORIO M. *l.* 7. *ep.* 64. Praemittitur autem illi brevis Praefatio, quae olim non uniusmodi erat in omnibus Eccleſiis. Vide BONAM *lib.* 2. *cap.* 15. §. 1., & LESLEUM *in Miſſ. Mozarab. p.* 550. Apud *Graecos* (in Eccleſia quoque *Gallicana* ante CAROLUM M. apud *Latinos* idem mos erat) ab univerſo populo recitatur. Nonnulli Sacerdotes in *Hiſpania* diebus Dominicis tantum ſolebant Orationem Dominicam in Miſſa recitare, contra quos Concilium *Toletanum IV. can.* 10. ſtatuit, ut quotidie *patenter* pronuntietur. *Gotho-hiſpani* orationem Dominicam non modo in Miſſa, ſed etiam in veſpertinis, & matutinis precibus quotidie recitabant. (*Cod. can. lib.* 4. *tit.* 15.) eſtque orationum, quae illis in Miſſa recitantur, ſeptima, & ultima. S. ISID. *off. lib. I. c.* 15. Eam vero Sacerdos recitat, ſed populus recitantem frequenter interpellat reſpondendo *amen*. Et cum dixerit *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, reſpondet populus: *quia tu Deus es*.

ORATIO SUPER POPULUM ritu *Romano* dicitur in feriis Quadrageſimae, Diacono, vel ipſo Sacerdote praecinente: *Humiliate capita veſtra Deo.*

ORATIONALE, Orationum, & Collectarum liber, cujuſmodi BLANCHINIANUM *Orationale Gothico-Hiſpanum*, de quo egi *Bibl. Ritual. Tom. I. p.* 63. Vide *ibid. p.* 47.

ORATIONEM DARE, quod in Vita S. PAULLINI ab URANIO conſcripta, ut apud ANASTASIUM in SERGIO II., itemque in Synodo *Rom.* a. 743. c. 14. occurrit, eſt excitare populum ad orandum ſolemni verbo *Oremus*. Paullo aliter id nominis MAZZOCHIUS explicat in *Kalend. Neap. T. I. p.* 142., quem adiſis.

ORATORIA. Interdum hoc nomine Eccleſiae omnes deſignantur. In quibusdam tamen Canonibus, uti in Conc. *Aurelian. diſt. I. cap.* 33., privata ſacella ſignificantur, precibus faciendis, non Miſſis celebrandis deputata. Fuerunt etiam privata Oratoria ad Sacrificium peragendum; quod tamen non licebat *ſine permiſſu, vel dedicatione Epiſcopi loci illius*. Vide Canon. 9. Conc. *Moguntini* ann. 888. celebrati. Haec tamen oratoria in aliquibus locis prohibita fuiſſe comperimus. Confer Statuta Synodalia GUILLELMI Epiſc. *Andegavenſis* apud ACHERIUM *Spicil. Tom. II. pag.* 270. Saepius tamen *Oratoria* vocantur Aedes ſacrae, quas Monachi, & Moniales ſuis in Monaſteriis habebant. Vide Regulam S. BENEDICTI, & S. GRE-

GORIUM M. cum *lib. II. Dialog. cap.* 8., tum *lib. VII. ep.* 7. ad VENANTIUM *Lunenſem* Epiſcopum. Sed alias *Oratorii* ſignificationes ut perſequar, Oratorium ſaepe Chorum ſignificat; unde & ad Altare cum Choro, cui adjunctum eſt, denotandum, latiore quodam ſenſu extenditur. *Oratorium ſcilicet, quod Chorum vocitant*, dicitur in Actis Epiſcoporum *Cenomanenſium* apud CANGIUM. Vide MAZZOCHIUM *Tom. II. Kal. Neap. pag.* 620. *ſeqq.* Praeterea ſuppedanei genus quoddam eſt Oratorium ad preces flexis genibus fundendas deſtinatum. Ordo *Rom.* Quartus Scholae praecedat ad *Pontificem, & ponat Oratorium ante Altare, ſi tempus fuerit, & accedens Pontifex oret ſuper ipſum. Oratorii* quoque ante Crucem collocati hoc ſenſu meminit *Gregorianum* Sacramentarium *fer. VI. in Paraſceve*; quo loco MACER *Oratorium* in *Orarium* commutandum eſſe perperam docuit, ut recte monuit Cl. P. PAOLI *pag.* 129. *Diſſert. de Neriton. Eccleſiae ritu*.

ORDINARIUM. Vide CALENDARIUM. Eſt etiam *Ordinarium Ritualis liber. Confer Biblioth. Ritual. Tom. I. pag.* 155.

ORDO ſumitur 1. pro Hierarchia Eccleſiaſtica, ſeu certo hominum a populo ſegregatorum, & ad ea, quae cultus Divini ſunt, obeunda ſpecialiter deſtinatorum, atque in gradus varios diſtinctorum ſtatu, qui vulgo *Clerus* dicitur, & juxta *Tridentinum Seſſ.* 23. *can.* 6. ex Epiſcopis, Presbyteris, ac Miniſtris conſtat. Ordines porro, per quos in Eccleſia *Latina* ad Epiſcopatum adſcenditur, ab antiquo ſunt ſeptem, nempe Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Exorciſtae, Lectores, & Oſtiarii; ex quibus tres priores *Sacri*, & *Majores*, reliqui *Minores* dicuntur. In Eccleſia vero *Graeca* videtur tantum Ordo Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Hypodiaconorum, & Lectorum in uſu eſſe. De Eccleſia quidem *Latina* ampliſſimus teſtis eſt S. CORNELIUS Papa, qui in Epiſt. ad FAB. *Antioch.* anno CCLII. data apud EUSEBIUM *l. 6. Hiſt. cap.* 33. ita ſcribit: *Neſciebat* (Novatianus) *in Eccleſia Catholica unum Epiſcopum eſſe debere, ubi videbat eſſe Presbyteros quadraginta & ſex, Diaconos ſeptem, Subdiaconos ſeptem, Acolythos quadraginta & duos, Exorciſtas, & Lectores cum Oſtiariis quinquaginta & duos, Viduas cum indigentibus mille quingentas, quos omnes Deus alit in Eccleſia ſua.* Concilium quoque *Carthaginienſe* IV. anno CCCXCVIII. celebratum, poſteaquam *Can.* 1. & 2. de Epiſcopis egiſſet, ordinationem Presbyteri deſcribit *Can.* 3., Diaconi *Can.* 4., Subdiaconi *Can.* 5., Acolythi *Can.* 6., Exorciſtae *Can.* 7., Lectoris *Can.* 8., & Oſtiarii *Can.* 9., eorumque ſingulos ab Epiſcopo ordinandos eſſe docet. Quod vero ad *Graecam* Eccleſiam pertinet, JUSTINIANUS Imperator, qui ab anno DXXVII. uſque ad DLXV. per *Orientem* imperavit, Eccleſiae *Conſtantinopolitanae* Clerum ſic enumerat *Novella* 3.: *ſancimus non ultra* 60. *Presbyteros in Sanctiſſima majore Eccleſia eſſe, Diaconos autem maſculos* 100. *&* 40. *feminas, Subdiaconos* 90., *Lectores* 110., *Cantores* 25. *ita ut ſit omnis numerus reverendiſſimorum Clericorum ſanctiſſimae majoris Eccleſiae in quadringentis viginti quinque, & inſuper centum exiſtentibus his, qui vocantur Oſtiarii.* Ubi vides Oſtiarios, extra Clerum, etiam eo modo ſumptum, quo Diaconiſſae, & Cantores ad eum pertinent, recenſeri, Acolythos autem, & Exorciſtas penitus omitti. Luculentius

Digitized by Google

lentius adhuc S. JOHANNES DAMASCENUS, ſaeculo VIII. in *Laura* S. SABAE Monachus, & Presbyter, doctrina pariter ac Sanctitate clariſſimus *Dial. adverſus Manich. Principium*, inquit, *de Ordine quoque dicitur, in quo prima dignitas Lector eſt, deinde Subdiaconus, poſt Diaconus, poſt Presbyter, atque ita demum Epiſcopus*. Et Concilium *Conſtantinopolitanum* IV. inter Oecumenica VIII. ſub HADRIANO II. contra PHOTIUM anno DCCCLXIX. celebratum, *Actione* 10. *Can.* 5. *Si quis nulla ſuſpicione ambitionis, vel honoris ſpe tactus, ſed recta honeſtaque Chriſti diſciplina inductus, in Clericum, aut Monachum adtonſus eſt, perque omnes gradus Eccleſiaſticos definitis temporibus vitam agendo inculpatam tranſiſſe reperiatur, ita ut in Lectoris munere annum, in Subdiaconi duos, in Diaconi tres, in Sacerdotii quatuor annos expleverit, ad Epiſcopatus honorem evehatur*. Denique Euchologia omnia dum Ordinationis ritus deſcribunt, Epiſcopos dumtaxat, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, & Ἀναγνώςης ſeu Lectores in medium proferunt; de Acolythis vero, Exorciſtis, Oſtiariis ne verbulo quidem meminerunt.

2. Sumitur pro actione, ſeu ritu ſacro, quo laudati nunc Eccleſiae Miniſtri initiantur, & poteſtatem Sacramenta, praeſertim Euchariſtiam conficiendi, vel conficientibus inſerviendi adcipiunt.

3. Significat rationem, qua Sacramenta adminiſtrantur, liturgia peragitur, officia divina celebrantur. Hinc Ordo *Romanus*, de quo plura dixi *Biblioth. Ritual. Tom. I. pag.* 169. & 357., item Ordo, ſeu Rituale. Vide ibidem *pag.* 155.

OREMUS, vocatur indictio orationis. Sanctus AUGUSTINUS Epiſtola 106. ad VITALEM: *Oremus dicitur ante publicam Orationem, ut invitentur omnes ad orandum*. Vide ſupra ORATIONEM DARE. In Miſſa *Mozarabum* ſolemnis vox *Oremus* bis tantum a Sacerdote dicitur, primum ante *agios*; & rurſus ante capitulum, quod orationi Dominicae praemittitur, quibus locis illud *Oremus* per errorem irrepſit; nam ritu *Gotho-hiſpano* Sacerdotis non erat populum admonere dum orandum erat, proclamando *Oremus*, ſed ad Diaconum id muneris pertinebat. S. ISIDORUS *de Offic. Eccl. lib.* 2. *cap.* 8. de Diaconis ait: *Hi voces tonitruorum: ipſi enim, clara voce, in modum praeconis admonent cunctos ſive in orando, ſive in flectendo genua, ſive in pſallendo, ſive in lectionibus audiendo &c.* Et hinc diſcimus, quod apud *Gotho-hiſpanos* Diaconus dicebat *Oremus*, idem *flectamus genua*, & rurſus *erigite vos*, aut *levate*; idem clamabat *aures ad Dominum*: at voces, quibus utebatur, quum admoneret populum ad pſallendum, & ad lectiones audiendas hortaretur, penitus exciderunt.

ORGANUM. Organorum mentio fit a JULIANO *Halicarnaſſeo* ſecta *Eutychiano*, qui ſaeculo quincto cadente floruit, ad *cap.* 31. *Job.* in JUNII PATRICII *Catena Graecorum Patrum*, & ab antiquiore PRUDENTIO in *Apoth. adv. Jud.* Verum organa ab his indicata, ut recte monet P. SALA in BON. *Tom. II. pag.* 380., Pſalteria potius ex ſiſtris, ſeu calamis compacta, quam organa inſtar noſtrorum pneumatica, quae follibus inflantur, fuiſſe videntur. VITALIANO Pontifici LEANDER ALBERTUS, aliique haec tribuunt; quod tamen, inquit FERRARIUS in *Sanctis Italiae*, quum Eccleſia *Romana* organis minime utatur praeſente Pontifice, minus probabile

vide-

videtur. In *Galliis* profecto ignota fuiſſe organa ante PIPINUM, cui a CONSTANTINO Imp. dono miſſa fuerunt, antea numquam viſa, narrant SIGEBERTUS ann. 766., Annaliſta MERENSIS ann. 757., & EGINHARDUS in Vita CAROLI M. Ipſo illo ſaeculo VIII. organis, & organiſtis *Romanae* Eccleſiae adeo inſtructae erant, ut Monachus *Engoliſmenſis* in Vita ejuſdem CAROLI M. teſtetur, a cantoribus *Romanis*, qui in *Gallias* migrarant, fuiſſe *Gallos in arte organandi* inſtitutos. Verum labente ſaeculo IX. organorum artem Roma paullatim dedidicerat. Id ſatis indicat JOH. VIII., qui epiſtola ad ANNONEM Epiſcopum *Friſingens.* eum rogat, *ut optimum organum cum artifice, qui hoc moderari, & facere ad omnem modulationis efficaciam poſſit, ad inſtructionem Muſicae diſciplinae ipſi aut deferat, aut cum eiſdem redditibus mittat*. Hinc enim perſpicuum fit, ſaeculo nono neque organum, neque qui illud pulſaret, *Romae* extitiſſe. BALEUS tradit, organi uſum circa ann. Chriſti DCLX. a VITELLIANO Angliae Epiſcopo primitus in Anglicanam Eccleſiam invectum fuiſſe; ſed huic Auctori non admodum fidendum eſt, ac fortaſſe quod alii VITALIANO Pontifici tribuerunt, VITELLIANO ſuo liberaliter adſcripſit. Narrat VANTILIUS, BERNARDUM quemdam natione *Germanum*, qui *Venetiis* organopegum ann. MCCCCLXXX. agebat, organis *Pedalia* addidiſſe. Utinam vero ſervaretur in omnibus Eccleſiis *Senonenſis* Concilii *cap.* 17., quo cavetur, *ne in Eccleſia Organicis inſtrumentis reſonet impudica, aut laſciva melodia; ſed ſonus omnino dulcis, qui nihil praeter hymnos, & cantica ſpiritualia repraeſentet*. Confer quae de organis diſſernit eruditus *Petrus Pompilius* RODOTA' in egregio commentario in epiſtolam Encyclicam a BENEDICTO XIV. datam die XIX. Februarii ann. MDCCXLIX. ad omnes Epiſcopos ditionis Eccleſiaſticae *pag.* 45. *num.* 10.

ORPHANOTROPHIUM. Vide Schola Cantorum.

OSANNA. Vide Hosanna.

OSCULARE in Statuto JOH. Archiep. *Cantaurienſis* ann. 1281. eſt inſtrumentum, quo pax datur in Miſſa.

OSCULATORIUM idem quod *Oſculare*.

OSCULUM. Non una fuit primis Chriſti ſaeculis Eccleſiarum de pace danda inter divina myſteria conſuetudo; aliae enim Eccleſiae, & praeſertim *Orientales*, pacis oſculum mutuum inter fideles dandum praeſcribebant *poſt oblationem*, qui quidem mos fuit etiam *Gallicanae* Eccleſiae, ſtatim ante Praefationem, ut ex Liturgia *Gallicana* colligitur. Circa ann. D. 416. nonnullae aliae Eccleſiae hunc morem uſurpare coeperant; qua de re DECENTIUS *Eugubinus* Epiſcopus INNOCENTIUM I. *Romanum* Pontificem conſuluit, qui datis ad ipſum litteris, in haec verba reſpondit: *Pacem igitur adſeris ante confecta myſteria quoſdam populis imperare, vel ſibi inter ſe Sacerdotes tradere, quum poſt omnia, quae aperire non debeo, pax ſit neceſſario indicenda, per quam conſtet, populum ad omnia, quae in Myſteriis aguntur, atque in Eccleſia celebrantur, praebuiſſe conſenſum, ac finita eſſe, pacis concludentis ſignaculo demonſtrantur*. Pax igitur danda erat poſt verba *Pax Domini &c.* Servabatur porro hic ritus, ut Archidiaconus poſt *Pax Domini* pacis oſculum a Pontifice adciperet, deinde traderet primo Epiſcoporum, qui juxta

ſe ſtan-

ſe ſtanti oſculum dabat, & ille aliis per ordinem, deinde populus ſeſe invicem oſculabatur, maſculi ſcilicet cum maſculis, & feminae cum feminis, ſine ulla inſtrumenti traditione. Nunc aliis moribus vivimus, & pacis tabella utimur. Ab oſculis Chriſtianorum non diſcedendum, quin moneamus, primum conſueviſſe Chriſtianos oſculari ſacra Martyrum vulnera. Docet id etiam PRUDENTIUS in *Periſteph. hymn. V.* de S. VINCENTIO his verſibus: *Ille ungularum duplices - Sulcos pererrat oſculis*; & in fine: *Per quam trementes properi - Exoſculamur lectulum*. Admovit & CONSTANTINUS *Magnus* Imperator labra cicatricibus ſanctorum Martyrum. THEODORET. *hiſt. lib. I. cap.* 11. Datum eſt crimini a CAECILIANO Diacono *Carthaginienſi* LUCILLAE feminae apud OPTATUM, non quod os martyris ori admoveret, ſed quod importuno tempore, & os illud non eſſet martyris *vindicati*, hoc eſt, recepti. OPTAT. *lib.* I. *contra* PARMEN.

Alterum eſt, conſueviſſe Chriſtianos Reliquias Martyrum, Sanctorumque oſculari. Hinc quum nullum fere altare aedificaretur, niſi ſubtus eſſent Reliquiae, ut ex Concilio *Carthaginienſi* V. *cap.* 14., & *Africano cap.* 54. conſtat, mos ille inolevit, qui etiamnum ſervatur, ut Sacerdos altare oſculetur. Quamobrem apud Rubricarum Interpretes ea ſuborta quaeſtio eſt, num, ſi vel ex incuria, vel ex Apoſtolica diſpenſatione, nullae in ara conſecrata reconditae Reliquiae ſint, omitti debeant verba, *quorum Reliquiae hic ſunt*. Ac MERATUS quidem in GAVANTUM *Tom. I. pag.* 163. recitanda illa contendit; quod aegre conceſſerim, ipſo duce GAVANTO, cui miſſales non pauci libri a GRANCOLASIO indicati (*Ancienn. Liturg. pag.* 455.) adſtipulantur. MALDONATUS de Caerem. *diſp. II. pag. XXXVII.* aliam quoque cauſſam, cur Sacerdos altare oſculetur, ex veteri illa conſuetudine accerſit, qua Sacerdos ingrediens Eccleſiam precari populo pacem ſemper ſolebat, quod oſculo fiebat, ut ex CHRYSOSTOMO *Hom. III. in Epiſt. ad Coloſſ.*, aliiſque Patribus ſcimus. Quum enim illud oſculum in deſuetudinem abiiſſet, factum eſt, ut Sacerdos initio Miſſae oſculetur altare, veluti pacem populo precaturus, omneſque Chriſtianos oſculo petiturus.

Neque illud omittendum, religioſe olim Templorum limina ſalutata, & oſculis adorata fuiſſe. Idem PRUDENTIUS in S. LAURENTIUM *Hymno II.*

Ipſa & Senatus lumina,
Quondam Luperci, & Flamines,
Apoſtolorum ac Martyrum
Exoſculantur limina.

Idem Hymno XI. de S. HIPPOLYTO.

Oſcula perſpicuo figunt impreſſa metallo,

vel quod portae aerae eſſent, vel laminis aereis aut argenteis obductae; ARATOR *lib. II. Hiſtor. Apoſtolicae.*

.... *Tota concurritur urbe,*
Qui primus nova tecta petat, quive oſcula figat
Poſtibus, & tacta ſacretur parte cylindri.

Alia vide apud ROSWEIDUM in *carm. XXI.* S. PAULLINI.

Solemne quoque apud Chriſtianos fuit Epiſcoporum maxime manus exoſculari. AMBROSIUS *de dignit. ſacerd. cap. 2. Quippe quum videas regum colla, & principum ſubmitti genibus ſacerdotum, & exoſculata eorum dextera ſe credant communiri*. Quae verba IVO *part. V. cap. 378.*, & epiſtola S. GREGORII VII. ad HERIMANNUM Metenſem Epiſcopum citat. GREGORIUS TURONENSIS *hiſt. lib. II. cap. 1. Nec Deus nos diutius ſinit manus tuas indignas oſculando pollui*. Vita S. FULGENTII *Ruſpenſis cap. 4. Ad haec ille juvenis magis ac magis inflammatus, repellentis* (FAUSTI Epiſcopi) *manum ſuppliciter oſculatus &c.* SIDONIUS *lib. VIII. ep. XI. ad* LUPUM.

Perge ad limina mox Epiſcoporum,
Sancti & GALLICINI *manu oſculata:*

erat hic Burdigalenſis Epiſcopus. Etiam Presbyterorum manus oſculabantur. HIERONYMUS *ep. 99. ad* ASELLAM, quum Romae verſaretur, & jam ante Sacerdos Antiochiae creatus eſſet, *oſculabantur*, inquit, *mihi manus quidam, & ore vipereo detrahebant*. De oſculo pedum *Romani Pontificis* vide infra V. Pontifex.

OSTENSORIUM. Vide Monstrantia.

OSTIARIUS. Ejus officium deſcribit ISIDORUS Epiſt. ad LAUDIFR. *Pertinent ad eum claves Eccleſiae, ut claudat, & aperiat Templum Dei, & omnia quae ſunt intus, cuſtodiat, Fideles recipiat, infideles rejiciat*. Vide Ordo.

OSTIOLA. HARIULFUS in *Chronico Centulenſi* theſaurum ejus Monaſterii deſcribens ait *lib. II. cap. 10. Ad caput* S. RICHARII, (nimirum ad eum locum, in quo ſub Altari corpus S. RICHARII recondebatur) *tabula auro, & argento parata una*. OSTIA *majora auro, & argento parata II. alia minora II. alia* OSTIOLA *ſimiliter parata duo*. Mox: OSTIA *auro parata* VII. HARIULFUS eadem repetit paullo poſt: *Paries ad caput* S. RICHARII, *& duo* OSTIOLA *parva ex* ARGENTO, *&* AURO, GEMMISQUE *fabricata: ad pedes ipſius* OSTIOLA VI. *ex* ARGENTO, *&* AURO *parata. Sunt & alia* IV. SIMILITER *parata*. Quid porro haec oſtiola? Tacentibus CANGIO, & GEORGIO definire non auſim.

P

PAENULA, caſula, planeta. Num vero ejuſmodi quoque fuerit paenula, quam S. PAULLUS *Troade* apud CARPUM reliquerat II. TIM. 2., an potius theca, in qua legis volumen contineretur, Viri docti inter ſe diſputant. Varias eorum ſententias indicat GEORGIUS *Tom. I. pag. 198. ſeqq.*

PACIFICAE litterae, *Graecis Irenicae* Laicis dabantur, ut eorum, ſi pauperes eſſent, neceſſitas ſublevaretur; non autem commendatitiae, eo quod ejuſmodi litterae reis tantum aut ſuſpectis darentur, quod decernit Synodus *Chalcedonenſis* can. XI. *Pauperes omnes, & qui auxilio indigent, cum probatione, & litteris pacificis Eccleſiaſticis ſolis peregrinari decrevimus, non autem cum commendatitiis; quoniam concedi tantum debent commendatitiae iis ſolum perſonis, quae in ſuſpicionem alicujus criminis venerint*. Clericis non dabantur paeificae,

Digitized by Google

cae, ſed dimiſſoriae. Inter litteras pacificas cenſeri debent etiam litterae, de quibus TERTULLIANUS *lib. adverſ.* PRAXEAM *cap. 1. Coegit & litteras pacis revocare jam emiſſas*. Et quod antiquitatem rerum Eccleſiaſticarum magis adhuc ſapit, in litterarum illarum numero habentur libelli, quos in carcere conſtituti Martyres, ex uſu Eccleſiae Fidelibus concedebant. Quum enim ſaeviente Tyrannorum rabie, poenitendi tempus haud facile adimpleri poſſet, & propter difficillima Eccleſiae tempora ea ſeveritas obſervari nequiret; quum etiam prae doloris acerbitate e criminibus anteactae vitae ſuſcepta, periculum immineret, ſibi indulgendum putabant veteres; atque ideo a Martyribus *deſignatis* litteras poſtulabant, quarum beneficio pax eis daretur, ſive cum Eccleſia Dei reconciliarentur, tanquam peracta legitima poenitentia. Teſtis hujus moris eſt idem TERTULLIANUS in *Protreptrico ad Martyres*. *Quam pacem*, inquit, *in Eccleſia non habentes, a Martyribus in carcere exorare conſueverunt*. De his litteris plura dabit S. CYPRIANUS, cujus temporibus magno Eccleſiaſticae diſciplinae detrimento nimia in illis dandis facilitas irrepſerat.

PAGANUS. Unde Ethnicis id nomen tributum ſit, diſquirunt BARONIUS in *Martyr. ad diem 23. Januar.*, & MAZZOCHIUS in *Kalend. Neapolit.* Satis hic ſit pauca ex VOSSII *Etymologico* adſcribere. Quiſquis, inquit ille, cogitarit, tum demum *Paganorum* nomen inoleviſſe, quum paſſim in urbibus vigeret Chriſtiana religio, ac illa gentilium in ſolis pagis ſervaretur, (nempe quod agreſtes, imperitique homines moris ſui ſoleant eſſe retinentiſſimi) omnino eorum amplexurus erit ſententiam, qui ſic dici ajunt, quod gentilis religionis homines tantummodo in pagis, ſive ruri morarentur. Itidem prius vocati *gentiles*, quod religionem ſequerentur, quae eſſet inter gentes. *Gentium* autem voce in ſacris litteris deſignantur omnes, excepta *Judaea*, nationes. Solis enim *Judaeae* limitibus primo vera religio circumſcribebatur, indeque in reliquum orbem manavit, unde factum, ut etiam quum religio per omnes orbis plagas eſſet diffuſa, *gentium* tamen nomine intelligerentur omnes non addictae cultui Chriſtiano. Itaque, ut alios mittam, ARNOBIUS libros ſuos inſcripſit, *adverſus gentes*, ſive ut in aliis codd. eſt, *adverſus nationes*.

PALERGIUM *Chryſoclavum* de holoſerico apud ANASTAS. *Tom. I. pag.* 292. fimbria, lacinia.

PALLA. Olim unica adhibebatur palla, quam *opertorium Dominici Corporis* Concil. *Arvernenſe cap. 7.*, *pallam Dominicam Autiſſiod. can.* 37. appellant, nos *corporale* dicimus; nec aderat parva illa, qua calicem tegimus. Quum enim palla corporalis latior eſſet, ea etiam utebantur ad tegendum calicem. INNOC. III. temporibus palla, quae calicem operiebat, plicata illi ſuperimponebatur. Vide ejus librum II. *de Myſter. Miſſae cap.* 56. Duplici palla praeter Corporale Patres *Theatini* etiamnum utuntur; alteram calici imponunt, alteram ſub hoſtia collocant. Eſt alia palla altaris, cui ſcilicet ipſum corporale inſternitur; unde *pallae*, *quae ſunt in Subſtratorio*, in *Gregoriano* Sacramentario, ubi de ordine Subdiaconi. Hujuſmodi pallam *Linteaminis* nomine OPTATUS indicat *lib. 6*. Palla interdum ſumitur pro pallio altaris auro, gemmis, pictis imaginibus, Crucibuſque diſtincto, quod

Digitized by Google

ſane myſteriis ſacris peragendis vix aptum fuiſſet, niſi forte quis illius ſuperficiem in medio exſtantem quis velit, nullo aſperatam ornatu fuiſſe; ut proinde interdum pallae nomine veſtis tantummodo altaris deſignata fuerit, quae aut altare extra ſacrificii tempus ornatus cauſſa tegeret, aut plana fuerit in ſuperficie, ubi corporale ad ſacrificium inſternebatur, pendentibus ad latera gravioribus illis imaginum, gemmarumque ornamentis. Hoc nomine uſus eſt B. LANFRANCUS Archiepiſcopus Cantuarienſis *in Decretis pro Ordine S. Benedicti cap.* 18. ubi ait: *Involvant parentes manus in* PALLA, *qua Altare coopertum eſt, & cujus pars anterior pendet.*

PALLA CORPORALIS. Vide nuper dicta, itemque GEORGIUM *Tom. II. pag.* 219., & hic Vide Animetta.

PALLA LINOSTIMA. Vide Linostima.

PALLIUM Archiep. faſcia eſt lanea candida tribus circiter digitis lata, & in modum circuli contexta, quae ſuper humeros imponitur; ex quo circulo alia ſimilis faſcia ante pectus; alia deorſum ex oppoſito pendet, duae ſuper humeros demittuntur, quae faſciae olim quatuor, iiſque rubris, nunc vero a ſaeculo XIII. ſex, iiſque nigris Crucibus ſunt inſignitae. Ipſum porro pallium tribus aciculis, ſive ſpinulis aureis adligatur. Fit ex Lana agnorum candidorum ſine macula, qui in die S. AGNETIS, in ejuſdem Eccleſia via *Nomentana* ſingulis annis offerri ad Miſſam ſolemnem, & benedici ſolent, ac Subdiaconis Apoſtolicis conſignari, & in aliquo Sanctimonialium Monaſterio nutriri, dum tempus ipſos tondendi veniat. Ex horum autem Lana contexta pallia in Baſilicam *Vaticanam* deferuntur, & ſuper Corpora Sanctorum Apoſtolorum PETRI, & PAULLI ponuntur in vigilia Natalis ipſorum, ibique tota nocte dimittuntur, ac die ſequenti deputatis cuſtodienda traduntur.

Pallium *Latinorum* deſcripſimus, cujuſmodi a Saeculo X. obtinuit. Nam antea eodem, quo *Graeci*, omophorio utebantur. Antiquiſſimus in utraque Eccleſia *Orientali*, & *Occidentali* pallii uſus eſt, licet non omnia, quae ad hanc comprobandam vetuſtatem a Viris doctis adferuntur, monumenta id ſatis efficiant. Vide SALAM in BONAM *T. II. p.* 277. *ſeq.*

Pallio ſemper, & ubique utitur ſummus Pontifex; reliqui eo uti non poſſunt, niſi intra Eccleſiam certis quibuſdam, & deſignatis diebus, quum Miſſarum ſolemnia celebrant, ne in ipſis quidem Litaniis, quidquid BACCHINIO in contrarium viſum fuerit ad AGNELLUM; idque ex antiqua conſuetudine, quam non ſolum Synodus *Romana* ſub JOH. VIII. *c.* 3., ſed vetuſtior S. GREGORIUS M. indicat *lib.* 2. *ep.* 54. ad JOH. *Ravenn.*, & *lib.* 4. *ep.* 50. *ad* VIGIL. *Arelat.* Nam quod FLODOARDUS in *hiſtor. Rem. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 10. ſcribit, HINCMARO *Remenſi* a LEONE IV. quotidianum Pallii uſum conceſſum fuiſſe, multis nominibus commentitium eſt, ut oſtendit BONA *lib. I. cap.* 24. §. 16. Cum Pallio tamen Archiepiſcopi ſepeliri ſolent, ſuper humeros quidem, ſi in propria Provincia; ſubtus caput vero, ſi in aliena tumulati fuerint, impoſito; immo ſiquis ex una Metropoli ad aliam fortaſſis translatus fuerit, eum utroque pallio conditur. Solius *Rom.* Pontif. eſt pallium concedere, atque oppido falluntur, qui ab Imperiali poteſtate illud tradi poſſe, atque adeo aliquando traditum fuiſſe

con-

Digitized by Google

contendunt. Vide BACCHINIUM ad AGNELLI *hiſtor. Pontific. pag.* 20. *num.* 12. *ſeq.*, *& de Ecrleſiaſt. Hierarch. origin. pag.* 378. *ſeq.*, ac SALAM in BONAM *Tom. II. pag.* 279. Olim pallio non omnes Metropolitae diſtinguebantur; ſed inſigniores, ut in *Italia Mediolanenſis*, & *Ravennas*, in *Galliis Arelatenſis*, & *Viennenſis* (confer SALAM *loc. cit. pag.* 276. *ſeq.*). Idem poſtea omnibus Metropolitanis indultum, atque etiam nonnullis Epiſcopis. Vide OMOPHORIUM. Adi etiam GEORGIUM *Tom. I. de Liturg. R. P. pag.* 210. *ſeqq.* Pallium vocatur etiam Palla Corporalis, ſeu Corporale, ut apud GREGORIUM TURONENSEM *lib. VII. hiſtor. cap.* 22. Pallia ſunt etiam illa ornamenta, quibus altaris pars exterior tegi ſolet, prout ratio coloris exigit. MARTENE *lib.* 4. *cap.* 1. *In choro quatuor Pallia, & in Presbyterio octo ſuſpenduntur*. Et infra: *Altare majus tribus palliis myſtica ratione cooperitur*. Et Conſuetud. *Cluniac. cap.* 11. *Ad nocturnos tria diverſi coloris pallia ſuper altare principale mittuntur, ſingulatim auferenda*. *Frontalia* altarium alii nominant; eaque auro intexta, atque argento fuiſſe ex libro Pontificali novimus. Sic CONSTANS Imperator *obtulit ſuper altare* S. PETRI *Pallium auro textile*. Ibi in Vita S. Vitaliani *Pallium*, Baldachinum, Daſium, Umbellum &c. Conſuetud. *Lyrens. Sacriſta extendat pallium, & unam tuillam ſuper Corpus Domini, & cereum coram eo adcendat, qui ardeat uſque ad tenebras*. Et liber Uſuum *Becens. Poſt haec ferat Diaconus hoſtias conſecratas, corporalibus involutas, prius a Sacerdote incenſatas, in locum conſtitutum. Secretarius extendat pallium deſuper, & coram adcendat cereum*. Ex his poteſt inferri nomine *Pallii* etiam intelligi Linteum, Corporale &c.

Pallium etiam ſumitur pro tapete, ſtrato, coopertorio &c. *Taliter paratum corpus feretro imponatur, & pallio cooperiatur*. LANFRANCUS *ſtatut.* 24., & alibi: *Dicta collecta Obſecramus miſericordiam tuam &c., duo ex fratribus, qui foras ſunt, pallium deſuper extendunt*.

PALMA, Victoriae inſigne etiam apud *Graecos*, & *Romanos*; ea proinde nobilitatos ſanctos Martyres vidit S. JOHANNES *Apoc. cap.* 7., ut non mireris, ſi in Martyrologio ſaepius leges ſanctos Martyres palmam adcepiſſe martyrii: eſt enim ea dicendi phraſis ex divinis Scripturis comparata, atque antiquitus uſurpata.

PALMARUM benedictio. Nullam apud Auctores mentionem fieri benedictionis palmarum ante ſaeculum octavum, vel nonum adſerit *Edm.* MARTENIUS *de antiq. Eccl. rit. T.* 3. *l.* 4. *c.* 20., atque ex eo CATALANUS *in Caerem. S. R. E. T. II. p.* 143. At (quod a LESLEO *adnotatur in Miſſ. Mozarab. pag.* 512.) S. ADELMUS *de laud. virgin. cap.* 15. ait, ſe inſtituiſſe, ut duplici choro in Eccleſia ſua *Hoſanna* cantaretur; innuit etiam, Feſtum Palmarum in *Anglia* vetuſtum fuiſſe. S. ISIDORUS *off. l. I. c.* 27. expreſſis verbis non dicit, *Gotho-Hiſpanos* ramos Palmarum geſtaſſe, aut hac die *Hoſanna* cantaſſe, utrumque tamen innuere videtur. *Galli* hac Dominica traditionem Symboli, miraculum Lazari a Sepulcro excitati, & Triumphum Chriſti *Hieroſolymam* cum *Hoſanna*, & ramis palmarum ingredientis celebrabant, & in Sacramentario *Bobiano pag.* 390. extat *Benedictio Palmae & Olivae ſuper Altario*, quae, paucis mutatis, eſt illa oratio, quam ex Pontificali *Narbonenſi* primo loco MARTENIUS exhibet: eam autem ad palmas, & oli-

Digitized by Google

& olivarum ramos benedicendos adhibitam fuiſſe die ipſa palmarum ex ipſa oratione patet: atqui, ſi qua fides eſt MABILLONIO de antiquitate Codicis judicanti, codex *Bobianus* ante annos mille, atque adeo ante annum 685. exaratus fuit. Idem MABILLONIUS *Analect. Tom.* 4. *pag.* 454. ex codice *Auguſtano* ſancti UDALRICI *Ordinem officii in domo S. Benedicti* exhibet, in quo dies palmarum denominatur *Dominica in olivae benedictionem*. Sic enim habet in Dominica, quae eſt in *olivae Benedictionem*..... .... *Introitus*, *& Lectio Apoſtoli*, *& gradalis ad ipſum diem pertinentes*, *& Evangelium de ramis palmarum*, *& benedicunt olivas & incipiunt Antiphonam*: *Hoſanna filio David*. Hic codex, inquit MABILLONIUS, ante annos nongentos exaratus erat. Non ignoro quam fallax ſit argumentum chronologicum, quod ſola characterum figura nititur; at auctoritas MABILLONII me movet ut credam, codicem *Bobianum* ante ſaeculum octavum exaratum eſſe, atque adeo conſuetudinem benedicendi arborum ramos die palmarum ante finem ſeptimi ſaeculi tam in *Hiſpania*, quam in *Gallia* receptam eſſe. Hactenus LESLEUS. BENEDICTUS Canonicus *Ord. Rom. XI.* haec habet de Dominica Palmarum: *Mane ſtatio ad Lateranum*, *ubi palmae ſunt ab Acolythis collectae in Baſilica* S. SILVESTRI, *de quibus dant Acolythi Baſilicae* S. PETRI (al. *datur Acolythis Baſil.* S. PETRI) *& adcipiunt de altari VIII. ſolidos*, (ſive *II. ſolidos* juxta alias lectiones). *Palmas autem praedictae Baſilicae ſancti* SILVESTRI (erat haec ad Palatium *Lateranenſe*) *unus de Cardinalibus ſancti* LAURENTII *Baſilicae in Palatio benedixit*, *quas Oſtiarii portant in Baſilicam Leonianam ad Pontificem*.

PALMARUM Dominica. Vide DOMINICA PALMARUM.

PALMORERIUM: Palmarum ramus. PURICELLUS *p.* 1133. *Ibi honorifice Domnus Abbas recipit Archiepiſcopum*, *& ipſe Domnus Archiepiſcopus dat Abbati Palmorerium*.

PANGE LINGUA, hymnus, quem alii VENANTIO FORTUNATO, alii CLAUDIANO MAMERTO, Presbytero *Viennenſi*, tanquam auctori tribuunt: huic opinioni favet SIRMONDUS in Notis ad SIDONIUM *lib.* 4. *epiſt.* 3., & pro ea citat GENNADIUM, ut in Cod. Mſſ. ſancti MICHAELIS de TUMBA auctior legitur. Intellige haec de hymno: *Pange lingua glorioſi praelium certaminis*. Nam qui hymnus ab iiſdem verbis *Pange lingua glorioſi* in Feſto Auguſtiſſimi Corporis, & Sanguinis Domini legitur inchoatus, Auctorem habet S. THOMAM AQUINATEM. Hunc *Graece* verſum edidit *Lutetiae* ann. MDXCV. *Fridericus* MORELLIUS; ex hac vero perrara editione iterum nobis exhibuit cl. *Joh. Bapt.* GALLICCIOLLIUS in ſua *Iſagoge liturgica cap.* 12. *pag.* 271.

PANIS & CALIX, ita Euchariſtia vocatur in Miſſali *Mozarabum* in *poſtridie* Nativitatis, & Reſurrectionis Domini, & in quibuſdam aliis orationibus. Verum uti ſcite animadvertit LESLEUS *pag.* 528. panis ille panis communis non eſt, *ſed panis vivus*, qui de coelo deſcendit, & calix ille non eſt vulgari vino plenus, ſed eſt *in Sanguine Chriſti*. S. AUGUSTINUS *Serm.* 228. *Tom. V. Oper. edit. Maur. col.* 979. Infantes, ideſt recenter baptizatos de Sacrificio Altaris, & de Euchariſtia inſtituens: *debetis*, inquit, *ſcire quid adccpiſtis*, *quid adcepturi eſtis*, *quid quotidie adcipere debetis*: PANIS

ILLE,

Digitized by Google

ILLE, *quem videtis in Altari, ſanctificatus per Verbum Dei*, CORPUS EST CHRISTI, CALIX ILLE, *imo quod habet calix, ſanctificatum per verbum Dei*, SANGUIS EST CHRISTI: & S. ISIDORUS *Off. Eccl. l.* 1. *c.* 1. PANIS, *quem frangimus, Corpus Chriſti*; VINUM *eſt* ....., *autem Sanguis ejus*. Diu antea S. JUSTINUS *Apol.* 1. *ed. Maur. n.* 65. praemonuerat, Fideles panem, & vinum conſecratum, *non tanquam communem cibum, aut tanquam communem potum*, ſed, ut edocti erant, *tanquam carnem, & Sanguinem* Jeſu Chriſti ſumpſiſſe: quare quotieſcumque in liturgiis (ſaltem *Occidentis*) poſt prolata verba Chriſti, quibus elementa transformantur, Euchariſtia *panis*, & *calicis*, aut *vini* nominibus appellatur, ſcito Sermonem eſſe de eo pane, *quem lignum crucis coxit*, & de eo vino, *quod torcular paſſionis expreſſit*, ut ETHERIUS, & BEATUS, ipſis Miſſalis *Mozarabici* verbis utentes, loquuntur.

PAPA. Non modo *Romanum* Pontificem, ſed alios quoque Epiſcopos *Papas*, & *beatiſſimos Papas* dictos aliquando fuiſſe conſtat. Verum, ut a SIRMONDO obſervatum fuit ad ENNODII *epiſt.* 1. *lib. IV.*, Papae nomen uni *Romano* Pontifici tanquam proprium, & peculiare, primus, ut videtur, adſeruit ENNODIUS. Nam quum Epiſcopos omnes Papas ceteri fere, qui ejus aevo proximi fuerunt, appellare ſoleant, ut SIDONIUS, FAUSTUS, RURICIUS, ipſe perpetuo diſcrimine Antiſtites reliquarum Eccleſiarum Epiſcopos vocat, Papam ſolum *Romanae* Sedis Pontificem, ſive quum illi ſcribit, ut SYMMACHO PAPAE, & DOMNO PAPAE, ſive cum de illo apud alios agit, ut *lib. III. epiſt. X., lib. VI. epiſt. XXXIII.* & paſſim. Pari poſt ENNODIUM diſcrimine in ejus vocis uſurpatione uſus eſt CASSIODORUS, qui cum BONIFACIUM, AGAPETUM, & JOHANNEM *Romanae* Sedis Pontifices *Papas* nominat; EUSTORGIUM, & DATIUM *Mediolanenſis*, & alios aliarum civitatum Praeſules, non aliter quam Epiſcopos vocat. Neque omnes tamen hoc ita exemplum poſtea ſequuti ſunt, quin permulti diverſarum gentium, praeſertim extra *Italiam*, Scriptores Papae nomen reliquis item Epiſcopis tribuerint, uſque ad tempora GREGORII VII., qui in Synodo *Romana* primus, ut a BARONIO Cardinale obſervatum eſt, edixit ut PAPAE nomen unius ſit in orbe Chriſtiano *Romani* Pontificis. Vide BARONIUM ad diem 10. Januar. *Graeculos*, qui ab HERACLA *Alexandrino* Epiſcopo Papae nomen primum ad alios Antiſtites derivaſſe diſſeminarunt, erudite SOLLERIUS refellit *in hiſt. Chron. Patriarch. Alex.*

PAPILIONES, vexilla, & inſignia, quae etiam appellantur *tentoria*, & *ſinnìchia*, ſeu *zinicha*, magni umbraculi, ſive tabernaculi ſpeciem referentia, quibus praeferri ſolet campanula, ſeu titinnabulum portatili veluti turri infixum, & jugiter, Clero procedente, pulſari conſuetum. Haec autem militaribus tentoriis, ac tubis reſpondere, notaſque eſſe dignitatis, & juriſdictionis amplioris, etiam ſaecularis, plerique opinantur Eruditorum. In itinerario GREGORII XI. a PETRO AMELIO compoſito, & impreſſo apud librum *6. de Epiſcopis Urbis* PAPIRII MASSONII, Eccleſiarum Romanarum ſigna, & tintinnabula *papalia*, & imperialia nuncupantur. Sunt etiam qui cenſeant, *papiliones* Clericorum inſtitutos, ut ſub iis, quaſi ſub tabernaculis, ſtarent pluviae ſupervenientis tempore. Ita GRANCOLASIUS in *Breviar. Rom. lib. II. cap.* 74., quod ex libro I. CONSTANTINI PORPHYROGE-

ROGE-

Digitized by Google

ROGENITI *de Caeremoniis Aulae Byzantinae cap.* 91. confirmat Cl. GARAMPIUS *in Garfagn. ſigill. pag.* 134. Vide eumdem *ibidem pag.* 113.

PARACELLARIUS. Vide SUBPULMENTARIUS.

PARACLETICE, fere nihil aliud eſt, quam DAMASCENI *Octoechus* ſubſequentibus temporibus a *Graecis* admodum auctus. Editiones, aliaque ad hunc librum ſpectantia vide *Tom. I. Biblioth. Ritual. pag.* 84.

PARACLETUS, latine *Advocatus*. In hymno de Spiritu Sancto legimus: *Qui diceris Paraclitus;* quod neceſſitate metri factum BURIUS putat. Vide THIERSII hoc de nomine diſſertationem.

PARADISUS, porticus, ſeu atrium ante Baſilicam S. PETRI. PAULLUS Diaconus *lib V. cap.* 31. DOMNIO *Pontifex Romanae Eccleſiae locum, qui Paradiſus dicitur, ante baſilicam B.* PETRI, *candidis lapidibus marmoreis mirifice ſtravit.* Paria *Diacono* habet ANASTASIUS in DONO I. *Hic atrium B.* PETRI *Apoſtoli ſuperius, quod Paradiſus dicitur, eſtque ante Eccleſiam in quadriporticum, magnis marmoribus ſtravit;* quae totidem verbis repetit AIMOINUS *lib. IV. cap.* 35. Paradiſi ante Eccleſiam D. PETRI meminit quoque LEO MARSICANUS *lib. II. cap. IX. Chronici Caſſinenſis*, agens de loco ſepulturae OTHONIS II. Imp.: *Romam rediens eodem tempore defunctus eſt, atque in labro porphyretico ſepultus, in atrio Eccleſiae B.* PETRI *Apoſtoli, introeuntibus in Eccleſiae ipſius Paradiſum ad laevam.* Quare autem *Paradiſus* atrium Vaticanae Baſilicae dictum ſit, divinare conatus eſt TORRIGIUS *in hiſtor. imagin. B. M. Monial.* S. SIXTI *pag.* 47. *Ad Romanam* conſuetudinem, inquit ROSWEIDUS in Not. ad S. PAULLINI *Epiſt.* 33., etiam alibi extra *Romam*, atrium ante Eccleſiam ita vocabatur. LEO MARSICANUS *lib. III. cap.* 26. *Chronici Caſſinenſis* de Eccleſia *Caſſinenſi* a DESIDERIO Abbate refecta, vel potius extructa: *Fecit & atrium ante Eccleſiam, quod nos Romana conſuetudine Paradiſum dicimus.* Sic area illa ampla, (ut ad AIMOINUM notatur a JACOBO de BRUEL) quae eſt *Lutetiae* ante primariam aedem B. MARIAE, & vulgo *le parvis* dicitur, in antiquis dicti loci chartis *Paradiſus* appellatur. Demum *Paradiſus* liber eſt *Graecorum*, de quo dixi *Bibl. Ritual. Tom. I. pag.* 90.

PARALIPOMENA, latine *praetermiſſa*. Libri duo ſacri continentes ea, quae in libris *Regum* praetermiſſa ſunt, quaſi *libri praetermiſſorum*.

PARAPHONISTAE. In ſchola Cantorum, poſt Primicerium, quatuor majores reliquis erant, primus, ſecundus, tertius, & quartus ſcholae vocati. Quorum tres primi paraphoniſtae, quartus vero archiparaphoniſta dicebatur, cujus officium erat Pontifici de Cantoribus, quum quid opus erat, nunciare. Ita in libello *Romani* Ordinis.

PARASCEVE. S. ISIDORUS *de Offic. Eccl. lib.* 1. *cap.* 29. *Paraſceve, id eſt ſexta Sabbathi, ideo in feſtivitate habetur, quia eo die Chriſtus myſterium Crucis explevit.* Apud *Gotho-hiſpanos*, & *Gallos* nullae hac die Miſſae antiquitus celebrabantur, idemque *Romae*, traditione Eccleſiaſtica, mos obtinuerat, teſte INNOCENTIO I. in epiſtola ad DECENTIUM *Eugubinum cap.* 4. Unde in libris liturgicis *Gallicanis* neque orationes, neque lectiones ad Miſſam adſignantur. In quibuſdam etiam Eccleſiis diem Paſſionis Domini, clauſis Baſilicis, cum moerore tranſigebant; in aliis autem *ab hora nona*

ſoluto

Digitized by Google

ſoluto jejunio epulis indulgebant. Utrumque hunc abuſum Concilii *Toletani* quarti Patres ſuſtulerunt, ſtatuentes *Can.* 7., *ut feria ſexta paſſionis Domini omnibus praedicetur myſterium Crucis, atque ut omnis populus Indulgentiam criminum poſtulet, ut poenitentiae compunctione mundati venerabilem diem Dominicae Reſurrectionis remiſſis iniquitatibus ſuſcipere mereamur, corporiſque ejus & ſanguinis Sacramentum mundi a peccatis ſumamus*, & *Canone octavo* ſtatuentes, *ut, ſi quis exceptis parvulis & languentibus jejunium ſolvat ante peractas Indulgentiae preces, a gaudio, & communione Paſchali repellatur*. Exinde in omnibus Eccleſiis, *Gothorum* Imperio in *Hiſpania*, & *Gallia* ſubditis, feria ſexta Paſſionis Domini publice poenitentes reconciliabantur, & Paſſio Domini legebatur, quibus poſtea adjecta ſunt adoratio crucis, & communio, ſeu Miſſa praeſanctificatorum: de quo vide ſuo loco.

PARATORIUM, Secretarium, Sacrarium. In vulgato Ordine Romano haec leguntur: *Reponitur liber in* PARATORIO *quodam, ſive in Secretario*.

PARATURA LINOSTIMA. MARTENE *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 14. *Et habeant ſingulas Paraturas linoſtimas, ſubtiliores, quibus in diebus feſtis ſolum in proceſſionibus utuntur. Linoſtima* autem forte dicitur, quia ex lino contextae erant hujuſmodi Paraturae.

PAROCHUS, Curio, Paroeciae praefectus. Erant apud *Romanos* Parochi, qui legatis *Romam* publice venientibus, ceteriſque alicujus dignitatis hoſpitibus ſalem, & ligna praeparabant, ut exponit ACRON ſuper illud HORATII. I. Serm. Satyra 5. *Tum Parochi, qui debent ligna, ſalemque*. Hi *Latino* vocabulo *Copiarii* dicti ſunt, ut auctor eſt PORPHYRIO, quod omnium rerum neceſſariam copiam regum, populorumque legatis ſuppeditabant. Nam quamvis HORATIUS loco jam citato ſalis tantum, & lignorum meminerit; tamen, ut ibidem animadvertit ACRON, ſub illarum ſpecierum appellatione, omnia hoſpitibus neceſſaria voluit intelligi. Quare qui ſuae curae animabus neceſſaria ſalutis ſubſidia adminiſtrant, Parochi apud Chriſtianos audiunt. Iidem Paroeci a *Paroecia* dicuntur.

PAROECIA, ſive Parochia, idem eſt, quod Titulus, ſcilicet ſacra aedes, ubi animarum cura a Presbyteris geritur. Parochi autem dicti ſunt, ideſt Curati. Paroecia autem dicitur accolatus, ſive accolarum conventus, ſacraque vicinia: nam παρα *juxta*, οικια *domus*; ubi ſcilicet ſunt domus contiguae. AUGUSTINUS *lib. XIV. de Civit. Dei*: *Presbyter fuit quidam nomine* RESTITUTUS *in paroecia Calamenſis eccleſiae*. Parochiam tamen veteres appellabant, quam nunc Dioeceſim vocamus.

PARS *Mulierum*. Vide MATRONAEUM.

PARTICULAE impropriè vocantur illae minores hoſtiae, quas ſupra vidimus appellatas *hoſtias nummularias*, ſeu in denarii forma, quibus nunc communicantur laici, & qui non celebrant. Rigoroſe tamen, & in ſenſu liturgico neutiquam tales appellari poſſunt: illae enim partes hoc ſuo nomine veniebant, quae ex pane majori conſecrato ſecabantur, & Fidelibus communicaturis diſtribuebantur: erant enim partes parvae reſpectu totius materiae ſacrificii. In ampliori tamen ſignificatione illae poſſunt dici Particulae, quae ſimul cum majori hoſtia a Celebrante conſecrantur, & in ea-

Digitized by Google

dem Miſſa populo communicanti diſtribuuntur: vere enim de his dici poteſt, quod ſint partes illius Sacrificii, & ab illarum parvitate, reſpectu majoris Hoſtiae, *Particulae* nuncupantur. Ita Auctor *Onomaſtici ſacri*.

PASCHA, in *Orationali Gothico pag.* 103. *Reſurrectio Domini*, in Breviario *Mozarabum Laetatio Paſchae*, in Sacramentario *Bobiano in die Paſchae*, in Miſſali *Gallicano*, *& Gallo-gothico in die Sanctae Paſchae*, in Lectionario *Ambroſiano* Em. THOMASII *in Solemnitate Paſchae*, in Sacramentario *Gelaſiano Dominicum Paſchae*, in Capitulari Evangeliorum GEORGII *in Paſcha Dominica Sancta*. Apud Veteres *Reſurrectio Domini* diſtinguebatur a Paſchate: nam Paſcha erat feſtum mobile, & die Dominica celebrabatur; at Reſurrectio Domini die VI. Kalendas Martii ab iis omnibus celebrabatur, qui diem Paſſionis Dominicae VIII. Kal. Martii ſtatuebant. Ita in vetuſto Calendario anno 446. compoſito *apud Bolland. Tom. VII.* Junii *part.* 2. *pag.* 174. legitur: IX. Kal. Aprilis *Natalis calicis*, VIII. Kal. Aprilis *Chriſtus paſſus*, VI. Kal. Aprilis *Reſurrectio*. In Martyrologio *Hieronymiano Lucenſi* FLORENTINII legitur: VI. Kal. April. *Reſurrectio Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Vide plura apud FLORENTINIUM ipſum hic in Notis, & ad diem VIII. Kal. Aprilis. Ceterum feſtivitas Paſchalis apud *Gotho-hiſpanos* diebus quindecim celebrabatur. *Cod. leg. Wiſig. lib.* 2. *Tit.* 1. *leg. XI.*

PASCHA ANNOTINUM. Vide ANNOTINUM.

PASCHA CLAUSUM, Sabbathum in Albis; eo enim die terminabatur Paſchalis ſolemnitas: ideo recte *Ambroſiano* ritu Dominica ſequens nuncupatur *Dominica in Albis depoſitis*.

PASCHA PETITUM. Vide DOMINICA PALMARUM.

PASCHA ROSATA, feſtum Pentecoſtes. In hiſtoria S. LEONIS Papae IX. *num.* 21. *Dominica, quae dicitur Paſcha roſata*. Narrat MAZZOCHIUS *in Kal. Neap. Tom. I. pag.* 54., ſe puero in *Capuana* Dioeceſi in Dominica Pentecoſtes inter Miſſae ſolemnia conſueviſſe Presbyteros, Eccleſiae pavimentum roſis conſpergere, qui mos poſtea exolevit.

PASSIO. Paſſiones ſunt illa Evangeliorum capita, in quibus D. N. J. C. acerbiſſima Paſſio narratur. Leguntur autem ritu *Romano* in Dominica Palmarum, & in ſequentibus feriis tertia, & quarta, & ſexta in Paraſceve. In Eccleſia tamen *Mediolanenſi* in Dominica Palmarum legitur Evangelium JOHANNIS *cap.* 11. ab illis verbis: *Proximum erat Paſcha Judaeorum &c.* uſque ad illa: *Quia multi propter illum abibant ex Judaeis, & credebant in Jeſum*. Hunc ritum non legendi Paſſionem in dicta Dominica obſervabant & alii, ut ex *Statutis* LANFRANCI *cap.* 1. §. 4. *Sacerdotes ad privatas Miſſas unam tantum collectam dicant, Evangelium: Quum appropinquaſſet, Paſſionem nullus legat*. ULDARICUS *lib.* 1. *cap.* 54. *In Ramis Palmarum una Collecta eſt dicenda: nec Paſſio legitur, ſed illa tantum Lectio S. Evangelii: Quum appropinquaret*. Conſuetud. S. BENIGNI *cap.* 27. *Sabbatho ante Sanctum diem Palmarum cappae in craſtinum ferendae praeparentur. In craſtinum nec ad Miſſam Matutinalem, nec ad Miſſas privatas Paſſio legitur, ſed illud Evangelium: Quum appropinquaret*. Idem praeſcribunt Conſuetud. *Compendien.*, Ordinar. *Tullenſe*, Conſuetud. *Grandimonten. &c.* Illae tamen S. GERMANI a *Pratis* haec habent: *Quando erimus circa finem Tractus, Sacriſta pulſabit unam par-*

Digitized by Google

parvam campanam pro congregandis Dominis ad audiendam Paſſionem, quia ipſa die non debet legi niſi in magna Miſſa: Corbejenſes autem: *Nullus legat Paſſionem, niſi ſolus Cellerarius privatim*. At *Fuldenſes* Paſſionem Domini legebant ſecundum MATTHAEUM ad Miſſam; Feria IV. ſecundum LUCAM; feria VI. ad Tertiam ſecundum MATTHAEUM; ad Sextam ſecundum MARCUM; ad Nonam ſecundum JOHANNEM. *Vet. diſc. Mon. p. 6. Ambroſiani* porro Feria 5. in Coena Domini legunt Paſſionem ſecundum MATTHAEUM uſque ad illa verba: *Flevit amare*; & Feria ſexta in Paraſceve legunt quae ſequuntur ab illis verbis: *Mane facto conſilium inierunt &c.* In reliquis vero diebus numquam Paſſiones legunt.... *Mozarabes* Paſſionem non legunt, niſi in Paraſceve, ſancti MATTHAEI nomine lectioni praefixo, etſi apud illos contexta eſt ex verbis omnium Evangeliſtarum: idem obſervare licet de Sacramentario *Bobiano*, in quo nomen S. JOHANNIS praeponitur lectionibus de Paſſione Chriſti, quae ex omnium Evangeliorum ſententiis compactae ſunt.

PASSIONALE, PASSIONARIUM, liber acta, & agones praeſertim Martyrum continens. Vide *Biblioth. Ritual. Tom. I. pag.* 100.

PASTOPHORIA diruta, Breviarium menſe Octobri ex libro 1. Machabaeorum, latine Coenacula Sacerdotum. Παςοφορεῖον interpretatur HIERONYMUS Tabernaculum ſive thalamum, in quo habitat Templi Praepoſitus. Paſtophorium appellatur a S. CLEMENTE *lib. 8. conſtit. Apoſtolicarum* Tabernaculum ſanctiſſimi Sacramenti, quaſi thalamus comeſtionis ſacrae, ſive Coene Dominicae. Hoc nomine ſignificatur etiam locus, in quo ſacrae veſtes, & vaſa reconduntur. *Lib. 4. de Geſtis* FRIDERICI *cap. 13. Vulpes, & lepores Paſtophoria Eccleſiae, & officinas Canonicorum ingreſſae*. Duo nempe Paſtophoria hinc inde apud Apſidem extrui conſueverant.

PASTORALE. Vide Baculus Pastoralis.

PASTORALIS liber, Rituale. Vide *Biblioth. Ritual. Tom. I. pag.* 155.

PATENA. Patenae, quas *Latini* veteres *patinas* vocabant, vas ſunt Eccleſiae miniſteriis dicatum, cujus uſus in oblatione Dominici Corporis olim fuit, & jam eſt. Late de iis egit Card. BONA, quem vide, eique junge CANGIUM. Vitreae fuerunt, argenteae, aureae. Patenam GRAECI *diſcon* appellant; diſcus tamen magis cavus eſt, & aliquanto capacior, ne panis ſacri micae excidant. Hodie poſtquam Pontifex, & Epiſcopus, & Celebrans calicem obtulerit, & dixerit: *Offerimus tibi Domine &c.*, Diaconus accipit patenam, eamque tradit in manibus Subdiaconi, qui illam involutam velo, ſtans poſt Epiſcopum, & Diaconum, tenet uſque ad *Pater noſter*. Olim alius ritus ſervabatur; nam patena ab initio Canonis uſque ad ejus medium manibus tenebatur ab Acolytho, qui eam velo involutam tenebat ante pectus, ſtans retro altare, & in medio Canone eam Subdiacono tradebat. *Patenae* porro aliae erant Miniſteriales, aliae Chriſmales. Primae ceteris ampliores pro miniſtranda Fidelibus Euchariſtia inſerviebant. Secundae autem alium uſum non habebant niſi in Baptiſmate, & Confirmatione. ANASTASIUS in SILVESTRO: *Patenam argenteam Chriſmalem obtulit*.

PATER DIACONIAE. Intra limites Diaconorum Noſocomia, & pauperum diverſoria erant, ubi viduae, aliique egentes Eccleſiaſtica ſtipe ale-

 bantur,

bantur, & huic hoſpitio conjuncta erat Eccleſia; cujus moderator *Pater diaconiae* appellabatur, qui temporalium rerum curam cum Subdiacono regionario habebat; & aliquando ex clero, aliquando ex laicis deligebatur. Vetus inſcriptio ann. DCCLXX. adhuc ſuperſtes in Diaconia *S. Angeli in foro piſcium*, a TORRIGIO *in Cryptis Vaticanis*, quamquam alicubi mendoſe, edita, memorat THEODOTUM HADRIANI I. Romani Pontificis patruum, antea *Ducem*, *poſtea Primicerium ſanctae Sedis Apoſtolicae*, & *patrem Diaconiae* S. PAULLI, de quo vide Cl. GALLETTUM *de Primic. pag.* 51.

PATERICON. Ita *Graeci* librum appellant, qui Vitas Patrum in Eccleſia pro more legi ſolitas continet. Confer *Biblioth. Ritual. Tom. I. pag.* 90.

PATRIARCHA. Patriarchae nomen, & dignitatem a Judaeis Chriſtiani accepimus. Nomen quidem; in ſacris enim litteris qui cujuſque aut tribus, aut familiae principes erant, & Hebraei lingua ſua primos patres appellabant, eos Graeci interpretes *Patriarchas* nuncuparunt, ut *I. Paralip. IX.* Dignitatem vero; erant enim poſt excidium Templi & *Alexandriae*, VOPISCO teſte, & *Tiberiade*, ut auctores ſunt ORIGENES apud HIERONYMUM, & EPIPHANIUS, *Judaeorum* Patriarchae, quorum maxima jura fuerunt. Igitur *Patriarchae* eorum exemplo dicti a nobis ſunt Principes Epiſcopi, illarum in primis Sedium, ex quibus ad ceteras Chriſtiana Religio propagata eſt, ut *Romanae*, *Antiochenae*, & *Alexandrinae*. Hinc *Romanus* Patriarcha *Occidenti* univerſo, *Antiochenus Orienti*, *Alexandrinus toti Aegypto* praefuit. Hiſce tribus Patriarchis duo aliquanto poſt additi, *Hieroſolymitanus* a Concilio NICAENO, & *Conſtantinopolitanus*; illi tres *Palaeſtinae* attributae; huic tres Dioeceſes, *Pontica*, *Aſiana*, & *Thracica*. Poſt exortas *Neporianorum*, atque *Eutychianorum* haereſes in *Oriente* plures emerſere Patriarchae, horum plerique erroribus addicti, ut *Jacobitarum*, *Chaldaeorum*, *Armenorum*, quos gregarii ſui paſſim CATHOLICI nomine diſtinguunt. Excipiendus ab his Patriarcha *Antiochenus* MARONITARUM in Monte LIBANO, qui Patriarchali jure illi genti praeeſt, Catholicam fidem *in medio nationis pravae* ſtrenue profitenti. In *Occidente* ad celebre Iſtricum ſchiſma Epiſcoporum ob tria capitula a *Romana* Eccleſia diſſidentium unus fuit Patriarcha *Romanus* Pontifex. Tunc vero *Aquilejenſis* Metropolita a ſuis Patriarchae nomen obtinuit; quum autem Catholicus Epiſcopus eidem Eccleſiae non deeſſet, hic GRADUM ſe contulit, utque ſchiſmatico Antiſtiti par eſſet etiam honoris titulo, *Gradenſis Patriarcha* a Summis Pontificibus dictus eſt. GRADENSIS tamen Patriarchatus in CASTELLANUM Epiſcopum, qui eo nomine *Venetiarum* Eccleſiam regebat, a NICOLAO V. anno 1451. AQUILEJENSI extinctus eſt, in duoſque Archiepiſcopatus diſſectus, quorum alter *Utini* apud *Venetos*, alter *Goritiae* apud *Auſtriacos* poſitus eſt. Nobilium quoque in Occidente Civitatum Metropolitanos interdum *Patriarchas* appellatos invenimus, ſed honoris tantum cauſſa, non juris. Sic NICETIUS *Lugdunenſis* a GREGORIO *Turonenſi* nuncupatus fuit, HONORATUS *Mediolanenſis* a PAULLO Diacono, RODULPHUS *Bituricenſis* ab ipſo NICOLAO I. Nunc duos in Occidente Patriarchas praeter *Romanum* habemus, *Ulyſiponenſem* Antiſtitem, & Patriarcham *Indiarum*. Tandem no-

tan-

Digitized by Google

tandum, quot in Oriente *Graecorum* ex veteri conſuetudine Patriarchae ſunt; *Conſtantinopoli*, *Antiochiae*, *Alexandriae*, *&* *Hieroſolymis*, totidem Patriarchas Latinos titulares eligi a Summo Pontifice; de quorum auctoritate conſulo differentem ANDREUCCIUM *Hierarch. Eccleſ. lib. II. Diſſ.* 1. §. 5.

PATRIARCHIUM, Patriarchae Aedes. Antonomaſtice apud *Latinos* hoc nomine *Lateranenſe* Palatium intelligitur. Aliquando tamen *Patriarchium* Cameram, quam dicimus, Apoſtolicam ſignificat, ut in *Collectaneis* ANASTASII *Bibliothecarii* a SIRMONDO editis videre eſt *pag.* 99.

PATRICIA Dignitas. Ceſſante ſuperſtitione Gentilium, inquit BARONIUS *in Martyr. ad diem* 27. *Auguſti*, ubi de S. RUFO Martyre patriciae dignitatis viro, licet extinctus ſimul fuerit Patricius Magiſtratus, quum ipſorum Sacerdotia, ſimulque auſpicia fuerint antiquata; remanſit tamen ipſa dignitas Patriciatus, quae ex Patricio Magiſtratu illud retinuit, ut ſicut in eo Pontificalis dignitas erat perpetua, nec ſine obitu deſineret, ita ſub Chriſtianis Imperatoribus Patriciatus dignitas perennis eſſet. Id egregie expreſſum habes apud CASSIOD. *Variar. lib. 6. form.* 2., qui de eadem ampliſſima dignitate clariſſimis tantum Viris conferri ſolita agit *lib.* 8. *epiſt.* 9. 10. *&* 11. De eadem ZENO Imperator *l.* 3. *de Conſul. Cod. lib.* 12. haec ſcribit: *Neminem ad ſublimem Patriciatus honorem, qui ceteris omnibus anteponitur, adſcendere liceat, niſi prius aut Conſulatus honore potiatur, aut Praefectura Praetorii* Orientis, *vel* Illyrici, *vel Urbis adminiſtratione, aut Magiſtri militum, aut Magiſtri officiorum &c.* Adeo itaque erat Patriciatus excellens dignitas, ut non tam ea Conſulatu, quam Conſulatus Patricia illuſtraretur dignitate, ut eleganter habes expreſſum a JUSTINIANO Imp. *l.* 1. *C. de Conſ.* adeo ut nec jam (ut olim) Patricii dicerentur a Patribus, qui & Senatores erant; ſed quod Patres dicerentur Imperatoris, ut idem JUSTIN. teſtatur *l. ult. Cod. de Conſ.* Horum inſignia (quantum ex nuper citatis CASSIODORI locis colligere licet) erant chlamys, cingulum, calcei picti, & ſella ſublimis. Inſtitutam hanc dignitatem a CONSTANTINO Imp., conceſſumque Patriciis, ut ſuper omnes etiam Praefectos Praetorio conſiderent, auctor eſt ZOSIMUS *lib* 2. Horum etiam auctoritate legationes mitti conſueviſſe, auctor eſt SVIDAS.

PATRINUS, qui in Baptiſmate, vel in Confirmatione Sacramentis initiandum ſuſcipit, pro illoque ſe veluti fidejuſſorem, ac ſpiritualem parentem conſtituit. Patrini ſacris Miniſtris lautum parabant convivium, quod coercuit *Moguntinum* Concilium II. *can.* 16.

PATROCINIUM, Patrocinia. Sanctorum reliquiae, quorum patrocinia invocantur, vel in Proceſſionibus deferuntur, dicta etiam *Phylacteria*.

PATROCINIUM B. Virgin. Tertia Novembris Dominica beatiſſimae Virginis patrocinium celebratur. Officium hujus Feſti Decreto S. R. C. 6. Maji 1679. conceſſum jam fuerat omnibus Provinciis *Hiſpano* Regi obnoxiis; id etiam aliis Regionibus indultum fuerat. BENEDICTUS autem XIII. omnibus Eccleſiaſticae ditionis Eccleſiis injunxit.

PAVIMENTUM ſacrarum aedium lapidibus, & pictis quoque animalium figuris ornare mos fuit. Apud MARTENIUM, *Tom. II. de ant. Eccl. Ritib. lib.* 1. *cap.* 8. *art.* 11., ordo exſtat cujuſpiam Eccleſiae in conſecratione

tione Epiſcopi obſervandus; in quo cum tres fidei profeſſiones ab eo ante conſecrationem emittendae praeſcribantur, primam edebat *praeſentatus a Clericis uſque ad aquilae in pavimento depictae caudam*, ſecundam *in medio aquilae*, tertiam in aquilae capite conſiſtens. Vide ſupra de Vaticana Baſilica V. Circulus Porphyreticus.

PAUSANTES, ſive *quieſcentes* vocantur in Miſſali *Mozarabum* Fideles mortui, ut Apoſtolus eoſdem *Dormientes* dixit 1. *Theſſ. IV.* 13.

PAX. Vide Osculum. Formulas quaſdam Pacis dandae vide apud GARAMPIUM in Vita B. CLARAE *pag.* 192.

PAX VOBIS, Salutatio Epiſcopalis a *Graecis*, qui quum ſalutant populum, dicunt *Pax omnibus*, ad *Latinos* Antiſtites derivata. Hanc formulam, cujus meminerunt OPTATUS *Milevit. lib.* 3. & AMBROSIUS *de dignit. Sacerdot. cap.* 5., quum quidam Epiſcopi ex PRISCILLIANI inſtituto praeter Eccleſiae conſuetudinem frequentarent, nec altera *Dominus vobiſcum* Presbyteris communi uti umquam vellent, a Concilio *Bracarenſi I. can.* 21. eorum arrogantia repreſſa eſt.

PECTEN, quo crines pectebant Sacerdotes, & Clerici, antequam Eccleſiam ingrederentur, inter ſacra miniſteria non ſemel numeratur. Charta JOH. Archiep. *Capuani* ann. 1301. *Item pectinem unum de ebore, item calicem unum &c.* Teſtamentum EVERARDI Comitis ann. 837. apud MIR. *Tom. I. pag.* 21. *De paramento vero Capellae noſtrae ciboreum cum cruce aurea ....pectinem auro paratum unum concedimus*. Alia dabit SALA *Tom. II. in* BON. *pag.* 312.

PECTORALE. In hiſtoria *Antiſſiodorenſ.* Epiſcop. legimus: *Caſula coloris aetherii, phrygio palmum habente, ſuperhumeralis, & rationalis effigiem* AD MODUM PALLII ARCHIEPISCOPALIS *honorabiliter praetendebat*. Ad haec verba illuſtranda CANGIUS notat, in hujuſmodi caſulis, quarum complures in majorum Eccleſiarum Secretariis ſuperſunt, circa collum limbum alterius coloris ante & retro pendulum adfixum conſpici, ubi hodie retro tantum in crucis figuram adſuitur. Hujuſmodi caſularum ornatus exhibentur in denariis excuſis inferiori aevo in quibuſdam *Italiae* Civitatibus Epiſcoporum imagines praeferentibus. Memoratus caſularum ornatus *dorſale, & pectorale* appellatus eſt. In deſcriptione theſauri Eccleſiae Sancti PAULLI *Londinenſis* ann. 1295. *Item Caſula* WLFRANI *de Indico Sameto, bona, & pretioſa* CUM PECTORALI &c., & HUMERALI *vineato de fino auro brendato*. Paullo poſt: *Item Caſula* HUGONIS DE ORIVALLE *de albo diaſpro*, CUM PECTORALI, ET DORSALI *largo de floſculis de fino auro*.

PECTORALIA nonnumquam cancellos ſignificant, idemque ſunt quod *Pogium*. Vide MABILLON. *comm. in Ord. Rom. pag. CXXXVII.*

PEDIFER, qui Baculum Paſtoralem defert ante Epiſcopum, vel Abbatem. MARTENE *lib.* 4. *cap.* 1. *Notandum eſt, quod, quando Abbas facit officium, Pedum, ſeu Croſſa a Capellano, ſive Pedifero defertur*.

PEDULES, ſub hoc nomine comprehenduntur *Sandalia*, ſeu *Compagi*, de quibus ſuo loco. Ordo *Romanus* ad Abbates horum uſum extendit; agens enim de Abbatum ordinatione ait: *Epiſcopus det ei Baculum, & Pedules*. Vide Compagi, Sandalia.

PE-

PEDUM. Vide Baculus Pastoralis.

PENTECOSTES. Breviarium *Mozarabum*, & Orationale *Gothicum in diem Sanctum Pentecoſten*, Miſſale *Gallo-gothicum*, Lectionarium *Luxovienſe*, Sacramentarium *Gregorianum* MENARDI &c. habent *in die Sancto Pentecoſten;* quo modo etiam Capitularibus Evangeliorum GEORGII inſcribitur, & videntur vocem *Pentecoſten* indeclinabiliter adhibuiſſe. Eſt autem feſtivitas haec una ex praecipuis, & antiquiſſimis, ab Apoſtolis utique celebrata. S. LUCAS *Act. X.* memorat S. PAULLUM feſtinantem, ut diei Pentecoſtes intereſſet *Hieroſolymis*, quod non de Chriſtianorum, ſed de *Judaeorum* Pentecoſte intelligendum eſt, ut ſcilicet Apoſtolus occaſione multitudinis, quae *Hieroſolymam* ad hoc Feſtum confluebat, nonnullos poſſet ad Chriſtum convertere. Omni tamen tempore reperitur Feſtum hoc *Hieroſolymis* celebratum; & S. CYRILLUS *Hieroſolymitanus Cath. 6.* memorat etiam Eccleſiam in eodem loco extructam, ubi Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos deſcenderat, quae ſuo quoque aevo ſubſiſtebat, & S. EPIPHANIUS *de Ponder. cap. 14.* ab hac Eccleſia ait *Romanos* abſtinuiſſe, quum eam urbem ſub TITO depopulati ſunt. Pentecoſtem Feſtorum omnium maximum appellare non dubitavit EUSEBIUS *de Vita Conſtant. lib. 4. cap. 64. Die quam ſi quis omnium Feſtivitatem maximam vocet, haudquaquam meo judicio aberraverit; eſt enim conſummatio Myſteriorum omnium noſtrae Religionis, & ad Spiritum Sanctum nobis dandum omnia concurrunt.* De ea S. ISIDORUS *offic. lib. 1. cap. 33.* fuſe tractat, pluresque exſtant Patrum Homiliae, & Sermones hac die recitati. Leges *Wiſigothorum lib. 2. Tit. I. leg. 11.* prohibent, ne forum contentioſum die Pentecoſtes frequentetur, & lege *Dominico Cod. Theod. V. de ſpect.*, ne Theatri, aut Circi edantur ſpectacula. Pentecoſtes a Conciliis Feſto Paſchatis adſimilatur: *Pentecoſtes ſimiliter, ut in Paſcha.* Officium eodem modo diſpoſitum eſt. Propter novos Baptizatos putavit AMALARIUS, unum tantum Nocturnum cum tribus Pſalmis dici ſolere hac die, & per totam hebdomadam: *Propter Baptiſmatis Sacramenta, numero trium Pſalmorum complemus Nocturnalia Officia per octo dies hebdomadis Pentecoſtes;* eſtque inſtar nocturni Officii, cui tres tantum inſunt pſalmi ad Veſperas, & Completorium in pluribus Eccleſiis.

PEREGRINATIONES *Sacrae*. Vide Limina Apostolorum, & GRETSERUM ibi citatum, qui ſacras haſce peregrinationes erudite illuſtrat, ac defendit. Confer etiam TROMBELLIUM *de Cultu Sanctorum Tom. I.*

PERFUSIO. Vide Ablutio.

PERFUSORIUM, linteum ad tergendum calicem. Ordo *Roman.* XIV. *pag. 337.*

PERGULA, adnotante *Jacobo* CUJACIO, erat exhedra anguſta in ſuperficie aliqua aedium, de qua intelligenda ſunt illa TERTULLIANI verba in libro *adverſus* VALENTINIANOS: *Coenacula in aedicularum diſpoſita forma, aliis atque aliis* PERGULIS *ſuperſtructis.* In his pergulis quandoque merces vaenales diſponebantur. Idcirco *pergulae* voce uſi quoque ſunt Eccleſiaſtici Scriptores ad Exhedram, ſeu menſam deſignandam, in qua ſacra donaria exhibebantur diebus celebrioribus. De his *pergulis* meminit liber Pontificalis in GREGORIO, & LEONE III., & in STEPHANO VI.

PERI-

Digitized by Google

PERISTERIUM, turris, columba, repoſitorium, reconditorium, capſa, pyxis, appellabantur *vaſa*, in quibus *ſanctiſſima Euchariſtia* vel ut a Fidelibus, quo par eſt, cultu adoraretur, vel pro delatione ad aegrotos, vel pro ejus adſervatione reponebatur. PERPETUUS Epiſcopus *Turonenſis* A. D. 474. reliquit AMALARIO presbytero Eccleſiae *de Preillo* PERISTERIUM, & COLUMBAM ARGENTEAM *ad repoſitorium*. *Carolo* CANGIO Synonymum videtur eſſe hoc loco *periſterium*, & *columba*, quod a *Graecis minor columba*, *periſterion* appelletur: forte tamen, inquit, eſſe poteſt *loculus*, in quo ipſa continebatur *columba*, ac ita *periſterii* vocem explicat in *Gloſſario*, ut ſcilicet eſſet ciborium, in cujus cavo adpenſa erat *columba*, ex qua pendebat *pyxis*, ſacram Euchariſtiam continens.

PERTICA. Aliquando ſacra vaſcula, Sanctorum reliquiis referta, adpendebantur ad *perticam* ante altare diebus ſolemnioribus conſpicienda. CONRADUS Epiſcopus incertae Sedis in deſcriptione ſacri theſauri Eccleſiae *Moguntinae*, qualis erat circa A. D. 1142., haec literis mandavit: *Erat* PERTICA ARGENTEA *concava deaurata, quae tantum praecipuis feſtis, ut in Paſſione, Penteceoſte, in Dedicatione Eccleſiae, in feſto Patroni glorioſi Confeſſoris* B. MARTINI, *in Nativitate Salvatoris* ANTE ALTARE *dependebat, in qua* VASCULA *ſuſpendebantur, quaedam eburnea, quaedam argentea formarum diverſarum, omnia Reliquiis plena*. Eſt etiam Pertica virga, haſta, arundo &c. *Novus ignis poſtquam conſecratus fuerit, adſpergatur, & incenſetur. Portetur quoque pertica, ſuper quam ferendus eſt ignis ab illo, a quo portandus eſt, qui in proceſſione procedit.* Conſuet. S. BENIGNI; & infra: *Unus vero de infantibus adfert candelam accenſam, ut praeſto ſit ignis ſi exſtinguatur, qui ſupra perticam portatur.* Conſuetud. S. DIONYSII: *Poſt orationem adſpergatur ignis aqua benedicta, & impleatur thuribulum de ipſo igne, & accendantur cerei, & candela portanda ſuper perticam.*

PHAELONIUM a *Graecis* caſula dicitur. Duplex autem illis eſt, Presbyteralis, quae ſimplex eſt, & Epiſcopalis multis crucibus inſignita, dicta proinde *Polyſtaurion*, quaſi *Multicrucium*.

PHANON. Conſuetud. *Farfenſes*: *Inchoet Prior* Miſerere mei Deus, *& exeant extra portam cum phanonibus, famulis portantibus....... Debet eſſe omnis proceſſio ſicut ſupra, excepto phanone.* Nomine autem *phanonum* veniunt Vexilla, vel quid aliud expanſum. Vide FANON.

PHARUS. Vide FARUS.

PHIALA. Vide CANTHARUS, NYMPHAEUM; idem enim *Graecis* eſt Phiala.

PHRYGIUM. Vide MITRA, TIARA.

PHYLACTERIA, Crux aurea, vel argentea filo, & catenulis appendenda, & inſertis Reliquiis diſtincta. S GREGORIUS M. *lib. XII. epiſt.* 7. ad THEODELINDAM: *Regi tranſmittere phylacteria cenſuimus, ideſt* CRUCEM *cum ligno ſanctae Crucis Domini*. Erat enim parva theca in modum crucis efformata, in qua Sanctorum Reliquiae continebantur, & in hanc ſignificationem GREGORII locum adcipit CANGIUS. Ipſe quoque JOH. DIACONUS in S. GREGORII Vita haec *phylacteria* de cruce ad collum ſuſpendenda interpretatur, dum *lib. IV. cap.* 80. tradit de ejuſdem GREGORII indumentis: *Quod autem Reliquiarum phylacteria tenui argento fabricata, vi-*

ta, vi-

ta, *vilique pallio*; *de collo ſuſpenſa fuiſſe videntur*, *habitus ejus mediocritate demonſtratur*. Vide PATROCINIUM.

PIGNORA, Sanctorum Corpora, vel Reliquiae.

PINNACUM, eſt locus frequentibus pinnis circumſeptus. Templum *Hieroſolymitanum* erat ſuperius planum, & circumquaque pinnis ſeptum; pinnae autem ſunt dentes in ſuperioribus murorum partibus eminentes.

PIPA, fiſtula ad hauriendum Chriſti Sanguinem, eaque vox legitur in teſtamento S. EVERARDI ann. 867.

PISCINA, vulgo *Sacrarium*, ideſt locus ille, in quo debet projici aqua poſt lotionem Corporalium, & cineres rerum ſacrarum prius combuſtarum. Antiquior Piſcinae mentio mihi occurrit circa ann. 1198. in Conſtitutionibus Synodalibus ODONIS Epiſcopi *Pariſienſis*. Meminit ejuſdem Concilium *Salmurienſe* ann. 1253. Porro *Bajocenſe* ann. 1300. Concilium *cap.* 21. ſtatuit, Piſcinas conſtrui debere intra Altaria, cavendumque, ne in eis aquae ablutionum liberum curſum habeant, nimirum ne diffundantur per pavimentum Eccleſiae, ſed in terra recondantur; eaſque non ſine coopertorio diligenter cuſtodito relinquendas. In Concilio vero S. CAROLI *Mediolanenſi IV.* ann. 1576. *Tit. XI.* decernitur, ſacrarium, ſeu Piſcinam conſtrui debere in Cappella majori Eccleſiae, aut prope Sacriſtiam, vel in ipſa Sacriſtia. Modum novae Piſcinae apte conſtruendae exhibet AZEVEDO *Exercitat. Selectar. P. II. Exercit. V. pag.* 676. Item Piſcina Baptiſterium deſignat a piſce Chriſto, de quo mox.

PISCIS. Et chriſtiani *piſces*, & Chriſtus *piſcis* a primaevis fidelibus appellabantur: utrumque leviter, more ſuo, complexus eſt TERTULLIANUS *lib.* 1. *de Bapt. cap.* 1. *At nos piſciculi ſecundum* IXΘYN *noſtrum Jeſum Chriſtum in aqua naſcimur*, *nec aliter quam in aqua permanendo ſalvi ſumus*. Unde in monumentis Chriſtianorum aliquando piſcis inſculpitur, & aliquando vox graeca IXΘIC ſcalpro aratur, quae ut loquitur OPTATUS *lib.* 6. *contra* PARMENIANUM, *per ſingulas litteras turbam ſanctorum nominum continet*. Eſt enim compoſita ex initialibus litteris harum vocum: Iεσυς Χριςος Θευ Υιος Σωτηρ, *Jeſus Chriſtus Dei Filius Salvator*. Eadem ferme apud S. AUGUSTINUM *de Civit. Dei lib.* 18. *cap.* 23. leguntur.

PLANETA, Penula, & Caſula appellatur. Concilium *Toletanum IV. cap.* 27. *Presbytero*, inquit, *in ſua ordinatione Planeta datur*, *quae idem eſt ac caſula*. Olim Planetae rotundae prorſus erant, totum ambientes hominem a collo uſque ad pedes, unicam in medio aperturam habentes, per quam caput immittebatur: qua de cauſſa ut Sacerdos operari ac manibus uti libere poſſet, eas ſuper brachia revolvere, & complicare debebat. Sunt etiam hodie *Graecorum* caſulae ejuſdem formae. *Latini* vero ad vitandum, quod tanta amplitudo totum corpus cum brachiis circumcludens adferebat, incommodum, eas paullatim a lateribus ſcindere, & decurtare coeperunt, donec ad hodiernam formam redactae ſunt. De Planetis *Romanorum* Pontificum praeter GEORGIUM plura dabit Cl. GARAMPIUS *in Garfagn. ſigill. pag.* 116. *ſeqq.*

PLANETILE, Planeta, BASILIUS *Macedo* Imperator in epiſtola ad

HADRIANUM Papam II. *Tranſmiſimus autem vobis ...... mulehumat unum*; PLANETILIA *caſtanea duo.*

PLATONIA. ANASTASIUS *Bibliothecarius*, aut qniſquis Auctor fuerit libri Pontificalis in Vita S. DAMASI Papae ait: *Hic dedicavit Platoniam in Catatumbis, ubi Corpora ſanctorum Apoſtolorum* PETRI, *&* PAULLI *jacuerunt, & verſibus exornavit.* LIBERIUS quoque, ut eſt in eodem libro Pontificali, *ornavit de platoniis marmoreis Sanctae Agnetis Sepulcrum.* Hinc ſaxa, ſive laminae marmoreae antiquas inſcriptiones continentes, *Platoniae* vocantur, & locus ipſe marmoreis laminis contectus *Platonia* dicitur. BEDA in *ratione temporum* ſcribit, quod XYSTUS *Tertius fecit Platoniam in Caemeterio* CALLISTI *via* APPIA, *ubi nomina Epiſcoporum, & Martyrum ſcripſit.* Et in *Hiſtoria Tripartita* SOCRATES: *Pax ipſa in marmorea* Platonia *cognoſcitur eſſe conſcripta.* Exſtat de Platoniis inſignis CASSIODORII locus *lib. III. Var. ep. 9.*

PLEBES, Paroeciales Eccleſiae. *C. 3. de Cler. pereg. Qui penitus ſunt ignoti, non debes ipſos permittere in tuis* PLEBIBUS *celebrare.* Nimirum quae hominum ſocietas diſtinctam haberet Paroeciam, ea plebs ab alia diſtincta cenſebatur; quae & *Plebania* vocata eſt.

PLENARIUM. In appendice Concilii *Selegunſtadienſis ann.* 1022. habiti ratio inchoandae Synodi traditur, ac ſtatuitur, ut prima die Synodi Sedes (ſeu analogium) *ponatur in medio Eccleſiae, & ſuper eam ſacrae Reliquiae,* & PLENARIUM, codex ſcilicet quatuor Evangelia continenter deſcripta exhibens, qui ex perpetua Eccleſiae diſciplina jam inde a *Nicaeno* Concilio in medio conventus Epiſcoporum ſtatuebatur. Ceterum *Plenarii* vox quandoque, quum de libris ſermo eſt, integrum, & completum ſignificat, quaſi dicas, nihil mutilum, atque mancum in eo libro eſſe. Ita enim adcipio verba Chronici *Centulenſis* ad ann. Domini 831. ubi occurrit: *Liber plenarius Epiſtolarum ſancti* PAULLI, *expoſitio plenaria ſuper Evangelium* JOHANNIS, & JOSEPHUS *plenarius* (intelligo de *Flavii Joſephi* omnibus Operibus), *Lectionarius plenarius ab* ALBINO *ordinatus.* Ac item, quae proſtant in Actis Monaſterii *Murenſis*, ubi legitur: *Deinde de novo teſtamento ſunt hic duo plenaria, unum ab invicem eſt diviſum:* & paullo poſt: *Sunt & hic quinque nocturnales libri, quorum primus habet tantum lectiones ab Adventu Domini uſque ad Paſcha, ſecundus autem a Paſcha uſque ad Adventum Domini, tertius vero habet tantum lectiones de Sanctis per circulum anni; alii duo pleniter ſcripti ſunt.* Praeſertim vero *Plenarii* nomen Miſſali dabatur, quod omnia ad Miſſae celebrationem ſingulis diebus per annum dicenda contineret. Nam antiquiore aevo quatuor praeſertim ad Miſſam libri adhibebantur, liber Evangeliorum, Lectionarius, liber Sacramentorum, & Antiphonarius. Miſſalis ergo liber, qui haec omnia complecteretur, *plenarius* vocabatur. LEO *Oſtienſis Chron. Caſin. lib. III. cap.* 20. quid ſit *Miſſale plenarium*, adpoſite explicat; narrat enim, DESIDERIUM Abbatem *Caſinenſem*, Eccleſiaſticis ornamentis *Caſinenſe* coenobium ditare aeſtuantem, donante Deo, votis ſatisfeciſſe; *nam praeter multa ex argento conquiſita, & coempta ornamenta,* Liturgicos libros comparavit, atque ornatu diſtinxit: *Librum quoque Epiſtolarum,* inquit, *ad Miſſam deſcribi faciens tabulis, aurea una, altera vero argentea*

Digitized by Google

gentea decoravit. Codicem etiam regulae beati BENEDICTI *pulcro nimis opere deintus comptum, a foris argento veſtivit; ſimiliter fecit & de* SACRAMENToRIIS ALTARIS, *uno, & altero, & duobus nihilominus Evangeliis, & Epiſtolario uno. Nam uſque ad illud tempus* IN PLENARIO MISSALI, *tam Evangelia, quam Epiſtolae legebantur, quod quam eſſet tunc inhoneſtum, modo ſatis advertitur.* Cur putas, *inhoneſtum* dici a LEONE *Oſtienſi, in Miſſali plenario* Epiſtolas, & Evangelia lecta eſſe? Niſi quia dedecere maxime videbatur, ut ex eodem libro Miſſali, quo Celebrans utebatur, Subdiaconus Epiſtolam, & Diaconus Evangelium legeret, idque Eccleſiae inopiam, atque divini cultus neglectum deſignabat. Hujuſmodi Miſſale plenarium Saeculo XI. exaratum cum Collectis, Epiſtolis, Evangeliis, Antiphonis ad Introitum, Gradualibus, adjectis notis muſicis, Antiphonis ad Offertorium, & ad Communionem, aliiſque ad Miſſam celebrandam opportunis adſervatur in *Bibliotheca Vaticana. Miſſalia item plenaria* adſervabantur Saeculo XI. in *Murenſi* monaſterio, eaque nobis deſcribunt laudata *Acta Murenſia* his verbis: *Sunt & hic Miſſales libri V., ex iis tres* PLENITER *ſcripti ſunt, quartus vero habet Graduale cum Orationibus, quintus tantum Orationes habet.* Vide *Bibliothecam noſtram Ritualem Tom. I. pag.* 49.

PLUMBATAE. Erat id genus tormentorum, quaſi flagellum ex funiculis, in quorum ſummitatibus glandes plumbeae erant impactae; his terga ad collum damnati hominis verberabantur. De his PRUDENTIUS *Periſteph. hym.* 10. in ROMANO, his verſibus:

Tundatur, inquit, tergum crebris ictibus,
Plumboque cervix verberata extuberet. Et paullo poſt:
Pulſatus ergo martyr illa grandine, &c.

Porro plumbatarum verberibus viliores tantum perſonas torqueri conſueviſſe, leges indicant. Vide BARONIUM *ad* 6. *Junii.*

PLUVIALE, Veſtis Eccleſiaſtica a ſola anteriori parte aperta ab humeris ad pedes protenſa. Olim a parte poſteriori adſutum habebat capitis tegumentum, quod *caputium* vocamus; ejuſque aliquod in noſtris pluvialibus veſtigium remanſit. *Pluviale diaſprum* (album interpretatur *Angelus* A NUCE) *cum liſtris auro textis* occurrit in HENRICI I. Imp. diplomate pro *Caſinenſi* Coenobio *Tom. I. Bullar. Caſin. p.* 7. *Pallium pluviale* in Vita S. ODDONIS Abb. *Cluniacenſis* memorat JOHANNES Monachus ejus Diſcipulus. Vide Cappa.

POENITENTES. Vide Impositio manuum, Poenitentia.

POENITENTIA ſignificat 1. integrum Confeſſionis Sacramentum. TERTULL. *l. de Poenit. cap.* 8. ita habet: *Pervicaciſſimus hoſtis* (Diabolus) *numquam malitiae ſuae ocium facit, quin tunc maxime ſaevit, quum hominem plene ſentit liberatum....... Haec igitur venena ejus providens* DEUS, *clauſa licet ignoſcentiae janua, & intinctionis ſera obſtructa, aliquid adhuc permiſit patere. Collocavit in veſtibulo Poenitentiam ſecundam, quae pulſantibus patefaciat.* S. HIERONYMUS *l.* 1. *contra* PELAG. *Redimatur*, inquit, *Sanguine Salvatoris, aut in Domo Baptiſmatis, aut in Poenitentia, quae imitatur Baptiſmatis gratiam.* S. AUGUSTINUS *l.* 2. *de adulterinis conjug. cap.* 16. *Si a catechumeno factum eſt homicidium, Baptiſmate abluitur; ſi a baptizato, poeniten-*

Digitized by Google

ſitentia, & *reconciliatione ſanatur*. 2. Satisfactionis modum a Sacerdote injunctum. Ordo *Romanus* ex Codice Card. BARBERINI a MORINO *editus*: *Interroga cum ſi vult emendare? Et ſi promittit, da ei poenitentiam; ſi non, dic illi, quod non ei das poenitentiam. Sed primo conſidera, ſi dives eſt, aut pauper, ſi dominus, aut ſervus, ſi ſanus, aut infirmus, ſi ſit conjugatus, an non, ſi eſt juvenis, aut puer. Omnia conſidera, & ſecundum quod poterit agere, impone illi poenitentiam; non eos nimis aggraves, ſed in hoc labora, ut emendentur. Attende etiam, ut tale jejunium imponas, ne peccatum facias manifeſtum, & cui non potes imponere jejunium, impone eleemoſynam, & orationem, & flectat genua per diem & noctem. Sed antequam imponas poenitentiam, debes oſtendere, quam grande eſt illud malum, & quot annis debet poenitere*. 3. Ipſam abſolutionem. Concilium *Gerundenſe can.* 9. *Ut qui in aegritudine poenitentiae benedictionem, quam viaticum deputamus, per communionem adceperit, & poſtmodum reconvaleſcens caput poenitentiae in Eccleſia non ſubdiderit, ſi prohibitis vitiis non detinetur obnoxius, admittatur ad Clerum*. Ubi *Poenitentiae benedictio* PETAVIO monente aliud eſſe non poteſt, quam abſolutio. Neque enim ſatisfactio intelligi poteſt, ſeu profeſſio laborioſae, ac luctuoſae vitae, ad quam peccantes certis ritibus admittebantur; primum quoniam illam ipſam per communionem ait adcipi; deinde quod illa adcepta, non impediri ait, quo minus ad Clerum admittatur. Atqui nemo poenitentiam profeſſus in Clerum cooptari poterat. Eſt igitur Poenitentia idem, quod reconciliatio, vel peccatorum abſolutio.

POENITENTIA PUBLICA. Quatuor fuerunt olim in Eccleſia Poenitentiae publicae gradus, ſcilicet *Fletus*, *Auditio*, *Subſtratio*, & *Conſiſtentia*. Primus illorum ſigillatim, & diſtincte memorat S. GREGORIUS *Thaumaturgus* Canone ultimo Epiſtolae ſuae Canonicae. Eoſdem recenſent JOHANNES Abbas RAITHU in Scholiis ad *Scalam* S. JOHANNIS CLIMACI, HARMENOPOLUS *in* Epitome Canonum *Sectione* 5. *Titulo* 3., MATTHAEUS BLASTARES in *Nomocanone*, ARISTAEUS in vigeſimum primum *Ancyranae* Synodi Canonem, & GABRIEL *Philadelphiae* Metropolita, *cap.* 10. libelli, quem de *Poenitentia* ſcripſit. Ad eas ſtationes alludit S. AMBR. *lib.* 2. *de Poenitentia cap.* 7. *Movebitur*, inquit, *miſericordia* (Chriſtus) *quum viderit in tuo obitu lacrymas plurimorum, & dicet; Ubi poſuiſtis eum? Hoc eſt in quo reorum ſtatu eſt; in quo Poenitentium ordine?*

Flentium ſtatio collocata erat in area, ſeu domuncula quadam Eccleſiae adjacente, ſeu in porticu, aut veſtibulo, quo ad Synaxes erat iter. Id colligitur ex S. BASILIO in Epiſtola ad AMPHILOCHIUM *Can.* 56. ubi de Poenitentia homicidae voluntarii decernens: *Debet*, inquit, *quatuor annis deflere, ſtans extra fores Oratorii, & Fideles ingredientes orans, ut pro eo precentur, ſuam iniquitatem pronuncians*.

Hanc ſtationem ut primum ingrediebantur poenitentes, illis omnino tondebantur capilli. Concilium *Agathenſe Can.* 15. *Poenitentes, tempore quo poenitentiam petunt, impoſitionem manuum, & cilicium ſuper caput a Sacerdote, ſicut ubique conſtitutum eſt, conſequantur; ſi autem comas non depoſuerint, aut veſtimenta non mutaverint, abjiciantur*. Concilium *Barcinonen. Can.* 6. ſtatuit ut *Poenitentes viri, tonſo capite, religioſo habitu* utantur; & Concilium *Tole-*

leta-

Digitized by Google

letanum III. Can. 12. diligenter praeſcribit, ut viri poenitentes comas deponant, a mulieribus vero id tantum requirit, ut habitum mutent. *Quicumque ab Epiſcopo, vel Presbytero ſanus, vel infirmus, poenitentiam poſtulat, id ante omnia Epiſcopus obſervet, & Presbyter, ut ſi vir eſt, prius eum tondeat, & ſic Poenitentiam tradat. Si vero mulier fuerit, non adcipiat Poenitentiam, niſi prius mutaverit habitum.* At S. AMBROSIUS *ad Virg. lapſ. cap.* 8. voluit, ut lapſae Virgini *amputentur crines, qui per vanam gloriam occaſionem luxuriae praeſtiterunt;* contra FABIOLA, teſte S. HIERONYMO *epiſt. ad* OCCEAN., quum inter Poenitentes ſtaret, *ſparſum* habuit *crinem;* Et URSICINO *Cadurcenſi* Epiſcopo, ut auctor eſt S. GREGORIUS *Turonenſis Hiſt. lib.* 8. *cap.* 20., injunctum fuit, ut tribus annis, quibus Poenitentiam agere debebat, *neque capillum, neque barbam tonderet.* Demum S. ISIDORUS *Offic. lib.* 2. *cap.* 16. diſtincte ſcribit: *Hi qui Poenitentiam agunt, capillos & barbam nutriunt.* Nimirum hac in re varia erat Eccleſiarum diſciplina non modo pro temporum, ſed etiam pro perſonarum, & locorum varietate. Id ubique ſervatum, ut Poenitentes veſtem lugubrem ſumerent, cilicio induerentur, cineribus adſpergerentur, (vide CINERES) ac neglecto ſaltem capillitio, totoque corporis habitu ad movendam miſericordiam compoſiti in Eccleſia ſe ſiſterent, ubi ſe reos palam profitebantur, crimen deflebant; Fidelibus ad Synaxes convenientibus ſupplicabant, ad eorum pedes advoluti, ut apud Deum, Epiſcopum, Clerum, univerſamque Eccleſiam pro ipſis intercederent.

Auditionis, quae ſecunda poenitentiae publicae ſtatio erat, meminit S. BASILIUS *Can.* 22., quo in mulierum raptores ita decernit: *Oportet eos anno primo a precibus expelli, & ipſos deflere ad fores Eccleſiae, ſecundo autem ad Auditionem admitti.* Ejuſdem meminit S.GREG. *Taumat. Can. ultimo* Epiſt. Canonicae. *Nicaenum* Concilium *Can.* 2. decernit, ut qui ſub LICINII tyrannide lapſi ſunt, *tribus annis inter Audientes habeantur.* Eamdem ſtationem memorat S. GREG. *Nyſſenus* in Epiſtola Canonica ad Epiſcopum *Militinenſem*, ubi de homicidii voluntarii reo, poſt novem annos in fletu exactos, ita ſtatuit: *Tot annos in Auditione permaneat, ſola Doctorum, & Scripturarum auditione dignus habitus.* Auditionis locus erat in interiore Templi Narthece. Sex hominum generibus communis erat locus ille, Ethnicis, Judaeis, Haereticis, Schiſmaticis, Cathecumenis primi Ordinis, & Poenitentibus Audientibus: his omnibus, quum ad Eccleſiam ſeſe conferebant, permittebatur, eo in loco Pſalmorum cantum, Sacrae Scripturae lectionem, & Sermones Epiſcoporum audire. Quorum ab auditione arceri debere neminem, conſtat ex antiquis Conciliis *Carthagin. IV. Can.* 84., *Ilerdenſi Can.* 4., *Valentino in Hiſpaniis Can.* 1.

Tertia poenitentium ſtatio vocabatur *ſubſtratio*; ejus meminit canon. 16. *Ancyranae* Synodi, quo de graviſſimi peccati reis decernitur, ſecundum GENTIANI HERVETI verſionem: *Ut poſtquam quindecim annis Subſtrati, ac ſupplices fuerint, Communionem ad preces adſequantur. Deinde & quum in Communione quinque annis perſeveraverint, oblationem adtingant. Examinetur autem & eorum in ſubſtratione vita, & ita humanitatem conſequantur.* Illius meminerunt & ſanctus GREGORIUS *Thaumaturgus* in Epiſtola Canonica, Concilium *Nicaenum Canone* 11., ſanctus BASILIUS Epiſtola 3. Canonica ad AMPHI-

Digitized by Google

AMPHILOCHIUM, FELIX III. Pontifex Maximus *Epiſtolâ 7.*; JOHANNES Abbas RAITHU, & alii. Locus iſtius ſtationis erat inter Audientes, & Fideles poſitus, & ad Ambonem uſque in Eccleſia protenſus. Toto ſubſtrationis tempore, quod plurium ſemper erat annorum, in ſingulis fere Synaxibus manus Poenitentibus genuflexis imponebantur. Vide IMPOSITIO MANUUM. Manuum autem impoſitioni ſuper Poenitentes conjuncta ſemper erat Oratio, ut colligitur ex ſancto AUGUSTINO *libro 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas*, cap. 16. dicente: *Quid eſt aliud impoſitio manuum, quam Oratio ſuper hominem?* Celebrabatur autem uterque iſte ritus poſt Miſſam Catechumenorum, & ante oblationem incruenti Sacrificii, ut colligitur ex Concilio *Laodiceno Canone 19.*, cujus haec ſunt verba, ſecundum DIONYSII EXIGUI verſionem. *Quod oporteat primum ſuper Catechumenos, poſt adloquutiones Epiſcoporum, Orationes celebrari: & poſtquam Catechumeni egreſſi fuerint, ſuper eos qui ſunt in Poenitentia, precem fieri. His etiam adcedentibus ad manum Sacerdotis, & diſcedentibus, tres Orationes conſummari Fidelium, ita ut prima quidem ſub ſilentio, ſecunda vero & tertia per exclamationes ſolitas expleantur: & ita demum pacem ſibi invicem dabunt. Et poſteaquam dederit Epiſcopus Presbyteris oſculum pacis, tunc Laici ſibi tribuent: & ita ſancta celebrabitur Oblatio.*

Expulſionis autem Poenitentium ante Sacrificii oblationem, cujus meminit iſte Canon, meminerunt etiam *Agathenſe* Concilium *Canone 60.*, & *Epaonenſe Canone 29.* Poenitentibus in ſubſtratione poſitis variae poenae, atque opera laborioſa imperabantur, & diligenter, an imperata exequerentur, Patres adtendebant, ut conſtat ex omnibus fere antiquitatis Eccleſiaſticae monumentis, quae de Publice poenitentibus loquuntur.

Quarta Poenitentium ſtatio *Conſiſtentia* dicta eſt, ut conſtat ex ſancto GREGORIO *Thaumaturgo*, in Epiſtola Canonica, *Canone ultimo*, & ex ſancto BASILIO in Epiſtolis Canonicis ad AMPHILOCHIUM. Inde autem fluxit iſtud nomen, & huic ſtationi adſcriptum eſt, quod qui in ea erant, ſimul cum Fidelibus in Eccleſia conſiſterent, neque cum Catechumenis expellerentur. Qui in iſta ſtatione expiabantur, licet publicis precibus, & Sacrificio intereſſent cum Fidelibus, jus tamen Oblationis non habebant, ideſt ipſorum munera ad altare non offerebantur. Locus hujus ſtationis erat ab AMBONE verſus Sanctuarium. Quatuor hominum genera complectebatur. Primum genus erat eorum, qui vel levius peccaverant, vel qui grave quidem crimen perpetraverant, ſed ſeſe ſponte detulerant ad Epiſcopum, Contritionem maximam demonſtrantes. Hi poſteriores nonnumquam ad Conſiſtentiam recta mittebantur, condonata aliarum ſtationum ſeveritate. Id conſtat ex eodem ſancto GREGORIO *Thaumaturgo*, *Canone 9.* Quod vero leviorum peccatorum rei ad hanc ſtationem aliquamdiu purgandi remitterentur, conſtat ex Concilio *Illiberitano, Canone 21.* ita decernente, *Si quis in civitate poſitus, tres Dominicas ad Eccleſiam non acceſſerit, pauco tempore abſtineat, ut correptus eſſe videatur.* Et *Canone 79.* in eadem ſtatione expiari jubentur, qui alea luſerint. Secundum hominum genus, qui ad hanc ſtationem adtinebant, eorum erat, qui inferiores Poenitentiae ſtationes decurrerant. Propter illos inſtituta fuit haec ſtatio, ut experirentur

Patres,

Digitized by Google

Patres, an luctuoſae Poenitentiae laboribus liberati vitam ducerent Chriſtiano dignam, atque ita illos tuto admittere poſſent ad participationem Corporis, & Sanguinis Chriſti. Tertium hominum genus in hac Poenitentiae claſſe per accidens tantum collocabatur. Mulieres enim nuptae, quae adulterio pollutae erant, ad hanc ſtationem mittebantur, ne, ſi ad ſubſtrationem fuiſſent detruſae, mariti aliquid criminis perpetrati ſuſpicati fuiſſent, necemque, zelotypia abrepti, uxoribus intentaſſent. Id conſtat ex S. BASILIO, Canone 34. *Adulterio*, inquit, *pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocumque convictas, publicare quidem Patres noſtri prohibuerunt, ne convictis mortis cauſſam praebeamus: eas autem ſtare ſine Communione juſſerunt, donec impleretur tempus Poenitentiae.* Quartum denique genus eorum erat, qui poſt actam publice Poenitentiam in nova peccata prolapſi erant, ob quae Poenitentiam iterum agere publice debuiſſent. Hi ex Decreto SIRICII Pontificis Maximi *Epiſtola* 1. *ad* HIMERIUM *Tarraconenſem* Epiſcopum data *cap.* 4. ad Conſiſtentiam reliquo vitae ſuae tempore amandabantur. Quod tamen de iis non eſt intelligendum, qui graviora crimina Canonica perpetraverant; ſed de iis qui in Conſtitutiones Eccleſiaſticas publice Poenitentibus praeſcriptas, ſcilicet de cingulo militiae non reſumendo, de Matrimonio non contrahendo, de conjugii non deguſtanda voluptate, peccaverant. Vide ſupra Impositio Manuum.

POENITENTIALE, Liber Canonum Poenitentialium, Plures ejuſmodi Libri extant, quos recenſui *Tom. I. Bibl. Rit. pag.* 158.

POENITENTIARIUS. Poenitentia publica inſtituta, Poenitentiarius conſtitutus fuit, qui illi praeeſſet, ac de poenitentium cauſſis, ac moribus cognoſceret. *CPoli* NECTARIUS Patriarcha Poenitentiarium hunc abrogavit; de quo tam multa a doctis Viris diſputata ſunt. *Romae* Presbyteros ſuper poenitentes a SIMPLICIO Papa conſtitutos fuiſſe docet in ejus Vita ANASTASIUS his verbis: *Hic conſtituit ad ſanctos* Petrum, Paullum, & Laurentium *hebdomadas, ut presbyteri ibidem manerent propter poenitentes, & baptiſmum; regionem tertiam ad ſanctum* Laurentium, *primam ad ſanctum* Paullum, *& ſextam, vel ſeptimam ad ſanctum* Petrum. Hi *Presbyteri poenitentium* vocati ſunt, qui eorum exomologeſes audiebant. Quorum primus, *major Poenitentiarius*, dictus hodie eſt Cardinalis; reliqui minores *Poenitentiarii, non Cardinales*, vocati. PIUS IV. primum, deinde S. PIUS V. de Summo Poenitentiario, atque univerſo ejus tribunali leges tulit. Praeter Card. PETRAM, qui peculiarem tractatum: *De Sacra Poenitentiaria* ſcripſit, conſuli poſſunt CATALANUS *ad Caerem. S. R. E. Tom. I. pag.* 37., Auctoreſque ab eo indicati.

POGIUM, POJUM, Balauſtium, ſive cancelli, qui Presbyterium a Choro cantorum dirimebant. *Qui ordinandi ſunt, ſtent in Pogio ſub gradibus.* Ordin. Roman. Vide MABILLON. *comm. in Ord. Rom. pag. CXXXVII.*

POLYCANDELUM, Candelabrum multas habens, ſeu ſuſtinens candelas. *Obtulit Polycandelum porphyreticum pendentem in pergula ante Confeſſionem in catenulis aureis.* ANASTAS. in LEONE III.

POMA fuiſſe olim benedicta in die S. JACOBI intra Miſſarum ſolemnia, docet Ordinar. *Tullenſe*, ubi haec legas: *In hac Miſſa novorum pomorum fit be-*

Digitized by Google

ſit benedictio ; quae poma a Sacriſta paranda ſunt , benedicenda enim ſunt infra Canonem ad illa verba : Intra quorum nos conſortium &c. Poſtea ſit a Sacerdote benedictio pomorum ita dicendo : Benedic , Domine , & hos fructus pomorum &c. Eadem benedictio praeſcribitur a Conſuetud. *Compendien. , & Dionyſianis .*

PONTIFEX *Romanus .* Infinitis ille propemodum honoris cognominibus ornatus eſt , quae RAYNAUDUS , & CANTELIUS in *hiſt. Urb. Metrop. p.* 167. illuſtrarunt , ut *Pater , Dominus , Pater Patrum , Papa , Archiepiſcopus , Patriarcha , univerſalis Patriarcha , Princeps Epiſcoporum , Summus Pontifex ,* & alia id genus . Nec tamen , inquit idem CANTELIUS *pag.* 173. , neſcius ſum voces iſtas , *Pater , & Papa ,* ab omnibus olim Epiſcopis fuiſſe adverſus alios Epiſcopos uſurpatas ſaepius , & LUPUM *Tricaſſinum* a SIDONIO *Patrem Patrum , & Epiſcoporum Epiſcopum* dictum eſſe , & *Conſtantinopolitanum* Patriarcham a *Graecis , & Orientalibus Oecumenici Patriarchae ,* & aliis alios appellationibus inſignitos . Ita etiam magnifici tituli , ſi RUBEO credimus , *Ravennati* Epiſcopo circa nonum & decimum ſaeculum dati ſunt , ut in hac inſcriptione videre eſt : *Domino ſancto & meritis beatiſſimo atque Apoſtolico Patri Patrum Domno* CONSTANTINO *ſanctiſſimo S. Catholicae Ravennatis Eccleſiae Archiepiſcopo ;* quas tamen appellationes vel a *Ravennatibus ,* vel a Suffraganeis Epiſcopis tantum , non ab aliis ipſi datas ſuſpicor .

At quis praeter *Romanum* Pontificem ab omnibus omnium gentium Epiſcopis , Patriarchis , Regibus , Imperatoribus , umquam vocatus eſt *Pater Patrum , Princeps Epiſcoporum , univerſalis Patriarcha , Summus Pontifex ?* Qui fieri potuit , ut tot tum Epiſcopi , tum Principes , & temporum & locorum intervallo inter ſe longe diſſiti , & a ſe invicem lingua , moribus , legibus abhorrentes , ÆGYPTII , ORIENTALES , GRAECI , AFRICANI , GALLI , ANGLI , HISPANI , GERMANI , ITALI &c. in *Romana* Sede tot laudibus ornanda conſenſerint , niſi perſuaſum fuerit omnibus , datum olim a Chriſto ſuper ceteros Apoſtolos principatum B. PETRO , ad omnes deinceps fuiſſe *Romanae* Sedis Antiſtites propagatum ? Ratio eligendi Summi Pontificis varia variis temporibus fuit ; qua de re praeter CANTELIUM in cit. *hiſt. Urb. Metropol. P. II. diſſ. IV. ,* CATALANUM *in Caerem. S. R. E. ,* & noſtram de *Libro Diurno* diſſertationem *p. IV. §. II. num.* 2. , conſuli poteſt Italicus *Luſitani* hominis , ſed preruditi JOSEPHI NOVAES Libellus *Romae* vulgatus . Ut ad hodiernam electionis formam magis accedam , jus creandi Pontificis ex NICOLAI II. Decreto ad ſolos Cardinales ſaeculo XI. tranſlatum fuit . Multa poſtea , quae ad Summi Pontificis electionem pertinent , ſancita ſunt . Principem inter ea locum obtinet ALEXANDRI III. Decretum , quo in Concilio *Lateranenſi* III. anno MCLXXIX. Schiſmatis in poſterum tollendi gratia cautum eſt , ne quis ratus ſit Pontifex , niſi minimum duas tertias Suffragiorum tulerit partes . ALEXANDRI ſequutus exemplum GREGORIUS X. anno MCCLXXIV. in Concilio *Lugdunenſi* edixit , ut elapſis ab interitu Pontificis diebus decem , ſive adeſſent Cardinales omnes , ſive ſecus ; qui adeſſent , in ſecreto Conclavi includerentur , ne cui praeterea pateret aditus ; haberent tamen ſinguli ſingulos , qui ipſis miniſtrarent , & Clericos , & Laicos : nefas eſſet omnibus cum quodam colloqui , & ab aliis recipe-

Digitized by Google

recipere litteras: tribus diebus pro cujuſque arbitrio cibi ſingulis apponerentur, tum per dies quinque unum tantum ferculum, poſtea vinum, aqua, panis, praeterea nihil.

Durior aliquanto ea lex Cardinalibus viſa eſt: quare ſubveritus GREGORIUS, ne intercederent, Praeſules Synodi ad ſe evocat, & objecto anathemate prohibet, ne quis cui, quae mox dicturus erat, aperiat: tum iis rem omnem explicat, ab iiſque conſenſum elicit; denique Decretum promulgari imperat. In electione tum INNOCENTII V., tum HADRIANI V., qui paucorum menſium Pontifices fuerunt, ea lex obtinuit: ſed HADRIANUS vim illius ad tempus nullam fore edixit: tum eo mortuo, Cardinales *Viterbii* de ea corrigenda cogitabant: de quo quum ſuboluiſſet *Viterbienſibus*, Cardinales arctius & durius, quam antea, habiti ſunt, ne rem in longum ducerent: quo factum eſt, ut Cardinales Pontificem haud multo poſt elegerint PETRUM JULIANUM, cui *Johannis XXI.* nomen factum, qui GREGORII de includendis Cardinalibus ſanctionem revocavit, quae & a NICOLAO IV. anno MCCLXXXIX. abrogata eſt.

Magno tamen id Chriſtianae rei incommodo ceſſit: ſaepius enim propter Cardinalium diſſenſionem, uno alterove anno nullus Pontifex fuit; quod quum alias ſaepe, tum poſt NICOLAI ipſius, & CLEMENTIS V. obitum contigit: tum enim Conclavi nulli adhibiti cuſtodes; omnibus patebat aditus; fas erat ſingulis quicum vellet, colloqui; inde etiam quando, quove libitum eſſet, abire: donec anno MCCCLI. a CLEMENTE VI. reſtituta eſt a GREGORIO X. multo ante ſancita lex; ea tamen ratione temperata, ut ſingulis ſinguli adeſſent famuli, & unum cuique adponeretur ferculum. Multa quidem a Concilio *Conſtantienſi* de Pontificis electione ſancita ſunt: quae quum ad ſchiſmatis tempora potiſſimum pertineant, & obvia cuique ſint; nihil opus eſt hoc loco adſcribere. Exſtant etiam multa Pontificum eam in rem decreta: praeceteris nobilis eſt a JULIO II. lata lex, qua jubetur, ut qui ſimoniace, ut vocant, electus fuerit, illius electio nulla ſit; qui vero huic fuerint ſceleri adfines, piorum coetu prohibeantur: quae rata fore juſſit *Lateranenſis* Synodus. Edicta etiam (Bullae vulgo dicuntur) a PIO IV., GREGORIO XV., URBANO VIII. promulgata ſunt, quibus Pontificis creandi jus Cardinalium proprium eſſe jubent, & perpetuum. Tres autem penes Cardinales ſunt eligendi modi, atque rationes. Per inſpirationem ſcil., vel quaſi inſpirationem, per compromiſſum, per ſcrutinium, & adceſſum. Prima igitur eſt, quum Cardinales quaſi Spiritus Sancti numine adflati aliquem Pontificem maximum adſerunt, atque pronunciant; vel cum aliquem unanimi conſenſione adorant, uti electus eſt CLEMENS VII., PAULLUS III., MARCELLUS II., PIUS IV. & V. Altera per compromiſſum eligendi forma fit, quum in aliquot Cardinales poteſtas eligendi transfunditur, ad jurgia tollenda, & ſchiſmata: hac vero ratione JOH. XXII. ferunt electum eſſe Pontificem. Eligunt tandem Cardinales per ſcrutinium, & adceſſum, quum omnes Cardinales, vel duae tertiae partes in Pontifice eligendo conveniunt, quae forma magis frequens eſt, magiſque recepta. Hinc in capite *Licet* ſtatuitur, ad valide eligendum Pontificem duas tertias partes convenientes requiri, neque majorem partem ſuffi-

cere. Poterunt autem Electores publicato ſcrutinio ſententiam mutare, ſi nemo duas tertias partes habuerit, & in favorem alterius ad numerum ſuffragiorum augendum ſapienter adcedere.

Alia ad Summum Pontificem pertinentia vide verbo ANNULUS PISCATORIS, BULLAE, CONCLAVE, PAPA, REGNUM, SIGILLA, TIARA.

PONTIFICALE, liber Caeremonias continens ad Pontificem, ejuſque functiones pertinentes. Vide *Tom. I. Bibl. Ritual. pag.* 161.

PONTIFICALIA ornamenta decimo ſaeculo Abbatibus quibuſdam Monaſteriorum concedi ab Apoſtolica Sede coeperunt; quae deinde omnibus coenobiorum Abbatibus eadem Apoſtolica Sedes facile indulſit, indulgetque. Pontificalia quaedam inſignia Canonicis quoque illuſtrium quarumdam Eccleſiarum Romani Pontifices permiſerunt, ut Canonicis Eccleſiarum *Magdeburgenſis, Veſontientis, Bambergenſis, & Colonienſis.* Vide GEORGIUM *Tom. I. de Lit. Rom. Pont. pag.* 299.

POPULI BENEDICTIO. Vide BENEDICTIO IN FINE MISSAE.

PORTICANUS, qui circa longas porticus S. PETRI domos incolebat. In actis Concilii *Lateranenſis III. Can. XII.* prava conſuetudo improbatur pervadendi bona *porticanorum habitatorum ſine heredibus morientium*.

PORTALICIA *Eccleſiae*, ideſt Januae majores Eccleſiae. *Item ſciendum eſt, quod per totum praedictum officium magnae campanae debent pulſari, & porticalia Eccleſiae aperiri, ut Laici interveniant ad devotionem, exultationem, & gaudium creationis novi Papae.* Rituale Mſ. *Corbejenſe*.

PORTA SANCTA, & SPECIOSA. Quatuor ut plurimum in ambonibus olim erant portae, quarum binae ad navim ſpectantes vocabantur *ſpecioſae*. Aliae geminae ad Sanctuarium praebentes ingreſſum dicebantur *Sanctae*. Harum cura Subdiaconis incumbebat. Porta Sancta ea etiam dicitur, quae in Baſilicis *Vaticana, Lateranenſi, Oſtienſi, & Liberiana S. Mariae Majoris* in anni Jubilaei exordio disjecto muro aperitur, ac ſub ejus exitum rurſus clauditur.

PORTATORIUM: Feretrum, lectica, vel quid ſimile. Mſ. Conſuetud. *Germaniae: Mane in Palmis cuſtodes praeparent diligenter quoddam portatorium, in modum feretri....Proſequatur illud portatorium ab Abbate, & Presbytero delatum cum ſua gravitate.*

PORTICUS eſt locus deambulationi aptus, ut ſunt clauſtra Eccleſiarum, & Monaſteriorum. Incertae autem antiquitus fuere Sedes porticuum. Nam, quum hodie ubique ſint in latere Eccleſiae, olim alicubi erant inter Eccleſiam & veſtibulum, tum ad utrumque latus templi, ut de templo *Tyrio* teſtatur EUSEBIUS *lib. X. hiſtoriae Eccleſiaſticae cap. IV.* Hinc porticus *aquilonaris* apud BEDAM *lib. II. cap. III. hiſtoriae Eccleſiaſticae gentis Anglorum, & Septentrionalis, ac meridiana* apud RHABANUM in deſcriptione Eccleſiae *Fuldenſis*. Vide PARADISUS. Ibi Poenitentes primi ordinis ſtabant. Erat & ibidem locus egenis ſtipem mendicantibus adtributus, ne Deum precantibus eſſent moleſti. Vide CHRYSOSTOM. *homil.* 28. *ad Populum Antioch.*

PORTIONARIUS, in Miſſali *Mozarabum* idem, quod Beneficiarius.

PORTIUNCULA: Pars, Particula Hoſtiae conſecratae. UDALRICUS: *Qui*

Digitized by Google

Qui rediens, & illam portiunculam Dominici Corporis, quam ſumpturus eſt, de patena adcipiens, ipſam portiunculam ſumens. Nomine autem Portiunculae venit *Particula*.

POST COMMUNIONEM, Antiphona ad communionem cantata. In Miſſae Sacrificio jam tum a primis Eccleſiae temporibus oratio recitari conſuevit, quae, quum poſt expletam communionem diceretur, *poſt communionem* appellata eſt; Hoc enim nomine praefigitur in Codice *Gelaſiano*, & in Sacramentario S. GREGORII ex editione *Romana*, & P. AMELII. Alii *Gregoriani* Sacramentarii Codices, ut *Reginae Svecorum*, & *Ottobonian.*, & alii, huic Orationi: *Ad complendum*, titulum praefigunt.

Pertinet autem haec oratio ad ipſam communionem, & continet gratiarum actionem de percepta Euchariſtia. Huc enim ſpectat AUGUSTINUS, dum ad PAULLINUM ſcribens, ait: *Participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit.* Ad hanc AUGUSTINI Epiſtolam reſpicit AMALARIUS in *Ecloga*, dum ait: *Poſt communionem, hanc orationem AUGUSTINUS poſtulationem vocat. Poſt communionem namque dicit, quia poſtquam populus communicat, haec ſequitur.* In Sacramentario S. GREGORII per MENARDUM edito, & in aliis ſupra indicatis *ad complendum* haec oratio nominatur, quod *complere* in libris Liturgicis ſignificet, rem divinam Oratione, ſeu Collecta concludere, & complere. Vide STRABONEM *de reb. Eccleſ. cap.* 22. & MICROLOGUM *cap.* 19. *&* 21. *Ambroſiano* ritu *Tranſitorium* vocatur. Vide Complenda.

POST PRIDIE. Peracta conſecratione ſubjicitur Oratio, quae in Miſſali *Mozarabum* conſtanter *poſt pridie* dicitur, ut in Liturgiis *Gallicanis* aliquando poſt *Myſterium*, aliquando *poſt Secreta* appellatur. De ea ISIDORUS *offic. Eccleſiaſt. lib.* 1. *cap.* 15. ait: *Ex hinc ſexta ſuccedit confirmatio Sacramenti, ut oblatio, quae Deo offertur, ſanctificata per Spiritum Sanctum, Corpori Chriſti, & Sanguini confirmetur.* In Sacramentario *Bobiano* nulla eſt Oratio *poſt ſecreta*, aut *poſt Myſterium*. Miſſae enim omnes, illius Sacramentarii, iis carent, quae *conteſtationem* conſequuntur. Porro hac Oratione *Gotho-hiſpani*, & *Galli* expreſſe commemorant mortem, paſſionem, reſurrectionem, in Coelos adſcenſionem, & alia quaedam Chriſti Domini myſteria; eaque de cauſſa, ejus mandato obtemperantes, ſe Euchariſtiae ſacrificium offerre profitentur, deinde ſolemnem faciunt hoſtiae oblationem, victimamque ſacrificii, Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus panis, & vini latentem, Deo offerunt; addunt poſtea ſupplicationem, ut Deus munus oblatum dignetur benigne adceptare, ac demum rogant, ut Deus dignetur benedicere, & ſanctificare ſpecies conſecratas, eaſque divinae munificentiae donis, ac gratiis omnibus affatim replere, inter communicantes diſpertiendis. Verum quidem eſt, quod in ſingulis Orationibus *poſt pridie* quatuor iſta, ſaltem explicite commemorata, non reperiantur; ſingulis tamen horum unum, aut plura, haud paucis, omnia diſtincte inſeruntur: neque ulla ferme occurrit qua effectus Sacramentales, vel quod in idem recidit, qua benedictionem, aut ſanctificationem hoſtiae conſecratae non poſtulent. Sunt etiam nonnullae quibus effectus ſacrificii petunt, etſi pro his ante conſecrationem plerumque orare ſoleant. Sunt aliae, quibus petunt, ut dona gratiae con-

Digitized by Google

ferantur offerentibus; & ſimul ut benedicantur eorum oblationes; atque ut vota, preceſque populi ſuſcipiantur. Jam vero Oratione *poſt pridie* modo aeternum Patrem, modo Dei Filium, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, modo Spiritum Sanctum, aliquando individuam Trinitatem, frequenter nullam e Divinis Perſonis nominatim, ſed Deum rogant; & inter orandum eaſdem, aut ſimiles adhibent loquendi formulas, quae in Sacramentariis paſſim adhibentur, quum res, etiam ſenſu, & vita carentes, quales ſunt aqua baptiſmatis, oleum unctionis, cineres, candelae, lumina Paſchalia, altare, ejuſque miniſteria, veſteſque benedicuntur: hinc praeter conſuetas voces benedicendi, & ſanctificandi, orant, ut dona oblata ſint divinae *gratiae ſanctificatione reſperſa*, ſint Dei benedictionis *plenitudine referta*; Chriſtum rogant ut *ſacrificiis propitiatus* inlabi dignetur, iiſque *benedictur deſcendat*: aliquando orant, ut immittat in ea ſpiritum ſanctitatis, ut infundat in ea imbrem Spiritus Sancti de coelis, ut Deus ea ſpiritus ſui permixtione ſanctificet: quibus orandi modis re ipſa nihil amplius ſignificabant, quam quod voces *benedicere*, & *ſanctificare* ſonant; eos tamen adhibebant tum ad oſtendendum, ſe poſtulare ſanctitatem rebus ipſis inhaerentem, tum etiam ad affectum erga Deum movendum, dum ea, pro quibus ſupplicabant, ſenſibus quodammodo ſubjiciebant; orabant autem pro effectu Sacramentali, ut ipſae Orationes *poſt pridie*, & *poſt myſteria* probant, & conſenſus Liturgiarum *Occidentis*, & *Orientis* confirmat, quibus omnibus inſunt Orationes pro effectu Sacramentali, peracta conſecratione, fundendae. Fuerunt pauci recentiores, viri eruditi, qui circa efficentiam verborum Chriſti in elementis Euchariſticis tranſubſtantiandis, adſeruere, *Gotho-hiſpanos*, & *Gallos* in eadem fuiſſe opinione, quam illi recentioribus *Graecis* tribuunt: ſcilicet divina Chriſti verba ad elementa Euchariſtica conſecranda non ſufficere, niſi adſit Oratio *poſt pridie*, qua inſtar invocationis *Graecorum*, & *Orientalium*, Spiritus Sanctus invocatus panem & vinum in Chriſti Corpus, & Sanguinem tranſubſtantiet; at viri hi eruditi debebant animadvertiſſe, partem maximam Orationum *poſt pridie* ad Spiritum Sanctum non ſpectare, illiſque aut Patrem aeternum, aut Chriſtum Dominum, Dei Filium, aut adorandum Trinitatem invocari; quid igitur fiet de tot Miſſis, quarum *poſt pridie* nullam habent Spiritus Sancti invocationem? Num ſine elementorum conſecratione celebrabantur? Abſit: illae ipſae Miſſae contrarium probant. Concedendum igitur eſt, *Gotho-hiſpanos*, (idem & de *Gallis* ſentiendum) numquam dubitaſſe, quin ſolis Chriſti verbis, ſine ulla Spiritus Sancti invocatione, elementa Euchariſtica plene, & legitime conſecrarentur. Non eſt neceſſe, inquiunt, Spiritus Sancti invocatio; ſufficit, quod Deus, aut divina aliqua invocetur Perſona, ut in *poſt pridie* fit; at ſine illiuſmodi invocatione ſola Chriſti verba non ſufficiunt ad elementorum tranſmutationem. Ita ne? Sed haec non eſt opinio recentiorum *Graecorum*: illi enim non Trinitatem, non Deum Patrem, aut Filium, ſed ſolum Spiritum Sanctum invocandum eſſe tenent, ut Euchariſtia legitime conſecretur. Praeterea illud diſcriminis eſt inter recentiores *Graecos*, & *Gotho-hiſpanos*, quod *Graeci*, in libris ſuis liturgicis, formulas certas, ſolemnes, immutabiles habeant, quibus invocatur Spiritus Sanctus ad elementa Eucha-

Euchariſticâ tranſubſtantiandâ; & apud *Gotho-hiſpanos*, & *Gallos* nullae inveniuntur ſolemnes & canonicae formulae invocationis; nam in eorum Orationibus *poſt pridie*, & *poſt myſterium* nihil fixum, & ſtabile eſt; voces, ſenſuſque varii ſunt, quemadmodum Orationes ipſae, pro Miſſarum diverſitate, variant, & mutantur: quare ſi Oratio *poſt pridie* illis fuiſſet conſecratoria, aut totam Orationem, aut ſaltem aliquam ejus partem, eamdem in omnibus Miſſis recitaſſent. Eſt enim prorſus incredibile, eos formam conſecrandi elementa incertam habuiſſe, & mutabilem. Sed quid multis opus eſt? Sunt Orationes *poſt pridie*, quibus aperte orant pro ſanctificatione elementorum, quae antea plene conſecrata, & tranſubſtantiata fuerant: Sic Dominica V. Quadrageſimae: *hoc ſacrificium reſpicere, &* SANCTIFICARE *digneris quod eſt verum Corpus & Sanguis Filii tui &c.* Sic feria tertia poſt Paſcha: *offerimus tibi...... Corpus & Sanguinem Filii tui, quod ipſe placatus* BENEDICENDUM *adſumens &c.* Sunt Orationes *poſt pridie*, in quibus nulla eſt invocatio, nulla occurrit mentio de benedictione, aut ſanctificatione elementis tribuenda; atque iſtae, quae paucae non ſunt, convincunt, hanc Orationem ad transmutationem Panis & Vini nihil prorſus conferre. Nam primi generis Orationes, quibus invocatio quaedam ineſt, oſtendunt elementa, ante eam invocationem, fuiſſe tranſmutata, atque in Corpus, & Sanguinem Domini converſa. At ſecundi generis Orationes, quibus nulla ineſt invocatio, probant, *Gotho hiſpanos*, & *Gallos* pro certo habuiſſe, elementa Euchariſtica, ſine ulla invocatione, ſolis Chriſti verbis legitime, & plene tranſubſtantiari. Quare fruſtra laborant, qui *Gallos*, & *Gotho-hiſpanos* in recentem *Graecorum* errorem vel invitos trahere conantur. Siquidem eorum Orationibus *poſt pridie*, & *poſt ſecreta* non petunt a Deo elementorum transmutationem, ſed rogant, ut elementis conſecratis ſanctitas infundatur, & gratia, quae rite communicantibus proſit. Paucis effectus poſtulant Sacramentales.

PRAECINCTORIUM, quod *Subcingulum*, ſive *ſubcinctorium* HONORIUS vocat, inſtar parvi cujuſdam Manipuli eſt e ſiniſtro latere pendens. Eo unus Rom Pontifex utitur, dum ſolemniter celebrat praeterquam in die Paraſceves. JOSEPHUS VICECOMES illud cum Epiſcoporum gremiali confundit.

PRAEFATIO, *Immolatio*, & *Conteſtatio* GALLIS, *Inlatio* MOZARABIBUS, eſt Oratio, ut ait MENARDUS, ſeu gratiarum actio Canoni praemiſſa, qua diſponitur Sacerdos, & populus ad tremendorum Myſteriorum confectionem. Antiquitatem praefationum evincunt CYPRIANUS *in lib. de Orat.*, AUGUSTINUS *ep. 57. ep. 120. ep. 156.* aliiſque in locis, & Concilium *Milevitanum can. 12.* Formulae tamen diverſae fuerunt, imo fere tot praefationes, quot Miſſae. Praefationes poſtea ad novem in *Romana* Eccleſia redactae, non a PELAGIO II. (quod ex ſpuria ejuſdem epiſtola ad Epiſcopos *Germaniae*, & *Galliae* olim creditum fuit), ſed circa XII. ſaeculum, Illis vero additae duae ſunt, altera communis antiquiſſima, quae GELASII, ſive GREGORII eſſe creditur; altera de B. Virgine ab URBANO II. inſtituta. *Ambroſiana* Eccleſia, de qua Auctor *Onomaſtici ſacri pag. 260.*, quamplurimas habet Praefationes & in feriis, & in Dominicis, & Sanctorum Feſtivitatibus: inter reliquas autem binae ſunt celebriores, ſaltem ob

earum

Digitized by Google

earum antiquitatem. Prima eſt illa, quae ritu *Ambroſiano* legitur in Dominica ſexta poſt Epiphaniam, licet ALGERUS eam citet ex quinta. De ea haec habet. GUITMUNDUS ex S. BENEDICTI Monacho Epiſcopus *Averſanus*, qui obiiſſe dicitur anno 1080. *lib.* 1. *de Euchariſtia* adverſus BERENGARIUM: *Ne quis exiſtimet, me hanc ſententiam ex meo ſenſu commentatum, Praefationem iſtam, quae per totum Orbem Latinum inter Epiphaniam, & Septuageſimam in quadam Dominica habetur, hic ſuppoſui, haec continentem: Aeterne Deus: & tibi hanc Immolationis Hoſtiam offerre, quae eſt ſalutifera, & ineffabile divinae gratiae Sacramentum:* (ſic autem legitur apud Card. BONAM, in Miſſali vero *Ambroſiano*: *Quae ſalutifero, & ineffabili divinae gratiae Sacramento offertur a plurimis*) *quae offertur a plurimis & unum Corpus Chriſti Sancti Spiritus infuſione perficitur. Singuli accipiunt Chriſtum Dominum, & ſingulis portionibus totus eſt, nec per ſingulos minuitur, ſed integrum ſe praebet in ſingulis. Propterea ipſi, qui ſumimus communionem hujus Sancti Panis, & Calicis, unum Chriſti corpus efficimur.* Hujus Praefationis auctoritate utitur ALGERUS *Cluniacen.* Monachus, qui floruit anno 1130. *in lib. de Sacram. Corporis, & Sanguinis Domini cap.* 5. eam AMBROSIO tribuens, & in lib. *Sacrament.* S. GREGORII PP. Dominica (ut dixi) quinta poſt Epiphaniam.

Praefatio altera, quam etiam tunc recitant *Ambroſiani*, ea eſt, quam dicunt in Feſto S. MARTINI *Turonenſis* Epiſcopi, quam ex Codice annorum circiter mille refert Card. BONA *loc. cit. pag.* 79., eaque haec eſt, in nonnullis tamen diverſa ab ea, quam refert Eminentiſſimus Auctor. *Aequum & ſalutare, nos te omnipotens Domine in beati Sacerdotis, & Confeſſoris tui* MARTINI *laudibus honorare, qui Sancti tui Spiritus dono repletus, ita in ipſo tyrocinio fidei perfectus inventus eſt, ut Chriſtum texiſſet in paupere, & Veſte, quam egenus acceperat, mundi Dominum induiſſet. Oh felix largitas, quam divinitas operatur! Oh chlamydis glorioſa diviſio, quae militem texit, & Regem! Digne huic confeſſionis tuae praemia contuliſti: Digne ei* ARIANORUM *ſubjacuit feritas, digna tanto amore Martyrii, perſequutoris tormenta non timuit ſecurus. Quanta putamus erit glorificatio paſſionis, quando pars chlamydis ſic exſtitit pretioſa? Et quid erit pro oblatione integri corporis recepturus, qui pro quantitate veſtis exiguae & veſtire Deum meruit, & videre? Oh animi imitanda benignitas! Oh virtutum veneranda potentia! Sic egit ſuſcepti Pontificatus offitium, ut per formam laudabilis vitae obſervantiam exigeret diſciplinae. Sic Apoſtolica virtute ſperantibus contulit medicinam, ut alios ſupplicationibus, alios viſu ſalvaret. Haec tua Domine eſt virtus, & gloria &c.* Vide Hosanna.

PRAEFECTUS AUGUSTALIS. Vide Dux Augustalis.

PRAESANCTIFICATORUM Miſſa. Vide Missa Praesanctificatorum.

PRAESENTATIO B. M. V. Vetus eſt in Eccleſia *Orientali* haec Feſtivitas, ut quae in Conſtitutione EMMANUELIS Imperatoris (regnare is coepit ann. 1143.) inter alios dies Feſtos percenſeatur. In *Occidentali* vero Eccleſia Officium hujus Feſti *Avenione* GREGORIO XI. exhibuit PHILIPPUS MAZERIUS Regis *Cypri* apud S. Sedem orator; Pontifex vero accurate exami-

examinatum probavit; decretumque ann. 1374. edidit; quo haec toto *Occidente* agenda celebritas jubebatur, ut in litteris CAROLI V. *Francorum* Regis ad *Magiſtros* & *Scholaros Univerſitatis Navarrae* a LAUNOJO vulgatis legitur. GREGORIO tamen *Romam* reverſo, ſuſpicatur BAILLETUS, non ubique fortaſſe hanc Feſtivitatem illico celebrari coeptam. Eam poſtea, urgente GUILLELMO *Saxoniae* Duce, PIUS II., & PAULLUS II. Indulgentiis auxerunt. Sub PIO tamen V. nonnihil de retinendo hujus diei officio dubitatum fuit. Tandem SIXTUS V. illam in Calendarium referri juſſit, & in omnibus Eccleſiis celebrari antiquiore officio emendato, & ſublata oratione illa, quae antea legebatur: *Deus qui Sanctam tuam Genitricem Templum S. Spiritus poſt triennium in Templo praeſentari voluiſti*, in eamque, qua hodieque utimur, immutata. GAVANTUS tamen officium, quod nunc recitamus, a CLEMENTE VIII. correctum ſcribit; quod de extrema correctione intelligo.

PRAXAPOSTOLUS, liber eſt apud GRAECOS, in quo cum Epiſtolis PAULLI, aliiſque Canonicis, & Apocalypſi Acta Apoſtolorum continentur. *Bibl. Ritual. Tom. I. pag.* 17.

PRECES, Canon Miſſae ita vocatur a CYPRIANO *in lib. de Orat. Domin.*, ab INNOC. I. in epiſt. ad DECENTIUM, & a S. GREGORIO M. in epiſt. ad JOH. *Syracuſanum*. In Officio quoque praeſcribuntur *preces* a GAVANTO *flebiles* dictae, ſeu prolixiores, quae recitantur ante Orationem, immediate poſt Antiphonam Cantici *Benedictus* in Laudibus, in reliquis vero horis poſt Antiphonam. Sunt praeterea *Preces* in Miſſa *Mozarabum*, Orationes ſcilicet illae ſolemnes, quae pro Eccleſia, pro Clero, pro Rege, pro Populo, variiſque hominum conditionibus fiebant, appellantur, ſed a *Graecis ſynaptae*, *collectae*, *aut conjunctae* Orationes denominantur: olim apud *Gotho-hiſpanos* Diaconus preces recitabat. S. ISIDOR. *epiſt. ad Ludifr.* Apud *Graecos* quoque, & *Orientales* a Diacono recitabantur: unde & *Diaconicae* dictae ſunt. A *Gallis*, & a *Gotho-hiſpanis preces* non ſemel inter Miſſarum ſolemnia recitabantur, & in Liturgiis *Graecorum* Synaptae ſaepius repetuntur. Idem mos etiamnunc in *Ambroſiana* Eccleſia ſervatur. Dominicis enim diebus Quadrageſimae, immediate poſt Ingreſſam, Diaconus, ſi in Officio Diaconatus eſt, alioquin ipſemet Sacerdos, ſequentes Preces dicit, Choro, vel Miniſtro reſpondente *Domine miſerere*, ſeu *Kyrie eleiſon*. Dominica prima Quadrageſimae: *Divinae pacis, & Indulgentiae munere ſupplicantes, & toto corde, & ex tota mente precamur te*.

℟. *Domine miſerere*.

Pro Eccleſia tua Sancta Catholica &c.

Hae preces quoque dicuntur in Dominica *de Abraham*, ſeu tertia; & in Dominica *de Lazaro*, ſeu quincta Quadrageſimae. In Dominica vero *de Samaritana*, ſeu ſecunda Quadrageſimae, & in Dominica *de Coeco*, ſeu quarta, recitantur aliae preces.

PRESBYTER Graece, *Latine ſenior* dicitur: AUGUSTINUS: *Etiam grandioris aetatis, & (ſicut Scriptura loquitur) plenum dierum poſſe dici Seniorem, hoc eſt presbyterum, quae vox majoribus natu, & communi cum Epiſcopo concilio, eccleſiam gubernantibus, ſacraque myſteria tractantibus attributa eſt*, ut

Digitized by Google

ut preſbyteri, *ideſt ſeniores vocarentur*. Hinc TERTULLIANUS *in Apologetico cap. XXXIX*. *Nobis praeſident probati quinque Seniores*, *honorem iſtum non pretio*, *ſed teſtimonio adepti*. Sunt autem jure divino Epiſcopis inferiores. OPTATUS *Milevitanus lib.* 1. *Quid commemorem laicos*, *qui tunc in Eccleſia nulla fuerant dignitate ſuffulti? Quid miniſtros plurimos? Quid diaconos in tertio? Quid preſbyteros in ſecundo Sacerdotio conſtitutos? Ipſi apices & principes omnium Epiſcopi &c.* Ordo igitur ſecundus OPTATO eſt ordo Preſbyterorum. ODO *Doroberniensis* de Sanct. WILFRIDO, quando factus eſt preſbyter:

Tandem colla jugo ſubdens dejecta petito
Ordinis aptatur coelebs in bonore ſecundi.

Poſſent ejus generis teſtimonia innumera proferri. Sed omnium inſtar erit lex nova Impp. THEODOSII, & VALENTINIANI, in qua Presbyteri *ſecundi Sacerdotes* nuncupantur. Qua nimirum nota diſtinguebantur ab Epiſcopis, qui primi ordinis erant Sacerdotes, & *Summi Sacerdotes* appellabantur. Vide SIRMONDUM ad SIDONII *Epiſtolam XI. lib. IV.*

PRESBYTERI *Poenitentium*. Vide POENITENTIARIUS.

PRESBYTERIUM varia ſignificat, ac 1. Characterem Sacerdotalem; quo ſenſu illud uſurparunt PONTIUS Diaconus in Vita S. CYPR. & SIRICIUS *ep.* 1. *cap.* 13. 2. Sacerdotum coetum, ac veluti Senatum. Vide S. BASIL. *ep.* 319. ad INNOC. & ante ipſum CYPRIAN. *ep.* 35. 46. & 49. 3. Obventiones Preſbyteri Parochialis, apud ORDERIC. VITALEM *lib.* 5. *pag.* 587. & *lib.* 8. *pag* 669. 4. Munus, aut eleemoſynam in ſolemnibus feſtis a *Romanis* Pontificibus Clero, & populo erogatam: ita GREGOR. M. *lib.* 4. *ep.* 26. & *lib.* 12. *ep.* 30. Iremque Ordo *Romanus* apud MABILLON. *Tom.* 2. *pag.* 129. 142. *&c.* Vide MORETUM *de Preſbyterio*. 5. Locum Eccleſiae, in quo Preſbyteri conſiſtunt: Chorum aliqui perperam vocant. In hunc locum nefas erat ſaecularibus ingredi. Vetuit hoc Concil. *Turon. II.* ann. 570. *can.* 4. & Synodus *Romana* ſub EUGEN. II. *cap.* 33. Hujus ſunt verba; *ut nulli Laicorum liceat in eo loco*, *ubi Sacerdotes*, *reliquive Clerici conſiſtunt*, *quod Preſbyterium nuncupatur*, *quando Miſſa celebratur*, *conſiſtere &c.* Apud *Graecos* ex *Trullanae* Synodi *Can.* 69. ſolius oblationis cauſſa Imperatori permiſſum fuit intra ſepta Altaris ingredi. AMBROSIUS enim, ut narrat SOZOMENUS *lib.* 7. *cap.* 24., locum Imperatori adſignaverat ante cancellos altaris, ita ut Imperator quidem plebem, ipſum vero Imperatorem Sacerdotes in Eccleſia praecederent; octavo tamen ſaeculo intra ſepta altaris Imperator conſidebat; quod THARASIUS non amplius ſe permiſſurum COPRONYMO edixit; niſi ab adulterinis, quas cogitabat, nuptiis abſtinuiſſet, ut in ejus vita legitur *cap.* 7.

PRIMA. Nulla Primae expreſſa mentio exſtat apud Patres CASSIANO antiquiores, qui quum mane orandum eſſe dicunt, non de Prima, ſed de Laudibus Matutinis intelligi debent. Adſerit enim CASSIANUS, Primam ſuo tempore in ſuo *Bethleemitico* Monaſterio celebrari coepiſſe, ne Monachi poſt Laudes uſque ad Tertiam otioſi, & ſomnolenti jacerent in Cellis, quum nulla Conventus neceſſitas eos ad Orationem exire compelleret. Idem Auctor vocat *Primam alteram Matutinam*, quam a Matutinis Laudibus

ea

ex eo diſtinguit, quod hanc tribus Pſalmis abſolvi dicit: ad Laudes verò decantari ait Pſalmum *Laudate Dominum de Caelis*, cum duobus ſequentibus. Porro *quinquageſimum*, inquit, *& ſexageſimum ſecundum*, *& octogeſimum nonum huic novellae ſolemnitati novimus fuiſſe deputatos*. Equidem adtributa S. AUGUSTINO Regula *Primae* meminit; verum quis ignorat ei abjudicandam eſſe, eamque a *Lovanienſibus* Theologis inter pſeudopigrapha fuiſſe amandatam? Similiter Hymnus Primae vel non eſt S. AMBROSII, vel ab eo compoſitus, ut privatim diceretur, poſthac publico Primae officio fuit aptatus. Ubi vero S. CHRYSOSTOMUS ait: *Dic mihi, qua fronte ſolem intueberis, niſi prius adoraveris, qui lumen illud dulciſſimum oculis tuis mittit?* Sanctus autem ATHANASIUS: *Sol exoriens videat Librum in manu tua*: de privata Oratione loquuntur. Vide ABSOLUTIO, CAPITULUM, CONFESSIO, FIDES CATHOLICA.

PRIMAS. Vide EXARCHUS. Ceterum ut apud *Graecos*, ita etiam apud *Latinos* diverſa Primatum & acceptio fuit, & poteſtas: alii enim jam a primis temporibus integram regebant Dioeceſim, ut *Romanus Italiam*, *& Carthaginenſis Africam*, & multo poſt *Hiſpaniam Toletanus*. Alii vero Dioeceſis tantum parti praeerant, ut *Lugdunenſis*, *& Bituricenſis* certis quibuſdam *Galliae* Provinciis: & aetate noſtra, quod antea factitatum nuſquam legitur, *Primates* dicuntur multi, quorum juriſdictio tum primatialis, tum metropolitana iiſdem eſt terminata finibus. Sed illorum diſpar eſt ratio. Sunt enim, qui nullis umquam praefuerint Metropolitanis, ut *Rotomagenſis*: ſunt qui olim multis, nunc nullis; ſed eorum alii ſuos habent, ut vocant, *Officiales*, quorum alter Metropolitani jure, alter Primatis judicet; ita ut a priori ad poſteriorem provocetur, ut *Bituricenſis*: apud alios vero idem eſt judex Primatis, qui Metropolitae.

In *Africa* tot erant *Primates*, quot Provinciae. Provinciam quiſque ſuam adminiſtrabat; *Carthaginenſi* parebant omnes. Illorum jura eadem fuerunt, quae apud alias gentes Metropolitanorum. Inter illos tamen, & Metropolitas hoc intererat, quod Metropoles ſtatae & fixae ſemper erant; primae autem Sedes in *Africa* deſultoriae, & numquam fere eaedem, ſed nunc hae, nunc illae: quum Metropolitanum ipſa Metropolis faceret, primam Sedem ipſe Epiſcopus: nec enim urbi, ſi *Carthaginem* exceperis, ſed aetati, & ordinationis praerogativae addicta fuit Primatis dignitas: quo quiſque antiquior in Provincia Epiſcopus, is eo Primatui vicinior; ille demum *Primas*, qui omnium antiquiſſimus. In *Romana* Eccleſia *Primates* alio plane ſenſu invenies octavo ſaeculo, qui etiam *Proceres* dicti. Cave, cum BARONIO Cardinales intelligas. Erant illi, qui apud *Romanos* Pontifices Palatinis muneribus decorabantur, Primicerius ſcilicet, Secundicerius, Arcarius, Sacellarius, Nomenclator, Primicerius defenſorum, & Protoſcrinarius; Vide GALLETTUM *de Primic. pag.* 17.

PRIMICERIUS eſt primus cujuſque ordinis, ut Primicerius ſcholae cantorum, de quo infra V. SCHOLA CANTORUM. Inter varia officia eorum, qui *Romano* Pontifici praeſto erant, fuere defenſores, cantores, & notarii. Primus inter eos *Primicerius* dicebatur; quare ſaepius legitur in *Ordinibus Romanis Primicerius ſcholae cantorum, notariorum, defenſorum, lectorum*, & ſimilium:

Digitized by Google

Eum: quod videſis apud Carolum CANGIUM verbo *Primicerius*; Praeſertim vero apud eruditiſſimum GALLETTUM in egregio opere *de Primicerio*, ubi & illud *pag.* 26. animadvertit, inter *Primicerios*, qui Romae erant, *Primicerium Notariorum* eminuiſſe, huncque illum fuiſſe, qui vel abſolute *Primicerius* appellabatur, *vel Primicerius Sanctae Sedis Apoſtolicae, vel Primus Primicerius, vel Primicerius Judicum*; ut Cl. PANVINIUS errarit, dum Primicerium Notariorum a Primicerio Sedis Apoſtolicae, itemque a Primicerio Judicum diſtinxir.

PRIMISCRINIUS. Diverſi ordinis Primiſcrinios poſitos habes in Notitia Provinciarum Imp. Rom. Omnes militabant ſub officio Comitis rerum privatarum. Sunt hi: Primiſcrinius beneficiorum, Primiſcrinius Canonum, ſeu rationum, Primiſcrinius ſecuritatum, ac Primiſcrinius largitionum privatarum. Erat & Magiſter ſcriniorum memoriae, epiſtolarum & libellorum. Erant & Primiſcrinii diverſorum magiſtratuum tum Palatinae, tum etiam Caſtrenſis militiae. Erat & ſchola ſcriniariorum, eorum ſcilicet, qui ſcriniis, hoc eſt, arcis publicis ſcripturarum praeerant. Primiſcrinii emeriti promovebantur inter Notarios, & Tribunos: id habes ex CASSIOD. *Var. lib. II. cap.* 20. *&* 21., ubi de forma Primiſcrinii, qui adcedit, deque eo, qui egreditur. Horum magiſtratuum frequens eſt mentio in Codice *Theod.* & *Juſtinianeo*, necnon in *Novellis* ejuſdem. S. NICOSTRATUS Primiſcrinius, & Martyr nonis Julii colitur; ad quem diem, quae diximus, BARONIUS tradidit.

PRIMUS SEDIS APOSTOLICAE PRESBYTER, primus inter Cardinales Presbyteros. Vide PRESBYTER.

PRIOR, ſeu Decanus Canonicorum, & generatim Collegiorum. BENEDICTUS Canonicus apud MABILLON. Ord. *Rom. XI.* varias notans Pontificis largitiones ipſo Dominicae Nativitatis die uſitatas ait: *Iſtis vero die Natali & Paſcha dat omnibus* PRIORIBUS *manum ideſt Presbyterium duplum*.

PROCERES. Praeceptores, Doctores, Magiſtri, inquit CANGIUS. In ſepulcrali titulo, quem S. LEONI M. SERGIUS Papa poſuit, *Procerum* nomine Romani Pontifices denotantur.

Hinc vatum, PROCERUMQUE *cohors*.

Vide PRIMAS in fine.

PROCESSIO, & PROCESSUS, idem ſunt, & primum proceſſus, & proceſſio ſignificat inceſſum militum, populi, Cleri ad locum aliquem ordinatim euntis; hinc cum Imperatores aliquo irent, puta in villam, proceſſionem, aut proceſſum facere dicebantur. TREBELLIUS POLLIO in GALLIENI cap. 17. *Saepe ad tibicinem proceſſit, ad organum ſe recepit, quum proceſſui, & receſſui cani juberet*: hinc quoque proceſſiones religioſae, quae & *Litaniae*, quum Clerus, Monachi, populus ordinatim incedentes per urbem, aut agros, aut Baſilicas Deo ſupplicant, ut Proceſſiones ſtationum, & Rogationum, atque in *Ambroſiana* Eccleſia Proceſſio *in Pſalmis*, quae ſcilicet in pervigiliis Ss. GERVASII & PROTASII, ac S. AMBROSII fiebat, apud PURICELLUM *in Monum. Eccleſ. Ambroſ. pag.* 1153. Aliae praeterea ſunt Proceſſiones religioſae, quum Clerus e ſacrario ordinatim ad altare, ad cho-

Digitized by Google

chorum; ad Eccleſiam incedit. Deinde proceſſio, & proceſſus ſignificat aliquando ipſam ſynaxim, congregationem, & conventum ſive ſacrum, ſive profanum, ſive mixtum populi: hoc ſenſu a TERTULLIANO *de praeſcrip. cap.* 43. uſurpatur *proceſſio modeſta* pro ipſa Eccleſia, ſeu pro modeſto fidelium in Eccleſia conventu. Demum proceſſio, & proceſſus locum ſignificat, in quo ii, qui proceſſuri erant, congregabantur, quemadmodum Eccleſia & conventum, ſeu congregationem fidelis populi, & locum, in quo congregantur, ſignificat: quo ſenſu in Miſſali *Mozarabum pag.* 174. adcipitur, quum dicitur Clerus ingredi *proceſſum*, & ſedes Pontificis *in proceſſu* poni &c. Erat autem locus iſte aula quaedam vel in ſacrario, vel tam prope ſacrarium poſita, ut pro ipſo ſacrario adcipiatur. Vide Litaniae, Statio. Unum addo, *Proceſſionis* nomine cum apud GRATIANUM *cauſ.* 26. *quaeſt.* 7. *cap.* 26. ex GELASII epiſtola ad SENECIONEM Epiſcopum, tum in *Libro diurno Romanorum Pontificum cap.* 5. *Tit.* 3. venire ſacram omnium Officiorum, & Myſteriorum in Eccleſia celebrationem. Quare iis, qui Eccleſiis, ſacriſque aliis locis quidquam dono obtuliſſent, *jus* ſupererat *Proceſſionis*, quod etiam *Proceſſionis gratia*, & *Proceſſionis aditus* vocabatur, ſcilicet ut divinorum officiorum in iiſdem locis celebratorum participes fierent.

PROCESSIONALE, Libellus, in quo quae ad publicas ſupplicationes pertinent, continentur. *Bibl. Ritual. Tom. I. pag.* 159.

PROCESSUS praeter nuper adtacta dicuntur Excommunicationes, ac illae praeſertim, quae ab antiquiſſimis retro temporibus vibrari conſuevere in Pontificia Capella Feria V. in Coena Domini, in Adſcenſione Domini, & in Baſilicarum Apoſtolorum PETRI, & PAULLI dedicatione. Vide Excommunicatio.

PROMISSIO FIDEI, ſic in Libro diurno Romanorum Pontificum *cap. III. Tit.* 6. inſcribitur profeſſio Fidei, quam Epiſcopi ad ordinationem Romani Pontificis pertinentes, dum conſecrarentur, emittebant.

PRONUS, PRONA, PRONUM. Erant trabes, ſeu candelabra per Eccleſiae tranſverſum, ſeu circuitum diſpoſita, ſuper quae cerei adcendebantur. MARTENE *lib.* 3. *cap.* 13. loquens de ritibus in Coena Domini, ait: *Hujuſmodi cereos adcendebant per modum pyramidis ante S. Altare. Floriacenſes ſuper pronas: Corbejenſes ſparſim per omnem Eccleſiam.* Et lib. 4. cap. 3. *Omnis Rota, & duodecim lampades lampadarii debent adcendi. In circuitu Chori adcendentur ſexaginta quatuor cerei, & tres ad pronos.*

PROPHETEUM eſt *Graecis* templum in alicujus Prophetae honorem aedificatum. SAMUELIS *Propheteum* occurrit apud THEODORUM *Lectorem lib.* 1.

PROPITIATORIUM, Tabernaculum, ſive cuſtodia. Liber Pontific. ſaepius.

PROSA. Vide Sequentia.

PROSEUCHA, locus ubi mendici ad ſtipem rogandam conſident. JUVENALIS ſatyra 3. *Ede ubi conſiſtas, in qua te quaero proſeucha*, ideſt in quo ponte, vel atrio ſtipem roges.

PROSTRATIO. Vide Poenitentia.

PROTONOTARIUS, nŏtarius regionarius. Interdum etiam Cancellarius, qualis RADO fuit celebris Abbas S. VEDASTI, quem *Protonotarium* appellat HADRIANUS in epiſtola ad *Carolum M.* (*Tom. I. Cod. Carol. pag.* 514.) quum tamen apud hunc ipſum Regem Archicancellarii munere fungeretur.

PROTOPAPA idem quod Protopresbyter. Nimirum quando Papae, aut Papades, ſeu Papates apud *Graecos* Presbyteri frequentius dici coepere, tunc ad veteris compoſiti nominis analogiam audiri etiam pro *Protopresbyteris Protopapae* coeperunt. Porro apud SCYLITZEM, BALSAMONEM, ZONARAM, JOELEM, LEONEM Grammaticum, GLYCAM, CODINUM, & PHRANZEM, qui omnes a decimo ad XV. ſaeculum floruere, haud rara eorum mentio. Verum ante SCYLITZEM horum omnium antiquiorem, apud quem STYLIANUS *Protopapas* anno circiter 963. legitur, vetuſtius hactenus non vidi hujus vocis monumentum, ſed *Protopresbyteri* dumtaxat nomen uſurpatum. A *Graecis* id nominis tranſiit in plures *Calabriae*, & *Siciliae* Eccleſias. Vide eruditam *Joſephi* MORISANI *de Protopapis, & deutereis Graecorum, & Catholicis eorum Eccleſiis* Diatribam *Neapoli* 1768. excuſam.

PROTOPRESBYTER, ſeu Archipresbyter. In actis NICAENAE II. Synodi PETRUS *Protopresbyter ſanctiſſimae Romanae Eccleſiae*, & legatus HADRIANI (I.) dicitur. At vero Protopresbyteri apud *Graecos* munus, & nomen antiquiſſimum. Non modo enim in Conc. *Chalcedonenſi Can.* 10. obviam id nomen eſt, ſed prius etiam in Conciliabulo, ad *Quercum* adverſus CHRYSOSTOMUM anno 403. coacto, ARSACIUS, qui ei ſuffectus eſt, *Protopresbyter* adpellatur. Leges & Protopresbyteros apud SOCRATEM, & in Conc. Generalibus ſeptimo, & octavo, & alibi paſſim. Sane quamvis alterum illud nomen *Archipresbyteri* ex *Graecis* quoque vocibus compactum ſit, eo tamen numquam *Graeci* ipſi uſi ſunt, ſed omnino *Latini*. Et mirum quidem, eos, qui Archiepiſcopi, & Archidiaconi nomina invenere, non uſurpaſſe *Archipresbyteri*; quum e converſo *Africanae* Eccleſiae, in repudianda Archiepiſcopi voce conſtantiſſimae, hanc tamen adoptaverint, quod fortaſſe ordinis mediocritas, ut THOMASSINUS putavit, ſuſpicionem faſtus expungeret. Hinc LIBERATUS Diaconus *Carthaginienſis*, quamvis geſtas in Eccleſia *Graeca* res narret, voce tamen in *Africanis* Eccleſiis uſitata utitur, quum ſcribit, exauctorato in *Chalcedonenſi* Concilio DIOSCORO, ſuffectum ei fuiſſe PROTERIUM in Eccleſia *Alexandrina* Archipresbyterum, quem *Protopresbyterum* potius ſcriptor *Graecus* vocaſſet. Vetuſtis porro illis temporibus, non alium fuiſſe *Protopresbyterum*, quam qui Presbyteros ceteros ordinatione anteiret, ſatis ex Epiſtola S. LEONIS 57. & 58. ad DORUM Epiſcopum *Beneventanum* colligitur; etſi non adeo in ea diſciplina ſervanda religioſiores fuiſſe *Graecos* erui poſſit ex oratione XX. S. GREGORII NAZIANZENI, & ex facto DIOSCORI, qui, quum ad *Ephesinum* Concilium proficiſceretur, PROTERIUM fecerat in Eccleſia *Alexandrina* Archipresbyterum.

PROTOSCRINIARIUS, qui Scriniariis praeerat: quod munus nonniſi anno DCCCXXXII. *Romae* inſtitutum GALLETTUS conjicit *de Primicerio pag.* 6.

PSAL-

PSALLENDA in ritu *Ambroſiano* eſt illa Antiphona, quae ad Laudes, & Horas cantari ſolet.

PSALLENTIA, Pſalmorum cantus, ſeu ordo. *Peto etiam charitatem tuam, ut ſicut a Rectore tuo* ALEXANDRO *Epiſcopo noſtro didiciſti, Graecorum Pſallentiam ad nos dirigere tua fraternitas dignetur:* in Epiſtola ad HIERONYMUM, quae DAMASO tribuitur.

PSALLENTIUM, *pſallentii*. Copia Pſalmorum, ſeu multitudo cantantium. In Vita S. GALLI: *Igitur exinde cum multo Pſallentio in civitatem ſuſcipitur*. Et apud S. GREGOR. *Turonen. lib. 9. cap. 10. Quum honore debito, grandique pſallentio in Monaſterio locarentur*. Apud Mediolanenſes *Pſallentium* certi Pſalmi ſunt cum ſuis antiphonis, qui a Clero canebantur, quum diebus Martyrum natalibus ad eorum Eccleſias publicae ſupplicationis cauſſa accederet. Id ex LANDULPHO hiſtorico, & BEROLDO conſtat. Vide etiam BUGATUM in libro *de S. Celſo Mart. p. 127. ſeq.* Pſalmodiam quoque, & cantum Pſalmorum hoc nomine Conſuetudines *Fuldenſes vet. diſcipl. Monaſt. pag. 5. & 6.* deſignant. *Vadunt cum* Pſallentio *in Refectorio.*

PSALMELLUS ex Rubr. Miſſalis Ambroſiani eſt ille ℣. Pſalmi, qui poſt lectionem dicitur loco Gradualis.

PSALMI. Vide PSALTERIUM.

PSALMI FAMILIARES, qui apud Monachos a Feſto omnium Sanctorum ad Septuageſimam dicuntur ante Nocturnos; aliis temporibus poſt Horas. MARTENE ex pluribus Ritualibus. Vide etiam *veterem diſciplinam Monaſticam pag. 309. 354., & alibi.*

PSALMI FORTIORES, ideſt longiores. S. BENEDICTUS Reg. *cap. 17.*

PSALMI GRADUALES ſic dicti, quod in Arcae delatione, in ſingulis Templi gradibus illa ſubſiſtente, decantarentur ſinguli: erant enim quindecim Templi gradus, quot ſunt *Pſalmi Graduales*. Hi vero ab Eccleſia ita ordinati ſunt, ut canentur quinque primi pro Defunctis, uti patet ex concluſione, *Requiem aeternam dona eis Domine:* medii pro nobis ipſis, & amicis: quinque poſtremi pro omnibus fidelibus tam vivis, quam defunctis.

PSALMI PLEBEII, ideſt a particulari perſona compoſiti: quos Concil. *Laodicen.* Cap. ultimo prohibet. *Quod non oporteat plebejos pſalmos canere in Eccleſia.*

PSALMI POENITENTIALES, quod ſcilicet ad poenitentiam nos excitent, numero ſeptem contra ſeptem peccata capitalia, ex quibus veluti capitibus ac fontibus omnia alia peccata proficiſcuntur; quos S. AUGUSTINUS, quum diſceſſum ſibi e vita inſtare intelligeret, in conſpectu poſitos profuſis lacrimis legebat.

PSALMI PROSTRATI, ex MARTENE in Quadrageſima addebantur Familiaribus, & proſtrato corpore dicebantur. Apud *Cluniacenſes quicumque Pſalmos proſtratos perdiderit, veniam in Capitulo, ſicut pro regulari hora petere debet.* BERNARDUS *Vet. diſc. Mon. pag. 303.*

PSALMI SPECIALES. In *Reſponſoriali*, & *Antiphonario* R. E. apud THOMASIUM *Tom. IV. pag. 25.* eorum fit mentio. Eos autem eoſdem eſſe, quos *Poenitentiales* diximus, cenſet CANGIUS; idipſumque THOMASIO

SIO

Digitized by Google

SIO adſtruere viſum fuit antiquum Rituale a *Conſtantino* CAJETANO laudatum in Commentariis ad GELASII II. Vitam *pag.* 129.

PSALMISTA, ex Conc. *Tolet. Cantor*, apud *Graecos* Pſaltes. S. ISIDORUS. *Ad Pſalmiſtam pertinet officium canendi, dicere benedictiones, pſalmos, laudes*, ℟., *& quidquid pertinet ad canendi ſapientiam*.

PSALMUS RESPONSORIUS erat ille, cujus ſinguli verſus ab uno cantore praecantati, ab omnibus repetebantur.

PSALMUS *directus*. Ita *Mediolanenſis* Eccleſia in Matutinis laudibus Pſalmum unum appellat, qui, ut in Breviario *Ambroſiano* habetur, *ab utroque Choro ſtante dicitur communiter, & non alternatim*. Vide CANTUS, ubi de cantu *directaneo*.

PSALTERIUM, liber *Hymnorum*, vel *Laudum: Hymnorum*, quia licet ex uſu Eccleſiae Hymnus ſtricte ſumptus diſtinguatur a Pſalmis, ut innoteſcat diſcrimen inter laudes Divinas a DAVIDE concinnatas, & alias laudes a Catholicis Doctoribus compoſitas; nihilominus ſi vera ſignificatio adtendatur, idem omnino ſunt Hymnus, & Pſalmus: utraque enim vox explicat laudem Dei metro, & utraque expoſcit cantum. Liber *Laudum* dicitur, quia maxima Pſalmorum pars de Divinis laudibus agit. Porro juxta omnium calculum Pſalmi centumquinquaginta numerantur. *Hebraeorum* vero numerus, qui a noſtro, & *Graeco* differt, uno Pſalmo ad centeſimum decimum tertium nos ſuperat, quod Pſalmum nonum *Confiteor* in duas partes dividant; adeoque decimo Pſalmo initium dent a verſu 22. *Ut quid Domine receſſiſti longe*. Verum iidem *Hebraei*, qui etiam Pſalmum centeſimum decimum tertium in duos partiuntur, nobiſcum ſubinde conveniunt circa Pſalmorum numerum, centeſimum decimum quartum, & centeſimum decimum quintum, aeque ac centeſimum quadrageſimum ſextum, & centeſimum quadrageſimum ſeptimum ſimul conjungentes. Eorum diviſionem amplectuntur Neoterici Haeretici, Catholicis ſeptuaginta Interpretum partitioni adhaerentibus. Pſalmorum autem liber omnium Scripturae ſacrae obſcuriſſimus eſt, eo quod vetuſtum quoddam poeſeos genus ſit, in quo Poeta repentinis motibus abripi ſe ſinit, utiturque audacioribus figuris. Attamen Jeſus Chriſtus, qui illorum unica regula eſt, lucem iis adtulit quammaximam. *Hebraice* fuere conſcripti. Eorum antiquiſſima verſio eſt, quae LXX. Interpretum vocatur. Eſt & vetus *latina*, quae *Italica* dicitur, & *antehieronymiana*. Illam (fortaſſe *Romae*) Apoſtolorum temporibus ex *Graeco* exemplari fuiſſe expreſſam conſtat. Porro vetus *Latina* haec Verſio *Vulgatae* noſtrae emendatae parum reſpondet; quum illius Auctores peregrini in Lingua *Latina* videantur. Quo circa S. HIERONYMUS, DAMASO Pontifice Maximo petente, ut veterem Pſalmorum editionem juxta *Graecum* ſeptuaginta Interpretum exemplar emendaret, quia ſaepe animadverſum erat, eam ab exemplari ſuo recedere, *curſim*, ut ipſe ait, animum in id incubuit, ſupremam autem manum ei non appoſuit. Hanc vero editionem, quae *Romae* recepta fuit, atque uſu Eccleſiarum comprobata, populi, qui veteri *Italicae* adſueverant, eas confundentes, tot mendis repleverunt, ut ipſe HIERONYMUS precibus adactus fuerit ad edendam novam *Latinam* Verſionem juxta Septuaginta exemplar, quam veroſimillimum eſt eamdem eſſe,

quae

Digitized by Google

quae hodiedum *Vulgata* appellatur, a Concilio *Tridentino authentica* declarata. Quum autem poſt HIERONYMUM nonnulla menda in poſtremam hanc Verſionem inrepſiſſent, rurſus expurganda, & corrigenda fuit: quare Vulgata noſtra revera vetus Italica non eſt, quae ante S. HIERONYMUM uſu recepta erat, neque nova *Latina* interpretatio ab eodem S. Doctore elucubrata; ſed utriuſque commixtio. Hinc nata eſt occaſio duplicis generis Pſalterii diſtinguendi; aliud juxta SEPTUAGINTA INTERPRETES, alterum juxta S. HIERONYMUM. *Romae* ex VALAFRIDO STRABONE Pſalmi juxta *Septuaginta* legi ſolebant; in *Galliarum* vero, & *Germaniae* Eccleſiis ſecundum HIERONYMI emendationem: *Romani*, inquit de Rit. Eccleſ. *c.* 25., *adhuc habent Pſalmos ſecundum* 70. *Interpretes; Galli, & Germani ſecundum emendationem, quam* S. HIERONYMUS *Pater de* 70. *Interpretum editione compoſuit*. Romanum Pſalterium a S. PIO V. *Romae* abolitum, adhuc perdurat in *Vaticana* Eccleſia, in *Mediolanenſi*, & *Veneta* S. MARCI, licet nonnullo inter ſe diſcrimine: alibi vero ubique Vulgata eſt recepta. Ad *Hiſpaniam* quod attinet, eam ad ſanctum uſque GREGORIUM VII. *Romana* Pſalterii editione uſam fuiſſe indubitanter creditur; nam ad id temporis proprium Ritum conſtanter tenuit, quem *Mozarabicum* dicunt, in quo Pſalmi ex prima *Romana* editione continentur; quia etiamnum, ubi Ritus ille adhuc in *Hiſpaniis* viget, juxta eamdem editionem pſallitur, uti in nonnullis *Tolletanae* Urbis Eccleſiis.

PTOCHIUM. V. XENODOCHIUM.

PUER, *Pueri*. Pueros olim cantaſſe in Eccleſia patet ex VENANTIO FORTUNATO ſic loquente:

Hinc puer exiguis adtemperat organa cannis;
Inde ſenex largam ructat ab ore tubam.
Tympana rauca ſenum puerilis fiſtula mulcet,
Atque hominum reparant verba canora Lyram.

PUERORUM COMMUNIO. Antiquitus, inquit BALUTIUS ad REGINON. *lib. I. cap.* 69., Euchariſtia dabatur etiam pueris, ſaltem morituris, ne ſine communione, ſeu viatico morerentur. Eam ob cauſſam praecipitur his, quibus officium baptizandi incumbit, ut ſi alicubi longius exierint, Euchariſtiam ſemper ſecum habeant. WALTERIUS *Aurelianenſis* cap. VII. *Ut ſemper Euchariſtiam Presbyter habeat paratam; ut quando quis infirmatus fuerit, aut parvulus aegrotaverit, ſtatim eum communicet, ne ſine viatico moriatur*. Immo ex vetuſtiſſimo libro pontificali, qui extat MS. in Bibliotheca monaſterii ſancti REMIGII *Remenſis*, ſcriptus autem eſt HINCMARI Archiepiſcopi *Remenſis* aevo, ut exiſtimat, qui illum vidit, vir eruditiſſimus, & iſtarum rerum peritiſſimus ANTONIUS FAURE Doctor Theologus *Pariſienſis*, in libro, inquam, illo Pontificali, dum ritus baptizandi praeſcribuntur, infans eodem tempore confirmari, ac communicari jubetur quo baptiſmi gratiam conſequutus eſt. Haec ſunt verba veteris libri: *Deinde baptizet infantem ſub trina merſione, tantum ſanctam Trinitatem invocans ſemel, ita dicendo:* Et ego te baptizo in nomine Patris, *& mergit*, & Filii *& mergit*, & Spiritus Sancti, *& mergit tertio*. *Statim autem confirmetur infans, & communicetur ab Epiſcopo ita dicente*: Corpus & Sanguis Domini &c.

In

Digitized by Google

In antiquiſſimo item libro pontificali MS. Eccleſiae *Senonenſis*, ſcripto circa annum DCCCCLXXX., quem nobis ſuppeditavit vir clariſſimus ANTONIUS VION HEROVALLIUS, iſta leguntur in Ordine baptiſmi infantium: *Deinde baptizat Sacerdos ſub trina merſione: tantum ſanctam Trinitatem ſemel invocans, ita dicendo*: Et ego te baptizo in nomine Patris, *& mergat ſemel*, & Filii, *& mergat iterum*, & Spiritus Sancti, *& mergat tertio. Ut autem ſurrexerit a fonte, faciat Presbyter ſignum crucis de chriſmate cum pollice ejus dicens orationem hanc*: Deus omnipotens, Pater Domini noſtri &c. *Et veſtitur infans veſtimentis ſuis, dicente Presbytero*: Adcipe veſtem candidam &c. *Si vero Epiſcopus adeſt, ſtatim confirmari eum oportet chriſmate, & poſtea communicari. Et ſi Epiſcopus deeſt, communicetur a Presbytero dicente ita*: Corpus Domini Jesu Chriſti cuſtodiat te in vitam aeternam. Et in epiſtola JESSE Epiſcopi *Ambianenſis de Ordine Baptiſmi* praecipitur, ut poſt trinam merſionem Epiſcopus puerum chriſmate confirmet in fronte, noviſſime autem Corpore & Sanguine Chriſti confirmetur, ſeu communicetur, ut Chriſti membrum eſſe poſſit. Denique vir Doctiſſimus HUGO MENARDUS adnotat ad librum *Sacramentorum pag.* 144., Epiſcopos antiquitus, poſtquam baptizaverant, ſtatim contuliſſe ſacramentum Confirmationis. Quod etiam obſervatum eſt ab illuſtriſſimo Viro PETRO DE MARCA Archiepiſcopo *Pariſienſi* in Notis ad Concilium *Claromontanum*. Idem adnotat, communionem Corporis Chriſti pueris dari ſuetam uſque ad PASCHALIS SECUNDI tempora, Euchariſtiamque illis datam fuiſſe intinctam propter imbecillitatem aetatis. Antiquum in Eccleſia eſſe morem tradendi pueris, puellabuſque Corpus, & Sanguinem Domini, oſtendit ex AUGUSTINO & CYPRIANO CELLOTIUS in Notis ad Capitula WALTERII *Aurelianenſis*. Confer MARTENIUM, & CHARDONIUM in *Hiſt. ſacr.*, quibus addes MALDONATUM *Diſp. III.* §. 4. & quae ad eum adnotavi *T. III. Bibl. Ritual. pag.* 159. *& ſeqq.*

PUGILLARES. Inter inſtrumenta ſacra, quae Pontifici ad ſtationem procedenti praeferebantur, numerantur pugillares aurei, ſive argentei. Videtur autem ea aetas *pugillarium* nomine intellexiſſe ſtylos, ſeu graphia, ſeu etiam pennas, vel calamos, quibus litterae efformantur, & ex hac ſimilitudine fiſtulas, ſeu cannas, quibus Sanguis e dominico calice exſugebatur, quum proprie pugillares ſint ipſae tabulae, in quibus ſcribi conſuevit. V. CALAMUS.

PULPITUM, locus, ex quo habentur conciones, leguntur Evangelia, lectiones, promulgantur decreta &c. S. CYPRIANUS epiſt. 34. *Quid aliud ſuper pulpitum, id eſt ſuper tribunal Eccleſiae oportebat imponi, ut loci altioris dignitate ſubnixus &c.* V. AMBO.

PULVILLUS, Lectorile, Pulvinus, *Cuſſinum*, ſeu velum oblongum, quo cooperiebatur Pulpitum, ſive Ambo, ex quo Evangelium cantabatur. *Subdiaconus vero, ſi dies feſtus eſt, praecedens portat pulvillum, & ponit ſuper analogium. Converſus pulvillum cum analogio incenſat cum uno tantum ſigno crucis, ac diaconus Textum deſuper ponit, & Evangelium inchoat.* MARTENE l. 1. c. 4. & infra: *Subdiacono eumdem (textum) utraque manu circumferente ſuper cuſſinum.*

PUN-

PUNCTATORES. V. Obedientialis.

PURIFICATIO. Vide Ablutio.

PURIFICATIO B. V. De hac feſtivitate plura apud Em. BARONIUM in Notis ad Martyrologium, apud MARTENIUM *de antiq. Eccl. ritib. lib. 4. cap. 15.*, & prae omnibus legenda quae BENEDICTUS XIV. in Opere *de Dominicis & Feſtis D. N. Jeſu Chriſti, B. Mariae Virginis, & quorumdam Sanctorum, Oper. Tom. X. ed. Roman. lib. 2. cap. 2.* de feſto Purificationis erudite digeſta edidit. Quod *Hieroſolymis* primum celebratum tradunt, alii circa medium quinti ſaeculi, alii citius, poſtea vero Conſtantinopoli a JUSTINIANO Imper. inſtitutum, ut die ſecunda Februarii celebraretur. At in *Occidente* alii feſtum Purificationis inſtitutum a GELASIO Papa (qui ab anno 492. ad 496. Pontificatum tenuit), ſublatis Lupercalibus, contendunt; at GELASIUS ipſe, in libro contra ANDROMACHUM, ſe quidem prohibuiſſe ſcribit, ne Chriſtiani in Urbe *Roma* Lupercalia celebrarent, at de feſto Purificationis, aliove a ſe inſtituto ſilet. In libro Pontificali, SERGIUS Papa I. qui anno 701. obiit, conſtituiſſe legitur *ut die S. Simeonis, quod Hypopantem Graeci appellant, litania exeat a* S. HADRIANO, *& ad ſanctam* MARIAM *populus occurrat*. De candelis ſilet. Ceterum de feſtivitate hac agunt vetuſta Martyrologia Lucenſe FLORENTINII, Corbejenſe DACHERII, aliaque *Hieronymiana*, in quorum aliis Purificatio *S. Mariae*, in aliis *Suſceptio Domini in Templo*, in aliis *Solemnitas ſanctae Mariae quando Dominum noſtrum in templo praeſentavit*, dicitur. In Martyrologio BEDAE genuino *Hypopante Domini*, in Sacramentario *Gregoriano* P. AMELII *Ypanti*, in Capitularibus Evangeliorum *Ypopanti*, & in Sacramentariis *Gelaſiano* THOMASII, & *Gregoriano* MENARDI ſcribitur *Purificatio ſanctae* MARIAE. Denominatur etiam *Feſtum* S. SIMEONIS, & nonnumquam *Occurſus Domini*, appellatione a *Graecis* petita, ii enim hanc την της υπαπαντης ἑόρτην, *Feſtivitatem occurſus*, vel την του Σωτηρος υπάπαντην, ſcilicet *Salvatoris occurſum* nuncupant. Jam vero ad *Gotho-hiſpanos*, & *Gallos* quod ſpectat, mihi, inquit LESLEUS, credibile eſt, eos feſtum Purificationis, aut Hypopantes non celebraſſe; ejus enim nulla extat mentio in ſancto ISIDORO, in fragmento Kalendarii *Gotho-hiſpani*, in Conciliis *Gotho-hiſpanis*, in Orationali *Gothico*, aut in Codice legum *Wiſigothorum lib. 2. Tit. I. Leg. XI.*, aut *lib.* 12. *Tit.* 4. *lege 6.*, ubi recenſentur feſtivitates, quae a *Judaeis* ad fidem converſis obſervandae erant, & inter alias *Inventionis crucis Dominicae* feſtivitas; neque de ea ulla fit mentio in libris Liturgicis *Gallicanis*: nam *feſtivitas ſanctae Mariae*, quae in Lectionario *Luxovienſi* inter Epiphaniam, & Cathedram S. PETRI recurrit, non eſt *Purificationis* feſtum, ſed *Adſumptionis ſanctae Mariae*, ut in Miſſali *Gallo gothico* ſcribitur, quam ſolemnitatem, ut animadvertit MABILLONIUS, *Galli* menſe Januarii celebrabant. Demum in vetuſto Lectionario *Ambroſiano* Em. THOMASII omittitur feſtum Purificationis. Neque obſtant ſermones, qui ſancto HILDEPHONSO Archiepiſcopo *Toletano*, & S. ELIGIO *Noviomenſi de Purificatione* tribuuntur. Hos enim, alioſque ſermones, qui vulgo horum Sanctorum nomina praeferunt, ad eos minime pertinere animadvertunt NICOLAUS ANTONIUS *in Bibl. vet. Hiſp. lib. 5. pag. 291. num. 306., & pag. 301;*

num. 363., & OUDINUS ſuppl. *de Script. Eccl. pag.* 172., qui hoſce S. ELIGII ſermones Scriptori cuidam noni ſaeculi reſtituendos eſſe ait. Vide MAZZOCHIUM *in Kal. Neap. Tom. I. pag.* 31.

PURIFICATORIUM. Ejus neque apud antiquos Scriptores, neque in Ordine *Romano* ulla fit mentio. Monachi olim ad tergendum calicem linteolo utebantur in cornu Epiſtolae cujuſque altaris adpenſo, ubi erat parva piſcina, in quam ſecundam Calicis ablutionem projiciebant. GRAECI ſpongiam ad calicem, & diſcum detergendum adhibent.

PURGATUS, a ſpiritibus immundis liber. Vide MAZZOCHIUM *in Kal. Neap. Tom. II. pag.* 490.

PUTEI. Vide CANTHARUS.

PYXIS proprie, uti notum eſt, dicitur de vaſculis *ex buxo*; nam *pyxis* apud Graecos *buxus* vocatur; ſed & aliis vaſis ab ipſis *Latinis* accommodatur, quia apud QUINCTILIANUM *pyxides* cujuſcumque materiae ſunt. Inter ſacra anathemata Monaſterii *Fontanellenſis* ſub Anno D. 830. enumerabantur PYXIDES EBURNEAE duae. Apud REGINONEM habetur, ut Epiſcopus inquirat, utrum PYXIS *ſemper ſit ſuper altare cum ſacra oblatione ad Viaticum infirmis*. Idem ex Concilio *Turonenſi* ſtatutum refert, *ut omnis presbyter habeat* PYXIDEM, *aut vas tanto Sacramento dignum, ubi corpus Dominicum diligenter recondatur ad Viaticum recedentibus a ſaeculo*. In Admonitione autem Paſtorali LEONI IV. adſcripta habetur, ut PYXIS *cum Corpore Domini poni poſſit ſuper altari*. Saeculi XI. initio HENRICUS *Germaniae* Rex *Virdunenſi* monaſterio, cui tunc praeerat RICCARDUS Abbas, *dedit calicem* 1. *aureum praemaximum cum gemmis pretioſiſſimis, & patenam ejuſdem metalli, & ſcutellam* 1. *de berillo, &* PYXIDEM de ONYCHINO, *in qua* SERVARETUR CORPUS DOMINICUM DEPENDENS SUPER ALTARE. Erat ergo Pyxis Euchariſtiae recondendae deſtinata.

Q

QUADRAGESIMA. A quarto uſque ſaeculo habebatur tamquam traditio Apoſtolica unam jejunare Quadrageſimam, & non tres, ut jubebat MONTANUS, teſte S. HIERONYMO *ep.* 54. *Nos unam Quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum toto anno, tempore nobis congruo, jejunamus*. Concilium *Nicaenum* de Quadrageſima verba facit *can.* 5., uti & S. CYRILLUS *Hieroſolymitanus*. Concilium *Laodicenum can.* 49. eos condemnat, qui jejunium Quadrageſimae frangebant Feria 5. majoris hebdomadae. S. EPIPHANIUS Eccleſiae morem adſerit eſſe jejunandi quadraginta dies ante Paſcha: *Ante ſeptem Paſchatis dies Quadrageſimam obſervare, atque in jejuniis perſeverare, eadem conſuevit Eccleſia*. Ait S. BASILIUS *Orat.* 2. *de jejun.*, ſingulis annis per univerſam terram denunciari conſtitutionem jejunii: *Per univerſum terrarum orbem denunciatur jejunii praeconium*. S. GREGORIUS NYSSENUS, & S. JO. CHRYSOSTOMUS perſuadere ubique conantur Quadrageſimale jejunium. SOCRATES igitur proculdubio hallucinatus eſt *l.* 5. *hiſt. cap.* 22. quum dixit, *Romae* jejunari tres tantum hebdomadas continuas ante Paſcha; liquet enim ex CASSIANO *collat.* 21. & 27.

Digitized by Google

& 27., S. LEONE *Serm.* 3. *&c.*, aliiſque quinčti ſaeculi Auctoribus, & SOCRATI aequalibus, quod hujus Eccleſiae lex, regula, & uſus erat jejunandi quadraginta dies, & quod abuſus jejunandi minus quadraginta diebus non poterat eſſe niſi peculiarium quarumdam perſonarum. Hinc licet non ubique eodem modo jejunaretur, eſſetque alibi differentia circa numerum dierum, tempuſque jejunii, *Romanus* tamen uſus numquam variavit, qui vigebat etiam BEDAE aetate, adfirmantis tamen *de Paſch. ſive aequinoct.* loca fuiſſe in *Italia*, in quibus Quadrageſima viginti tantum diebus, vel tribus circiter hebdomadis concluderetur. Quadraginta dierum numerus continuo *Romae* jejunabatur, quum apud *Graecos*, & *Mediolani*, S. AMBROSIO teſte, Sabbatho non jejunaretur: & quamvis *Romae* dies aliquot carerent Officio, ut Feriae quinctae, jejunio tamen non carebant. S. AUGUSTINUS revera in *ep.* 36. *ad* CASUL. ait, quod aetate ſua non credebatur *Romae* Ferias quinctas jejunandas eſſe; ſed hoc non reſpicit Quadrageſimam quadraginta ſex diebus continuis conſtantem. Hoc igitur contigiſſe ſeptimo circiter ſaeculo dicendum eſt ex falſo pervulgato Decreto MELCHIADIS Papae, quo Feriae quinctae a jejunio excipiebantur: verum octavo ſaeculo GREGORIUS II. hoc jejunium reſtituit, ut refert ANASTASIUS *Bibliothecarius*.

Haud ſcio, veriuſne SOCRATES *l.* 5. *cap.* 21. loquatur de aliarum Regionum jejunantium more, ac loqnutus eſt de *Romae* jejunio, quod trium tantum hebdomadarum ſpatio in Quadrageſima concludebat: ait autem, quod in *Illyrico*, in *Graecia*, & *Alexandriae* jejunabantur ſeptem hebdomadae, & hoc jejunii ſpatium *Quadrageſima* vocabatur; quod alii jejunabant quidem ſeptem hebdomadas ante Paſcha, ſed non continuo, vocabantque nihilominus tempus illud *Quadrageſimam*. SOZOMENUS etiam *lib.* 7. *cap.* 19. diverſum refert Eccleſiarum ritum in jejunando, & quod non conveniebant in ratione jejunandi Quadrageſimam, nec in hebdomadarum numero, quem complecti deberet. Obſervat etiam S. CHRYSOSTOMUS *hom.* 16. *ad Antioch.* quod aetate ſua diſceptabatur, quot hebdomadae jejunandae eſſent, ut Quadrageſima compleretur; alii enim duas hebdomadas, alii tres, alii ſeptem uſque ſe jejunaſſe dicebant: *Conſuetudinem omnes habent per Quadrageſimam interrogare, quot quiſque ſeptimanas Quadrageſimae jejunavit, & dicentes audire licet, hos quidem quod duas, hos vero quod tres, illos vero quod omnes jejunaverunt ſeptimanas.* Apud *Gotho-Hiſpanos* die Natalis Domini ex praeſcripto Concilii *Braccarenſis II. Can.* 9. poſt lectum Evangelium Epiſcopus, aut, ſi Epiſcopus non aderat, Presbyter populo adſtanti clara voce nunciabat quo menſe, & quota die menſis jejunium quadrageſimale incipiebat, ut introitum Quadrageſimae nullus ignoraret. Porro hi, uti & *Galli*, non plures quam quadraginta duos dies in Quadrageſima numerabant, & in his nonniſi dies ſex & triginta eſuriales. S. ISIDORUS *off. lib.* 1. *cap.* 36., Concil. TOLET. *VIII. can.* 9. Quare Quadrageſimam a die Dominica, quae prima Quadrageſimae dicitur, incipiebant, & Jejunium a Feria II. proxime ſubſequente. *Romae* quoque ſub octavi ſaeculi finem quadrageſimae initium a feria II. poſt Dominicam primam putabatur, ut ex LEONIS III. ad CAROLUM Auguſtum epiſtola ann. DCCCVIII. arguit CENNIUS *T.*

II. Cod. Carol. pag. 57.; licet quatuor ante hanc primam Dominicam dierum jejunium ad plenum XL. dierum numerum extra Quadrageſimam multo ante GREGORIUM M. fuiſſe inſtitutum contra MENARDUM evicerit Card. THOMASIUS (*Tom. VII. pag.* 187.). Vide Missa Quadragesimalis.

QUADRAGESIMA S. MARTINI. Poſt Quadrageſimam majorem, de qua hactenus, nulla celebrior quam quae S. MARTINI dicebatur, vel etiam *ante Nativitatem*, aut *Adventus*. Non una fuit Chriſtifidelium in ea obſervanda ſive tempus, a quo inchoabatur, ſive modus, quo ſervabatur, diſciplina. Erant enim qui hujus Quadrageſimae initia 14. Septembris diei adligabant; alii Kalendis Novembribus, alii in octavis omnium Sanctorum; alii poſtridie S. MARTINI, alii Kalendis Decembris, vel Adventus initio, alii demum 14. tantum ante Dominicam Nativitatem diebus jejunium hocce ſuſcipiebant; quod tamen quum multi ſingulis diebus ſibi ſtatuerent, alii tribus ſolummodo per hebdomadam diebus praefiniebant. Immo non omnes eo tempore jejunabant, ſed plures ſola a carnibus abſtinentia contenti erant. Vide Cl. GARAMPIUM in Vita B. CLARAE *pag.* 203. *ſeqq.*

QUARENTANA, Quadrageſima Canonicae Poenitentiae. Vide GARAMPIUM in Vita B. CLARAE *pag.* 202.

QUATUOR TEMPORA. De horum temporum jejunio, ejuſque antiquitate, atque adeo Apoſtolica origine praeter THOMASSINUM, & DE L' ISLE erudite diſſeruerunt MURATORIUS, & SBARALEA, quorum quae ſunt hujus argumenti diſſertationes in tomum I. *Diſciplinae Populi Dei Fleurianae intuli pag.* 140. *&* 153. Ea S. LEO M. *Serm. VIII. decimi menſis* indicat his verbis: *Siquidem jejunium vernum in Quadrageſima, aeſtivum in Pentecoſte, autumnale in menſe ſeptimo, hyemale in hoc, qui eſt decimus, celebramus.* Non omnes tamen Eccleſiae eadem hebdomada hoc jejunium obſervabant. Sed tandem quae hodiedum viget diſciplina obtinuit. Placet hanc in rem adſcribere, quae in Ritibus *Luxovienſis* Monaſterii circa XI. ſaeculum collectis occurrunt, *Vet. diſcipl. Monaſt. pag.* 582. *Jejunia quatuor temporum fiunt quater in anno, ſcilicet feria IV. poſt feſtum* S. LUCIAE, *feria IV. poſt bordas* (ſeu primam Dominicam Quadrageſimae), *feria IV. poſt Pentecoſtem, feria IV. poſt Exaltationem* S. CRUCIS. Vide Sabbathum in xii. Lectionibus.

QUASELLA, quaſi Capſella apud MARTENE *lib. III. cap.* 6. §. 27., ubi de ritibus in die Epiphaniae obſervandis haec habet. *Hora igitur cantata induant omnes Cappas a Cantore ſibi miniſtratas, ſtantibus interim miniſtris ante altare majus cum aqua benedicta, Cruce, candelabris, thuribulo uno, Diacono cum quaſella eburnea. Thurificet Abbas altaria, deinde Textum, & geſtandas Reliquias &c.* Quaſella igitur eburnea nihil aliud erat, niſi theca, ſeu ciſtula, in qua portandae reliquiae recondebantur.

QUINQUAGESIMA. PETRUS BLESENSIS *Serm.* 13. Quinquageſimam adſcribit TELESPHORO Papae, ſicut etiam Quadrageſimam; quae quidem falſa opinio a falſis Decretalibus petita eſt. Quinquageſimae nomen pluſquam quadringentis annis poſt TELESPHORUM invectum eſt, & pluſquam centum poſt S. AMBROSIUM; quod ſufficit, ut convincatur falſitas Sermonis 19. ſub ejus nomine, qui de Quinquageſima inſcribitur. Legitur hoc nomen

Digitized by Google

nomen in primo Concilio *Aurelianenſi* ann. 511. ; a quo Quinquageſima interdicitur. Hinc nulla Quinquageſimae, Sexageſimae, & Septuageſimae mentio in libris *Gallorum* Liturgicis; imo ne apud *Gotho-hiſpanos* quidem. In aliis Eccleſiis, ubi Quinquageſima ſervabatur, vetuſtiſſima fuit apud Clerum abſtinentiae inchoatio in Quinquageſima. Apparet in Vita S. UDALRICI *Auguſtani* Epiſcopi circa decimum ſaeculum, quod Clerici carnes manducare deſinerent a Dominica ante Quadrageſimam: *Mos eſt Clericorum Dominica ante Quadrageſimam carnes manducare, & deinceps uſque ad Paſcha devitare.* Idem BLESENSIS cit. *Serm.* 13. ait, quod aetate ſua Monachi inchoabant jejunium a Septuageſima, Graeci a Sexageſima, & Clerici a Quinquageſima. Concilium *Claromontanum* ann. 1095. ſub URBANO II. ita ſtatuit: *Nemo Clericorum a Quinquageſima carnes comedat.* Synodus *Andegavenſis* ann. 1270. minatur ſuſpenſionem Presbyteris, qui jejunium Quadrageſimale non inciperent feria ſecunda Quinquageſimae. Concilium *Salisburgenſe* ann. 1281. ad id Religioſos omnes adſtringit. Non omittendum, Quinquageſimam quoque a nonnullis vocari quinquaginta dies, qui Paſcha inter, & Pentecoſten intercedunt. *Non igitur*, inquit de his diebus S. AMBROSIUS *Serm.* 61., *jejunamus in Quinquageſima, quia in his diebus nobiſcum Dominus commoratur.*

R

RAMOLIVAE DIES. Vide DIES RAMOLIVAE.

RASTRUM, Inſtrumentum quoddam dentatum, ut plurimum ferreum, ſuper quod candelae in Eccleſia poni ſolent. Ordin. *Tullenſ.* apud MARTENE *lib.* 3. *cap.* 20. *Ad hanc Nonam quinque lampades in Lampadario adcendantur, & ſeptem cerei in Raſtro, & Cereus Paſchalis, qui poſt debet auferri a Sacriſta.*

RATIONALE idem quod Pallium. Equidem ex Miſſa RATOLDI omnium Epiſcoporum fuiſſe videtur Rationale, contra quam pallium fuerit. Hinc RUINARTIUS duplex pallii genus diſtinguit, *Romanum*, & *Gallicanum*, hocque ad alterius diſcrimen *Rationale* dictum conjicit. Verum ea palliorum diſtinctio nulli fundamento nititur. Potius igitur crediderim pallium, quod quibuſdam Epiſcopis indultum fuit, *Rationale* vulgatiore vocabulo appellatum, ne Archiepiſcopi Epiſcopos ſibi hac in re penitus aequari conquererentur. Neque RATOLDI Miſſa omnibus plane Epiſcopis Rationale conceſſum fuiſſe efficit; ſed de ſolis intelligenda eſt Epiſcopis, qui illius geſtandi privilegio inſigniti eſſent, ut poſt Caſulam eis tandem *Rationale cohaerens junctim* ſuperhumerali miniſtraretur.

RECENTARIUM. DESIDERIUS Epiſcopus AUTISSIODORENSIS obtulit RECENTARIUM *deauratum penſ. lib.* II. *& ſem. habet deforis cavaturas. Item alium* RECENTARIUM *penſ. lib. I. & unc. IX. habet in medio liſtellam, & feras.* Per *Recentarium* intelligit CANGIUS vas ad miniſterii ſacri uſum, in quod *recenter*, ſeu *recentatum vinum* infundebatur. At GEORGIUS *Tom. I. pag. CXV.* exiſtimat, *Recentarium thuribuli* genus fuiſſe, quod unum ex illis a DESIDERIO donatis habuerit foris *cavaturas*, ideſt, ut

puto,

puto, *foramina* ad thuris fumum emittendum.

RECEPTACULUM, Vas illud, quod ponitur ad Eccleſiarum ingreſſum, & in quo adſervatur aqua benedicta, ut Fideles ingredientes ea ſeſe adſpergant, & ſignent. *Rediens autem de officinis, ſi quid ſupereſt, ei de ipſa aqua infundat in receptaculum, quod eſt ad introitum Eccleſiae ad hoc deputatum.* Liber *Uſuum Ciſtercien.*

RECEPTORIUM. Vide Sacristia.

RECONCILIATIO POENITENTIUM. Primo cum PETAVIO *Diatriba* in SYNESIUM *ſec. edit.* illa notanda varietas, quibus poenitentium in integrum reſtitutio, ac reintegratio ab antiquis Patribus, & Conciliis exprimitur. Primum, & uſitatiſſimum eſt *Communionis* vocabulum, quod Poenitentiae paſſim ex adverſo reſpondet, ut apud AMBROSIUM *lib. de Poeniten. cap. 1. Sed negant his oportere reddi Communionem, qui praevaricatione lapſi ſunt.* Ubi *communio* manifeſte *reconciliationem*, & *abſolutionem* ſignificar, non autem, ut vulgus exiſtimat, ſolam Dominici Corporis participationem. Nam id ipſum ea voce AMBROSIUS intellexit, quod NOVATIANI poenitentibus denegabant. Id autem peccatorum fuit abſolutio. Tum id expreſſit, quo poenitentia relaxatur, ut eodem loco his verbis indicat: *Quid autem durius, quam ut indicant poenitentiam, quam non relaxent?* Relaxatur autem abſolutione poenitentia, per quam ab reatu, & ſordibus eximuntur. Proinde & *in lib. 2. cap. 9.* quum ita ſcribit: *Nonnulli ideo poſcunt poenitentiam, ut ſtatim ſibi reddi communionem velint:* Communio nihil aliud eſt, quam abſolutio, & in integrum reſtitutio. Sic in *Eliberitano* Concilio paſſim *communionis* vox uſurpatur ex multorum ſententia; quum certis peccatis ne in fine quidem conceditur. Ita BELLARMINUS *lib. 2. de Imag. cap. 2.*, qui Concilium iſtud propterea non adprobat, quod abſolutionem etiam in vitae periculo denegandam cenſeat. Tametſi quidam jus Euchariſtiae ſumendae *communionis* nomine interpretandum cenſeant. BELLARMINO adſtipulatur BARONIUS *ad Ann. Chriſti 305.*, ubi & Concilii Decretum illud excuſat. *Quum multa*, inquit, *accidere potuerint, quae nobis ſunt penitus incomperta, in quibus auſteriora illa lapſis medicamenta oportuerit adhibere.*

Sane Canon 47. iſtius Concilii, quum moechis, qui in fine communione adcepta iterum moechati ſunt, ne in fine quidem vitae communionem deinceps dandam eſſe decernat, videtur aliquid amplius ſignificaſſe, quam uſum Euchariſtiae. Nam iſta ſubjicit: *Placuit ulterius non ludere cum de communione pacis.* At *communio pacis* non ſolam Euchariſtiam, ſed abſolutionem, ac peccatorum relaxationem oſtendit.

Praeterea *communicatio* nominatur, ut ab CYPRIANO epiſt. 12. vel *jus communionis* ab eodem epiſt. 10. Item *pax*, ut apud CYPRIAN. *epiſt. 13. & 23.*, nec non *in tractat. de lapſis:* & *communio pacis* in ELIBERIT. Canone citat.; tum *arrha pacis* apud AUGUSTINUM *libro primo de adulteris conjugibus in fine.*

Ad haec *reconciliationis* voce ſaepius exprimitur, ut in CARTH. 2. *Canon. 3., & in Can. 32. Can. vero 4. reconciliari ſacris altaribus* idipſum vocatur: unde AUGUSTINUS *epiſt. 54. altaris reconciliationem* appellat. INNOCEN-

NOCENTIUS I. *epiſt.* 3. *cap.* 2. *reconciliationem communionis;* ELIGIUS, *medicinam reconciliationis*, *Sermone* 4.

Appellatur & *remiſſio* ab eodem INNOCENT. Epiſtol. 1. cap. 7., & CYPRIANO *lib. de Lapſ.*

Abſolutio quoque *peccatorum* ab ELIGIO *Sermone* II., & *Abſoluti* dicuntur in Carth. 3. *can.* 78. *Veniam* CYPRIANUS vocat *epiſt.* 52., *Viaticum* AGATH. *can.* 15., & FELIX Papa ep. 7.

Deinde obſervandum eſt, duplex *reconciliationis*, vel *abſolutionis*, aut *communionis* fuiſſe genus: quorum alterum merum, ac perfectum fuit; quod quiſque impetrabat, eo jure inter fideles adſcribebatur, quo qui optimo, nulla ut ab arte communionis eſſet exceptus: alterum inchoatum erat, & mancum, in quo vel ſola peccati relaxatio, & abſolutio, ſine oblationis & Euchariſtiae jure; vel ſine peccatorum abſolutione, Euchariſtia, ceteraque ſunt omnia conceſſa. Ex quo duae imperfectae communionis formae proficiſcuntur. Prima eſt, quum a peccatorum reatu, atque noxa nondum liberati poenitentes oblationis, & Euchariſtiae, adeoque ceterorum compotes fiebant. Quod tum uſuveniebat, quum neceſſariis temporibus nullius Epiſcopi, vel Presbyteri poenitentes copiam haberent, ſed Diaconi dumtaxat, qui quum remittendorum delictorum poteſtate careret, quod unum poterat, ex Epiſcopi mandato, tribuebat, ut ad oblationis & Euchariſtiae participandae jus admitteret.

Hujus inſigne teſtimonium exſtat apud CYPRIANUM *Ep.* 13. in qua lapſis & ſacrificatis, qui commendatitios libellos a Martyribus adceperant, ſi in vitae periculum incidant, ac nullus in promptu ſit Presbyter, exomologeſin delicti ſui jubet apud Diaconum facere, ut pacem adcipiant.

Altera non perfectae reconciliationis ſpecies fuit ejuſmodi, in qua peccatorum remiſſionem ab Epiſcopo, vel Presbytero poenitentes obtinebant, ſine jure oblationis, & Euchariſtiae. Quam communionis, reconciliationiſque formam *poenitentiam* interdum nominari puto, vel *poenitentiae benedictionem*, aut *viaticum*. Vide Impositio manuum.

REGIA, porta primaria Templi, monaſterii, triclinii, ut in Onomaſtico ad Vitas Patrum docuit ROSWEIDUS ex Vita MARIAE *Aegyptiacae*, ENNODIO, GREGORIO *Turonenſi*, ANASTASIO *Bibliothecario*. Ita videtur quoque explicandus idem ANASTASIUS *Bibliothecarius* in LEONE III. *In ingreſſu Baſilicae ſupra regias majores fecit imagines ex argento*. Item *fecit in Baſilica Dei Genitricis ad Praeſepe in ingreſſu Praeſepii regias veſtitas ex argento puriſſimo, penſantes ſimul libras centum viginti, & ſeptem; & ſuper ipſas regias velum modicum fundatum, habentem in circuitu liſtam de chryſoclavo. Nec non & alia vela Tyria ſuper regias majores tria in ingreſſu Baſilicae cum periclyſi defundato*. BULENGERUS lib. II. *de Donariis Pontificum cap. LVII.* priore loco apud ANASTASIUM per *regias* intelligit ſtructuras quaſdam ſuperbas prominentes, in quibus imagines & ſtatuae collocari poterant; poſteriore, ornamenta ex auro & argento. Sed quum tot citati Auctores *regias* uſurpent pro portis primariis, auctoritatem quis alterius ſignificationis requirat? Sane vela ſupra regias ſeu portas adpenſa, uti hic meminit ANASTASIUS, videre eſt in monumentis quibuſdam *Romanis*, quae vetuſtas reliqua

reliqua fecit. Cur autem Portae templi *Regiae* appellarentur; docet Cl. Praeſul BORGIA in Notis ad Opuſc. Card. VALERII *de Benedictione Agnorum Dei*.

REGIA VIRGA. MARTENE lib. 3. cap. 4. *Poſt Proceſſionem adſiſtant tres Cantores in choro regias virgas in manibus tenentes*. Et cap. 16. *Archicantor, & duo ſocii ejus adſiſtentes in choro regias virgas in manibus tenentes incipiant officium*. Nomine autem *virgarum Regiarum* intellige baculum quemdam, cujus uſus *Mediolani* etiamnum viget; in Metropolitana enim Baſilica Caeremoniarum Magiſter, & alii, ſicut & Praepoſiti Baſilicarum, & Collegiatarum, baculum ligneum, in ſummitate globum argenteum habentem, deferunt in Proceſſionibus, & aliis functionibus.

REGNUM, corona altari imminens. Plures hujuſmodi coronas ANASTASIUS in Vitis *Romanorum* Pontificum indicat, ut in GREGORIO IV. qui inter alia Titulo S. MARCI contuliſſe fertur *Regnum aureum unum, quod uſque* hodie ſuper altare dependet, cum gemmis. Vide TIARA.

REGIOLA, diminutivum a *Regia*, de qua ſupra, feneſtrella, ſeu parva janna.

REGULARE, *regularis* in libro *Pontificali* virga eſt oblonga, in qua vela, & imagines adpendi ſolent. Vide MABILLON. *Comm. in Ord. Rom. pag. CXXXVIII.*

RELIQUIAE. Hac voce Veteres ſignificabant quidquid ex aliqua re ſupereſt, ac reliquum eſt. Sic apud TULLIUM ſaepe invenies *ciborum reliquias, hoſtium reliquias, vitae reliquias*. Hinc Eccleſiaſtici Scriptores quidquid ex aliquo Sancto ſupereſt, oſſa, cineres, veſtes, arcam, in qua iſta recondita fuerint, *reliquias* paſſim appellarunt; immo etiam nonnulla, in quibus vocis etymon minus ſervatum, ut vela, quae veras illas Sanctorum reliquias tetigerunt, manna, oleaque ex eorum oſſibus defluentia; aut etiam olea ex lampadibus ante illas accenſis deſumpta. De Reliquiis copioſe agit Cl. TROMBELLIUS *de Cultu Sanctorum Tom. II. P. I. diſſ. VII.*, qui & earum cultum egregie vindicat diſſ. VIII.

REPRAESENTATIO CORPORIS. Tumulus ille, qui ponitur in Eccleſiis in Defunctorum anniverſariis, ſeu exequiis, & Caſtrum doloris vocatur. *Item ſciendum, quod quando corpus praeſens, vel repraeſentatio feretri ponitur*. Et infra: *Quod ſi aliquis Religioſus obierit, & ipſius corpus non fuerit praeſens, in praedictis exequiis & Miſſa, vel aliquod feretrum vacuum repraeſentans corpus ipſius, tam in praedictis exequiis, quam Miſſa tunc praedictae ſolemnitates non fiunt*. MARTENE lib. 5. cap. 10.

RESPONSORIUM. Aliud ad Miſſam pertinet, aliud ad officium. Quod ad primum adtinet, Pſalmus reſponſorius, ſive *reſponſorium Pſalmi* poſt Epiſtolam a primis Eccleſiae temporibus originem habet. Integer vero ab initio Pſalmus cantabatur. De hoc more teſtis eſt AUGUSTINUS *Serm. VIII. de verb. Apoſt. Apoſtolum*, inquit, *audivimus; Pſalmum audivimus;* & Serm. X. *de verb. Apoſt. Lectionem Apoſtoli audivimus; deinde cantavimus Pſalmum: poſt haec Evangelica lectio*. Contractum fuit Reſponſorium ſub finem V. Saeculi. At nondum contractum fuiſſe videtur ſub LEONE MAGNO, quod morem hujus Pſalmi ab initio ad finem decantandi ipſe innuat

Digitized by Google

nuat in Sermone *de anniverſaria die ſuae adſumptionis* ad ſummi Pontificis munus, dum ait: *Unde & Davidicum Pſalmum, dilectiſſimi, non ad noſtram elationem, ſed ad Chriſti Domini gloriam conſona voce cantavimus*. Pſalmus enim Davidicus CIX. in ſolemnitate conſecrationis Pontificis decantari ſolebat. Hic autem mos, ut integer Pſalmus diceretur, jamdiu obſoleverat in Eccleſia *Romana* S. GREGORII aevo: nam id adparet ex ejuſdem *Sacramentario*, & *Antiphonario*. Integer Pſalmus Gradualis in hodiernis Miſſalibus adhuc legitur ex priſco ritu *Dominica prima Quadrageſimae*, *Dominica Palmarum*, *& Feria VI. Paraſceves*.

Appellabatur autem *Reſponſorius gradalis*, ſeu *Reſponſorium gradale*, quod *uno canente chorus conſonando* reſpondeat: & *Gradale* dicebatur, quod juxta gradus pulpiti cantaretur, ut alibi diximus. Quod ad officii Reſponſoria, duplicis ea generis ſunt. Primo enim Reſponſoria vocantur preces, quas poſt lectiones dicimus, veluti reſpondentes, aliquid dicendo, quod ad ea, quae lecta ſunt, referatur. *Reſponſorium*, ait RUPERTUS *l. 1. c. 25.*, *appellatum eſt, quia reſpondet lectionibus, triſtia triſtibus, laeta laetis ſuccinente Choro*. Hinc Reſponſorium quodlibet duabus conſtat partibus, priori, quae ipſa *Reſponſorium* dicitur, & poſteriori, quam *Verſum* appellamus. Sanctus BENEDICTUS *Gloria Patri* ad finem poſtremi Reſponſorii cujuſque Nocturni cani juſſit; eaque doxologia ad ejus exemplum in *Romanum* Officium fuit inſerta. Nam teſte AMALARIO ſatis olim erat ad finem Reſponſorium repetere ſine *Gloria Patri*. Mos doxologiam hanc praemittendi Reſponſoriis jejunii diebus, atque initium repetendi ſine ea, intelligitur ex Concilio *Toletano quarto Can. 16. Haec eſt diſcretio, ut in laetis ſequatur* Gloria, *in triſtioribus repetatur principium*, idque Paſſionis tempore ſervatur. Antiquitus ex RADULPHO *Tungrenſi propoſ.* 14. *Sicut erat* cum *Gloria Patri* in Reſponſoriis ſimul cantabatur. Juxta *Romanum* autem ritum, quum *Te Deum* ad Matutinum canitur, id noni Reſponſorii loco eſt: *Romani*, ait MICROLOGUS, *non ſingulis Lectionibus ſingula ſemper ſubjungunt Reſponſoria; nam tertium, ſive nonum multoties praetermittimus*. Et quidem ita hodiedum fieri ſolet in Feſtis, tres, vel novem lectiones habentibus, in quibus *Te Deum* tertii, & noni Reſponſorii locum obtinet. Deinde in officio ſunt brevia reſponſoria Horarum. AMALARIUS Reſponſoria meminit, quae in quibuſdam Eccleſiis poſt Capitulum recitabantur; aitque, ſe ea *Metas* non invexiſſe, quod ignoraret, cur potius ad Veſperas ante *Magnificat*, quam ad Laudes ante *Benedictus* adhiberentur; & quemadmodum nulla erant ad Laudes, nulla quoque Veſperis deſignavit. *Romae* nulla ſunt Reſponſoria, neque ad primas, neque ad ſecundas Veſperas. *Pariſiis*, atque in pluribus *Galliarum* Eccleſiis unicum tantum eſt Reſponſorium ad primas Veſperas Feſtorum duplicium dumtaxat, non vero ad ſecundas. Alicubi vero ſunt Reſponſoria tam ad primas, quam ad ſecundas Veſperas. *Benedictinis* & ad Veſperas, & ad Laudes quotidie habentur Reſponſoria, illis, quae ad minores Horas adhibentur, ſimilia; *breviaque Reſponſoria* appellantur. Ritus autem duplex *Alleluja* ad minorum Horarum Reſponſoria addendi in Regula S. BENEDICTI pro tempore Paſchali occurrit; atque ad hujus temporis imitationem *Romae* quoque fit omnibus Domini Noſtri Feſtis, ait RADULPHUS, prima, &

Digitized by Google

Completorio exceptis; quibus vetus mos ſervatur eas Horas ſine *Alleluja* extra Paſchatis tempus recitandi. Ad reſponſoria vero Horarum minorum repeti ſolet, quod Cantor ſolus cecinit; unde quum Cantores Clerici eſſent inferioris ordinis, Reſponſoriorum cantus iis fuit demandatus. In *Arabicis* Canonibus *Nicaeni* Concilii ſtatutum eſt, ut Reſponſoria, & verſiculi memoriter canerentur; traditque AMALARIUS, verſiculo tenui, atque tremula voce cantato, reſponſum illi fuiſſe altiori, liberiorive voce: *In verſu non eſt auſus levare vocem, in repetitione exaltat vocem.*

RESURRECTIO. Vide PASCHA. Ita etiam vocatur lectio S. Evangelii, ſeu Evangelium agens de Domini Reſurrectione, quae alternis Dominicis variabatur. S. CAESARIUS in Regula ad Monachos *cap.* 21. *Omni Dominica ſex Miſſas* (orationes ſcilicet) *facite. In prima Miſſa ſemper Reſurrectio legatur. Dum Reſurrectio legitur, nullus ſedeat.*

RETIATI. In *Inquiſitione* apud REGINONEM *n.* 11. *Videndum etiam quot alii libri* (Eccleſiaſtici) *ſibi ſint, & an bene ſint retiati*, religati ſcilicet & compacti. Quemadmodum enim, inquit ad hunc REGINONIS locum BALUZIUS, ſumma cura providebant, ut libri illi bene correcti eſſent, & emendatiſſimi, ut patet ex variis locis Capitulorum, & ex inſtitutionibus Epiſcoporum illius aevi, ita profecto debebant providere, ne per incuriam diſſipari poſſent, ſi religati ac compacti probe non fuiſſent. Ea de cauſſa Epiſcopus inquirebat per paroecias, an bene retiati eſſent. Retiatos autem dixerunt, ut opinor, ſimilitudine ducta a retibus factis ex nervis, partem pro toto adcipientes. Nam in dorſo religantur ad nervos.

REVESTIARIUM. In *Ordine Cluniacenſi* BERNARDI *P.* 1. *cap.* 45. *Et poſtmodum* Reveſtiarium *petit, ac Sacerdotalibus veſtimentis .....ſe induit.* Erat ergo Reveſtiarium locus in Sacriſtia, in quo Miniſtri Eccleſiae ſacras Veſtes induebant.

RIPIS, RIPIDION. Vide FLABELLUM.

RITUALE, liber rituum in Sacramentis praeſertim adminiſtrandis, ſacris benedictionibus, aliiſque Eccleſiaſticis functionibus. Multa de Ritualibus diſputavi *Tom. I. Biblioth. Ritual. pag.* 147. *ſeqq. &* 356.

RITUUM SACRA CONGREGATIO. Qui iſtam Congregationem inſtituit SIXTUS V., eam praecipua cura incumbere voluit, (verba Pontificis ſunt in Conſtitutione LXXIV.) *ut veteres ritus ſacri ubivis locorum, in omnibus urbis, orbiſque Eccleſiis, etiam in Cappella Pontificia, in Miſſis, divinis Officiis, Sacramentorum adminiſtratione, caeteriſque ad divinum cultum pertinentibus, a quibuſvis perſonis diligenter obſerventur; caeremoniae, ſi exoleverint, reſtituantur; ſi depravatae fuerint, reformentur; in primis Pontificale, Rituale, Caeremoniale, prout opus fuerit, reformet, & emendet; Officia divina de Sanctis Patronis examinet; diligentem quoque curam adhibeat circa Sanctorum Canonizationem, feſtorumque dierum celebrationem.* Ex primaeva inſtitutione hanc Congregationem quinque Cardinales conſtituunt, plures tamen Pontifex hodie pro ſuo arbitrio ſtatuit. Haec porro Congregatio, ſpectatis iis, quae tractat, duplex eſt; ordinaria altera, altera extraordinaria. Illa in decidendis controverſiis, ritibus, caeremoniis, officiis concedendis, praecedentiis, & praeeminentiis decernendis; iſta in cauſſis, quae ad Servorum Dei,

Digitized by Google

Dei, ut ajunt, *Beatificationem*, Beatorumque *Canonizationem* pertinent, perpendendis verſatur. Utrique Congregationi iidem Cardinales cum Eminentiſſimo Praefecto interſunt. Verum ad primam accedunt praeterea plures Praelati, quorum unus *Secretarii* munere fungitur; nonnulli etiam Religioſi Theologiae Profeſſores; quos inter praecipui ſunt Magiſter Sacri Palatii Apoſtolici, & Sacriſta Papae, qui Praeſulibus adnumeratur: demum unus, aut plures Pontificiarum Caeremoniarum Magiſtri. Ad alteram vero praeter Secretarium, illum ipſum, qui primae adſtat, pertinent alii Praelati, atque hos inter Promotor fidei, qui tamen & in prima ſaepe adhibetur, praeſertim ubi de officiorum conceſſione agitur; tres antiquiores *Rotae Auditores*, veluti Canonum periti, qui *Aſſeſſorum* munus gerunt, & unus ex Protonotariis, quos *Participantes* vocant, tanquam cauſſae Promotor. Item Officiales nonnulli, ut Subpromotor, quem Promotor ſibi deſignat, & peculiaris Congregationis Notarius, qui & Archivi inſpector. Demum alii quoque adhibentur Theologi, qui *Conſultores*, vel *Qualificatores* dicuntur, ut res tanti momenti ſumma, qua fieri poteſt, maturitate examinentur, & pertractentur: immo & peritiſſimi quique in omni facultate Doctores, etiam Medici, & Philoſophi, qui judicent, an quae veluti miracula proferuntur, naturae vires exſuperent. Vide Beatificatio, & Canonizatio.

URBANUS VIII. ann. 1632. 11. Auguſti ſanxit, nullius roboris habenda eſſe hujus Sacrae Congregationis Decreta, niſi obſignata ſint Cardinalis Praefecti ſigillo, ejuſdemque, & Congregationis Secretarii ſubſcriptione firmentur. Hujuſmodi Decreta ſunt, quae MERATUS in ſuis ad GAVANTUM praeſtantiſſimis animadverſionibus edidit, ac poſtmodum uno comprehenſa volumine prodierunt *Florentiae* 1743. & 1744., *Venetiis* 1750. & 1756., demum 1775. *Auguſtae Vindelicorum*, expreſſo Editoris nomine, nempe R. D. SPIRIDIONIS TALU J. U. D. & ſacrorum Rituum Profeſſoris.

ROCCHETTUM, nomen in *Anglia* jam ab ann. 1298. uſurpari coeptum, ſerius in *Italia*. Differt a Superpelliceo, quod ſtrictas, & integras ad manus uſque manicas habeat, quum Superpelliceum amplas illas, & longas quidem, ſed fere ad cubitum protenſas exhibeat.

ROCCUS, veſtis Subdiaconalis ante VIII. ſaeculum *tunica* appellata; deinde *Roccus*, & *Subtile*. ANSEGISUS Abbas *Fontanellenſis* largitus eſt Ann. D. 820. coenobio *Fontanellenſi roccum Subdiaconalem unum*, quo nomine tunica Subdiaconorum venit. In theſauro Eccleſiae S. RICHARII, teſte HARIULFO, Ann. D. 831. adſervabantur *rocci ſerici* XV., *lanei* XI., *ſericus albus* I., *perſi ſerici* II., *roccus pectoralis unus*. RICULFUS item Epiſcopus *Helenenſis* legavit Ann. D. 915. Eccleſiae ſuae *roquos quatuor, unum purpureum cum auro, & alium palleum Graeco, & alios duos in Graecia factos*.

ROGA, ea pecuniarum ſumma, quam Sacellarius diſtribuebat: quae vox ſaepe in *Bibliothecario* legitur, & erogationem, munus, ſeu donativum, vel ſtipendium ſignificat, ab erogando dicta.

ROGATIONES, quae etiam in antiquis liturgicis libris *Litaniae minores*, licet in aliis vocentur quoque *majores*. De inſtitutis a MAMERTO *Viennenſi* Epiſcopo Rogationibus exſtat homilia ALCIMI *Aviti* ejuſdem Eccleſiae Antiſtitis, & conſentiunt antiqui omnes Scriptores. Quare fruſtra

laborant qui, propterea quod Litanias, ſupplicationeſque ante MAMERTUM in Eccleſia exſtitiſſe legunt, ideo illum Rogationum non primum auctorem, ſed reſtauratorem dici volunt. Fruſtra, inquam: neque enim quaeſtio eſt, an primus Litaniarum uſum in Eccleſiam invexerit, quem conſtat multo antiquiorem fuiſſe: ſed an eas inſtituerit, quae ante Adſcenſionem Domini celebrantur, Rogationeſque propria jam voce nuncupantur. In quo, ut dixi, conſentiunt omnes, & SIDONII ep. XIV. lib. V. verba *invenit*, *inſtituit*, *invexit*, dubitari non ſinunt. Rogationum ergo primus auctor MAMERTUS. Nec ſolum inſtituit, ut ſtatae, ac ſolemnes illis diebus ſupplicationes eſſent: ſed ſupplicationum formam uſitatam ſanctiorem, auguſtioremque praeſcripſit. *Romae* tamen Rogationes ante Pontificatum LEONIS *III.*, qui anno 795. ſedere coepit, receptas non fuiſſe, teſtis adeſt ANASTASIUS *Bibliothecarius*: ,, Ipſe vero conſtituit, inquiens, ut *ante tres* ,, *dies* Adſcenſionis *Dominicae Litaniae* celebrentur: ſcilicet *Feria ſecunda*, ,, egrediente Pontifice cum omni Clero, & cuncto populo, cum hymnis, ,, & canticis ſpiritualibus, ab Eccleſia Dei genitricis *ad Praeſepe* pergen- ,, do ad Eccleſiam *Salvatoris*, quae appellatur *Conſtantiniana*; *Feria tertia* ve- ,, ro exeuntes ab Eccleſia ſanctae SABINAE Martyris, & pergentes ad ,, beatum PAULLUM Apoſtolum; *Feria quarta* exeuntes ab Eccleſia *Hieru-* ,, *ſalem*, & pergentes ad Eccleſiam beati LAURENTII Martyris foris mu- ,, ros. ,, Concilium *Aurelianenſe Can.* 29. jubet, ut his tribus diebus omnes abſtineant, & cibis Quadrageſimalibus utantur, quem ritum obſervat adhuc AMBROSIANA Dioeceſis, quae *Rogationes* poſt primam ab Adſcenſione Dominicam celebrat, & Inſula *Melitenſis*. Vide LITANIAE.

ROGUS DEI, Oratio, ſive Collecta ſic dicta, quoniam per illam rogatur Deus. MAGIST. Regul. c. 35. *Extra lectionem verſus, & Rogus Dei*; & alibi pluries.

ROSA. Conſuetudo *jactandi roſas* in Eccleſiis feſto Pentecoſtes (quod in Sabbatho incipiebat) generalis erat olim apud *Latinos*, nec myſterio vacua. De illa (ut mittam plures) *Guillel.* DURANDUS *lib. 6. rational. divin. off. cap.* 117., MACER in *Hierolex.* ad voc. *Pentec.*, MARTENIUS *cap.* 28. *tract. de Eccl. diſcipl. in celebr. divinis officiis num.* 17. Illic potiſſimum denominatio Paſchatis *roſae*, ſeu *roſarum* adpicta feſto Pentecoſtes, quae in ore vulgi durat adhuc. Vide PASCHA ROSATA. Quod etiam idem jactus, parque denominatio competeret praecedenti Dominicae, tradit GRANCOLASIUS in *Breviar. Rom.*, ſed fallitur. Florum jactus *Romae* nunc fit uti & alibi ſuper Sacerdotes auguſtiſſimum Sacramentum deferentes per vias infra octavas Corporis Chriſti. At intra Eccleſias nullibi, praeterquam in *Liberiana* die feſto S. *M. ad nives*; quod tamen inſtituti recentioris eſt, & ob aliud myſterium inductum. In Sanctorum quoque translationibus florum, ac praeſertim Roſarum cum ſerta, tum ſparſiones in Chriſtianorum moribus fuere: quo ſpectat S. TIMOTHEI *Alexandrini Rodiſmus* in pluribus Mſſ. Synaxariis notatus ad d. IX. Maji. V. MAZZOCHIUM *in Kal. Neap. T. I. p. 53. ſeq.* Ceterum ſpargere flores ſuper aliquem genus eſſe obſequii frequentatum etiam a gentibus, colligit *Gaſpar* BARTHIUS *lib.* 34. *adverſarior. c. 9. p.* 1562. *ex lib.* 2. FLORI, 1. HERODIANI, EURIPIDIS *Hecuba* &c.

Digitized by Google

ROSA AUREA: Antiquus ritus fuit; ut quarta Quadrageſimae Dominica ſummus Pontifex manu Roſam auream geſtans ad Baſilicam ſanctae *Crucis in Hieruſalem*, ubi ſtatio fiebat, pergeret, ibique in ſolemni Miſſa, quam ipſe cantabat, poſt Evangelium de ipſa Roſa ſermonem ad populum haberet. Haec ex antiquis Ordinibus *Romanis*, qui addunt, Papam Miſſa finita Roſam in manu portare uſque ad Cameram ſuam, ubi nobiliori, vel cui magis liberet, illam tradebat; vel, ſi in Urbe fuiſſet, uſque ad *Lateranenſe* palatium, ubi deſcendens Praefecto urbis eam dabat. De Roſa FULCONI Comiti *Andegavenſi* donata ab URBANO II. haec ipſe FULCO in *Hiſtoria Andegavenſi num.* 8. *pag.* 396. *T.* 10. *Spicilegii* DACHERIANI: *Media Quadrageſima (Turonis* URBANUS II. *) coronatus eſt, & cum ſolemni proceſſione ab Eccleſia S.* MAURICII *ad Eccleſiam B.* MARTINI *deductus; ubi mihi florem aureum, quem in manu gerebat, donavit, quem ego etiam ob memoriam, & amorem illius in Oſanna ſemper mihi, meiſque ſucceſſoribus deferendum conſtitui.* Tandem Ordines *Romani XIV. & XV.* monent, Papam antequam daret Roſam, dixiſſe *aliqua verba brevia de conditionibus & proprietatibus roſae, quia habet colorem gaudioſum, odorem confortativum, adſpectum laetificum, prout eſt in libro Rationali divinorum officiorum*, DURANDI ſcilicet. Vide de Roſa aurea BENEDICTI XIV. epiſtolam ad Capitulum, & Canonicos *Bononienſes*, quum eis a. 1751. Roſam auream mitteret.

ROSARIUM, ſtatae preces in honorem B. Virginis, nempe quindecim Angelicarum Salutationum decades, oratione Dominica interjecta diſtinctae, & cum pia toridem noſtrae Reparationis myſteriorum meditatione conjunctae. De primo Roſarii auctore cum primis diſſerunt MABILLONIUS *praef. in Saec. X.*, *Vincentius* MONELIA in diſſ. *de origine ſacrarum precum Roſarii Romae* 1725., & *Bollandianus* CUPERUS in Vita S. DOMINICI. Utut eſt, quum a. 1571. prima Octobris Dominica, qua piae Sanctiſſimi Roſarii ſodalitates ex veteri inſtituto publicam peragere ſupplicationem conſueverant, Chriſtiani ad ECHINADAS inſulas de TURCARUM claſſe inſignem victoriam retuliſſent, GREGORIUS XIII. eam Dominicam ſanctiſs. Roſarii Feſtivitati in Templis, in quibus altare eſſet ſub ejus invocatione, celebrandae conſtituit. CLEMENS deinde X. Roſarii officium a. 1673. per totam *Hiſpaniam* celebrari juſſit; quod CLEMENS XI. LEOPOLDO Imp. urgente a. 1716. univerſae tandem Eccleſiae praeſcripſit. Secundae tamen lectiones ex Sermone S. AUGUSTINI ad Roſarii Solemnitatem adcommodato legebantur, quin de Roſarii inſtitutione ulla in iis mentio fieret. Sed BENEDICTUS XIII. novas, quibus nunc utimur, lectiones edi curavit, in illiſque Roſarii inſtitutio, ac feſtivitatis conſtitutae cauſſa diſerte explicatur.

ROTA. Quas alii *Coronas* vocant lychnuchis in orbem diſpoſitis exornatas, has potius *Rotas* appellandas cenſuit S. BERNARDUS in lib. *de vita & morib. Clericor. cap. II.*; quo nomine uſus jam fuerat ADAMNANUS *de loc. ſanct. lib. I. cap. 6.* Sed CONRADUS Epiſc. in deſcriptione theſauri *Moguntini* rotas appellat orbiculos latos, qui candelabris ſupponebantur *propter ſtillicidia candelarum*.

ROTA PORPHIRETICA. V. Circulus Porphireticus.

ROTA

ROTA; ſpectatiſſimum *Romae* tribunal; quod XII. Viris lectiſſimis Praeſulibus conſtat. Vulgo *Rotae Auditores* dicuntur, qui & appellari poſſunt praecipuarum, quae Romam ex univerſo orbe deferuntur, cauſſarum judices. Eques BERNINIUS Italice edidit celeberrimi hujuſce Tribunalis hiſtoriam, in qua & plurima ejus Praeſulibus a Romanis Pontificibus collata privilegia percenſet. Addenda tamen ſunt quae CLEMENS XIV. ſingulari Conſtitutione illis vel confirmavit, vel adjecit.

ROTULA PANIS, Hoſtiae, Oblatae. IVO Monachus *de Miraculis S. OTHMARI Abbatis cap. 3. Rotulas panis* vocat Oblatas, quae in ejus Sepulcro inventae ſunt.

RUBRICA, terra rubri coloris, qua librorum tituli, & legum capita praenotabantur. JUVENALIS Satyra 5. *Perlege rubras Majorum leges*; PRUDENTIUS libro ſecundo contra SYMMACHUM:

.... Dicant cur condita lex ſit
Biſſex in Tabulis, aut cur Rubrica minetur;
Quae prohibet peccare reos?

Omnia fere Legum capita minio ſcripta erant; unde Rubricae dictae. Hinc vero *Rubricarum* nomen ad Rituales cum Miſſae, tum officii leges, vel ſaltem ad earum capita, quae rubro titulo ſcribi ſolent, translatum fuit.

RUGA, nunc viam ſignificat, ut in Ordine *Romano*: *Acolythi qui Rugam conſervant*, ſeu, ut in aliis codicibus legitur, *obſervant*; nunc vero gradus e ligno, ſive metallo, aut alia quavis materia, qui altari ad ornatum ſuperponuntur, & Cruci, Candelabris, ac ſanctorum Reliquiis adponendis inſerviunt; ut quum ANASTASIUS in HADRIANO I. ait: *in ſuperiori vero Ruga, id eſt in medio Presbyterii, faciens aliam regularem* (ideſt Rugam) *ex argento inveſtito, conſtituit ſuper eam reliquas tres Imagines*. Vide CIAMPINIUM in ſuis de *Azymo*, & *Fermentato conjecturis cap.* 14.

S

SABANUM, tenue Linteolum, quo os tergi ſolet. Linteum quoque fuit, quo ex ſacro Fonte baptizati excipiebantur. Sabanum (ſic enim legendum, non *Sabarium*, quemadmodum PANVINIUS, & BARONIUS legere) quo GISELA Regis PIPPINI filia e Baptiſmali fonte exterſa fuerat, a WUFALDO ejuſdem PIPPINI Miſſo ſe adcepiſſe in S. PETRONILLAE inter Miſſarum ſolemnia ſcribit PAULLUS I. *T. I. Cod. Carol. p.* 136.

SABAOTH Hebraice, latine *Deus Exercituum*, habens Angelos, Arcangelos, Principatus, Poteſtates, varioſque caeleſtis militiae Ordines.

SABBATHUM. Conſtat *Orientales* olim in Eccleſia etiam Sabbathis, perinde ac Dominicis, feriari ſolitos, conventuſque ſacros agere: quam ob cauſſam ASTERIUS, *Amaſeae Ponti* Epiſcopus, in Homilia *de repudio* Sabbathum diebus Dominicis jungit, & S. GREGORIUS NYSSENUS in oratione quadam dies illos *fratres* vocat, luxumque adeo, & delicias ſabbatharias reprehendit. Verum *Occidentales* contra Dominico contenti, Sabbathi ferias, ut *Judaeorum* proprias, neglexerunt. Unde & TERTULLIANUS in *Apologeti-*

Digitized by Google

logetico? Secundo loco ab iis ſumus, qui diem Sabbathi ocio, & luxui decernunt: ideſt Dominico feriamur, ut illi Sabbatho. Interdum tamen Sabbathi nomen ad omnes feſtos dies deſignandos transfertur. Quo ſpectat illud SIDONII de THEODORICO GOTHORUM Rege *lib. 1. ep. 2. Si in convivium venitur, quod quidem diebus profeſtis ſimile privato eſt, non ibi impolitam congeriem liventis argenti menſis cedentibus ſuſpirioſus miniſter imponit. De luxu autem illo* SABBATHARIO *narrationi meae ſuperſedendum eſt, qui nec latentes poteſt latere perſonas.* Licet enim potuerint fortaſſe GOTHI, ut *Graecorum* diſciplinae alumni, Sabbathis quoque *Graecorum* ritu feriari; aptius tamen eſt quod diximus, Sabbathi nomine hoc loco dies feſtos omnes intelligi: Sacrarum nempe litterarum more loquutus SIDONIUS eſt, quae feſta omnia, quoſcumque in dies incidant, ſabbatha vocant. Confer ISIDORUM PELUSIOTEN *lib. III. ep. 110.* Per feſtos porro dies publicis, privatiſque conviviis major luxus: adeo quidem ut cynico dente Antiſthenes Εορτου γάςριμαργιας αφορμὴν vocitaret. V. S. Mariae in Sabbatho Officium.

SABBATHI jejunium *Romae* olim ſolemne fuit, ut vel ex HIERONYMI epiſtola XXVIII. ad LUCINUM Baeticum, atque ex INNOCENTII I. ad DECENTIUM epiſtola conſtat; ejuſque originem vel ipſo S. AUGUSTINO vivente (confer ejus epiſtolam ad CASULANUM *n. 21.*) aliqui a jejunio repetebant, quod cum SIMONE Mago die Dominico certaturus S. PETRUS pridie toti Eccleſiae Romanae indixiſſe perhibebatur. Conſule THOMASINUM *de jejuniis*, & de L' ISLE in Gallica jejunii hiſtoria. *Sabbatho jejunare etiam canonicae traditionis authenticum eſt*, ajebat S. *Petrus* DAMIANI *opuſc. XV. cap. 15.* Immo HADRIANUS I. in epiſt. ad CAROLUM Regem (*T. I. Cod. Carol. p. 391*) *ex Apoſtolica olitana regula* Sabbathi jejunium adcerſit. Paullatim tamen ſola a carnibus abſtinentia eo die fuere vel ipſi Romani Pontifices contenti, ut S. GREGORIUS VII. *Conc. Rom. V. cap. 7.*, immo INNOCENTIUS III. *Bracarenſi* Epiſcopo ſervandos hac in re cujuſque Regionis mores, uti olim LUCINO citatus HYERON., reſcripſit.

SABBATHUM in XII. lectionibus. Quaelibet quatuor temporum Sabbatha in vetuſtiſſimis Lectionariis, & apud veteres ſacrorum rituum Scriptores *Sabbatha in XII. lectionibus* dicuntur, quod olim his Sabbathis XII. lectiones in Eccleſia *Romana*, ſex videlicet *Graece*, & ſex *Latine* legerentur. Lectionaria edita a Cardinali THOMASIO praeferunt ſemper ad praeſtituta Sabbatha titulum *in duodecim lectionibus*, quamvis ſemper ſex lectiones *Latinae* indicentur, praeter quam Sabbatho ſancto Paſchae, quo duodecim *Latinae* lectiones deſignantur. Vulgatus ALCUINUS de Sabbatho in XII. lectionibus haec memorat: *Lectiones duodecim propter duodecim Lectores dicuntur, quia ab antiquis Romanis bis legebantur, hoc eſt Graece, & Latine (ſex enim tantummodo ſunt) niſi fallor, duas ob cauſſas. Una quia aderant & Graeci, quibus ignota erat lingua Latina: aderant & Latini, quibus incognita erat Graeca: altera cauſſa propter unanimitatem utriuſque populi. Qui mos apud CPolim ubique hodie ſervatur.*

SABBATHUM *mediae Quadrageſimae*; ideſt Sabbathum praecedens Dominicam quartam Quadrageſimae, alias Dominica *Laetare*. Conſuetudines S. GERMANI: *Dominica in medio Quadrageſimae, qua canitur Laetare &c.* Et conſuetudines COMPENDIENSES: *Sabbatho medio Quadrageſimae ſonabit claſſicum, parabitur Eccleſia &c.*

SAB-

SABBATHUM SANCTUM. In lib. 3. *de Geſtis Sanctorum Rotonenſium*, c. 1. vocabatur *Dominica Palmarum*. MARTENE *lib.* 3. *cap.* 12. in adnotationibus. Sabbathum ſanctum proprie illud dicimus, quod Orationali *Gothico* inſcribitur *Vigilia Paſchae*, Lectionario *Ambroſiano* THOMASII, & Sacramentario *Bobiano Vigiliae Paſchae*, Miſſalibus *Gallicano*, & *Gallico-Gothico Veſpera Paſchae*. Hoc Sabbatho juxta Ordinem *Romanum* non erat inchoandum Officium, niſi prima ſtella apparuiſſet in coelo: *Poſtea ingrediantur ad Veſperam, ut fuerit prima Stella in coelo viſa, ſonant ſigna*. Tota nocte durabat Officium, nec niſi poſt mediam noctem populus dimittebatur. *In Vigilia Reſurrectionis D. ante mediam noctem non eſt dimittendus populus de Eccleſia juxta Canonum ſanctiones*. Nimirum ante hoc tempus egredi ex Eccleſia vetabant Canones, ut meminit S. HYERONIMUS ep. ad LAETAM: *In die Vigiliarum Paſchae, ante noctis dimidium populos dimittere non licet*. Verum paullatim Officium anticipatum eſt: quod aegre ferens Concilium *Rotomagenſe* an. 1072. decrevit *canon.* 22. *Ut in Sabbatho Paſchae Officium ante Nonam non incipiatur, ad noctem enim Dominicae Reſurrectionis reſpicit*. In veteri Miſſali *Romano Monaſtico Lateranenſi*, quod doctiſſimus ANTONELLIUS edidit *p.* 128. etiam *Sabbathum*, ſeu vigilia Pentecoſtes dicitur *Sabbathum ſanctum*: Nec mirum; nam, ut recte MARTENIUS monet, *vigilia Pentecoſtes tantum cum Vigilia Paſchae adfinitatem habet, ut eoſdem pene in utraque ritus advertere liceat*.

SABBATHUM SCRUTINIORUM. JOANNES Diaconus apud MABILLONIUM deſignans Officia ſeptem Judicum Sacri Palatii, *quartus*, inquit *Sacellarius*, *qui* Sabbatho ſcrutiniorum *dat Eleemoſinam*. Hoc Sabbathum MORETUS *de Presbyt. p.* 224. fuiſſe conjicit Sabbathum ſanctum. Vide SCRUTINIA.

SABBATHUM *in traditione Symboli* in Liturgia *Ambroſiana* appellatur Sabbathum ante Dominicam Palmarum. *Graeci* hoc Sabbathum *Lazari* dicunt. Olim apud *Latinos* vocabatur VAGANS. Vulgatus ALCUINUS in libro *de divinis Officiis cap. XIII.* haec habet: *Sabbathum ante Palmas ita praetitulatur in Sacramentario*: SABBATHO VACAT, DOMNUS PAPA ELEEMOSINAM DAT. Et poſt nonnulla: *Unde Apoſtolicus vir in memoriam devotiſſimae mulieris membris Chriſti hodie facit, quod ipſa fecit Capiti, & ideo a ſtatione publica vacat, non tamen a celebratione Miſſae, quae huic negotio inſiſtit. Et quia de hac Feria officium proprium non habetur, de ejuſdem Feriis repetitur, ideſt de quarta Feria*. AMALARIUS quoque in *Lib. I. cap. IX. Praetitulatur in Sacramentario noſtro, & in Antiphonario*: SABBATHO VACAT. DOMNUS PAPA ELEEMOSYNAM DAT.

SACCELLARIUS ita deſcribitur apud CANGIUM, ut eſſet *unus ex quatuor, qui equitantem Pontificem comitantur, & ſupplicantium preces una cum Nomenclatore diſcutiunt*. Hinc in Ordine Romano 1. legitur: *Si quis autem adire voluerit Pontificem, ſi equitat, ſtatim ut eum viderit, deſcendat de equo, & ex latere viae expectet, uſquedum ab eo poſſit audiri. Et petita ab eo benedictione, diſcutiatur a Nomenclatore, vel Sacellario cauſſa ejus: & ipſi indicant Pontifici, & finiunt*. Huic praeterea non quidem, quod falſo idem CANGIUS exiſtimavit, cura fiſci Eccleſiaſtici commiſſa erat; ea enim ad Arcarium potius pertinuit

Digitized by Google

tinuit; ſed pecuniae diſtributio cum in pauperes; tum in militiam, & Pontificiae familiae ſalararios erogandae: qua de cauſſa ſacculos (unde illi nomen) ad eleemoſinam ſervabat. Pauperes etiam ad prandium invitabat. JOHANNES Diaconus in Vita S. GREGORII: *Alio quoque tempore idem* GREGORIUS *juxta conſuetudinem ſuam praecepit Saccellario, ut duodecim peregrinos ad prandium invitaret*. Saccellarii Romanae Eccleſiae occurrunt in Concilio *Romano* ſancti Zachariae A. D. 745., in Concilio *Compendienſi* A. D. 757. & apud vulgatum ANASTASIUM in CONSTANTINO, & GREGORIO II. Pontificibus. V. ſupra Sabbathum scrutiniorum, BACCHINIUM *in Pontif. Agnelli P. II.* ubi de S. ECCLESIO Epiſcopo; tum vero maxime Cl. GALLETTUM *de Primic. pag.* 124. *ſeqq.*

SACCELLUS, parvus ſaccus. Ea vox apud AUGUSTINUM exſtat in comment. Pſalmorum: *Ne amiſſo* (inquit) *judicio pauperis in mala cauſſa miſericors, cujus ſi parcis ſaccello, percutis cor.*

SACCULARIUS. V. Saccellarius.

SACCULI. In Ordine *Romano* praecipitur, ut Acolythi ſindonem in collo ligatam habeant, & ne abſque ſindone, & ſacculis procedant. Nempe utebantur ſindone, ne nudis manibus ſacra vaſa contingerent; in ſacculis vero oblationes (utique conſecratas) reponebant, quas Sacerdotibus confracturis exhibebant. Quapropter in ſua ordinatione Acolythi ſacculos ab Epiſcopo antiquitus adcipiebant in hujus muneris, & officii ſignum, ut conſtat ex libello VIII. *de ordinationibus ſacris*. Ante Ordinem *Romanum* nullum horum ſacculorum apud Veteres veſtigium occurrit. Prioribus ergo Eccleſiae ſaeculis Acolythi Euchariſtiam non in ſacculis ſaltem ad Eccleſias detuliſſe videntur, ſed vel in vaſis ſeu vitreis, uti CIAMPINIUS, ſeu vimineis, uti ANTONELLIUS exiſtimabat, vel potius in ſindone munda, linteove decenti, quemadmodum SALA conjecit *T. II. in* BON. *p.* 344. Imo hinc ego Sacculos invectos crediderim, quod quum in Linteolis etſi complicatis non ſatis tuto, cauteque Euchariſtia deferretur, illa in modum Sacculi conſui poſtea placuerit. V. etiam Saccellarius, Saccellus.

SACELLUM communiter adcipitur pro Oratorio, aut Capella privata, ſeu domeſtica, aut pro Alrari ex minoribus, in quibus ſtatis diebus Miſſa fieri debet. *Sacellum* quoque ſumitur pro Theca, in qua Sanctorum Reliquiae adſervantur. *Dein oppoſito obtutibus ejus Crucifixi Domini Signo, & ſupra pectus ejus poſito Reliquiarum, ut ipſe juſſerat, Sacello, Congregatio tota incboavit Litaniae ſupplicationes.* Tom. 4. *Spicilegii* ex HARIULPHI Chronico *lib.* 4. *cap.* 35.

SACERDOS plerumque Presbyteros ſignificat. Saepe tamen Epiſcopos; Inſcriptio ADEODATI *Nolani* Epiſcopi apud REMONDINIUM *Nol. Eccleſ. hiſt. T. I. p.* 521. DILECTUS A DO. ET. NOMINIBUS IN SACER- *ſic* DOTIUM... NULLUS. FUIT. PRETIOSIOR. ILLOS. SACERDOS... SEDET. SACERDOTAL' ORDINE. ANN. L. *V. Tomum VI. Hiſt. litt. Ital. p.* 503. Hinc ubi de Presbyteris ſermo eſt, eos ut ab Epiſcopis ſecernerent, veteres *ſecundi Ordinis* Sacerdotes appellabant, ut S. LEO M. *Serm. X. de Quadrag.*, & SIDONIUS *lib. IV. ep. ult.* V. Presbyteri. Immo Sa-

cerdotum nomine THEODOSIUS, & VALENTINIANUS Augg. in lege; quam eo loco indicavimus, etiam Diaconos comprehenderunt. Etenim facta mentione initio legis de Sacerdotibus, ſecundis Sacerdotibus, & Levitis; verſus finem rurſus diſtinguunt Epiſcopum, Presbyterum, & Diaconum: quibus omnibus jus aſyli conferentes, rationem addunt: *Quoniam in Sacerdotibus Eccleſia conſtat*; hoc eſt, in ſacris Miniſtris, Epiſcopo, Presbytero, & Diacono. Sic & OPTATUS *Milevitanus lib.* 1. *contra* PARMEN., Diaconis Sacerdotium tribuit, hoc eſt, ſacrum ordinem, vel ſacrum miniſterium. *Quid commemorem*, inquit, *laicos, qui tunc in Eccleſia nulla fuerant dignitate ſuffulti? quid miniſtros plurimos? quid Diacones in tertio, quid Presbyteros in ſecundo ſacerdotio conſtitutos? Ipſi apices & principes omnium Epiſcopi.*

SACERDOTALE, res ad Sacerdotem pertinens, ut habitus, ſeu indumentum Sacerdotale, Benedictio Sacerdotalis &c., vel etiam liber, in quo continentur ritus, & caeremoniae a Sacerdotibus obſervandae. Vide *Biblioth. noſtram Ritualem T. I. p.* 156.

SACERDOTIUM aliquando accipitur pro ordine Sacerdotali, pro Epiſcopatu, Praebenda, Sacerdotum coetu &c.

SACRA, ſeu SANCTA, Euchariſtia. Mos olim fuit in Eccleſia *Romana*, ut procedenti ad altare Pontifici *Sacra*, inquit Ordo I. *Rom.*, praeferrentur. *Et tunc duo Acolythi tenentes capſas cum* SANCTIS *apertas, & Subdiaconus ſequens cum ipſis tenens manum ſuam in ore capſae oſtendit Sancta Pontifici vel Diacono, qui praeceſſerit.* Qui quidem mos paullo poſt deſiit, ea, ut videtur, ratione, quam PARIS DE CRASSIS apud MABILLON. *Comm. in Ord. Rom. p. CXLIII.* innuit, & ſolum in Paraſceve obſervabatur ſaeculo XIV. teſte JACOBO CAJETANO Ordin. ſui *cap.* 92. Confer GEORGIUM *T. I. pag.* 39. *ſeq.*

SACRAMENTALE, Ritualis liber. Vide *Bibliothecam Ritualem T. I. pag.* 156.

SACRAMENTALIS, teſtis juratus. Dicti propterea Sacramentales *juratores, & conjuratores* paſſim in *Capitularibus* Regum *Francorum*, aliiſque medii aevi monumentis. Sic in diplomate HENRICI II. Imp. pro LEONENSI Agri BRIXIANI Coenobio: *Ad haec concedimus, ut liceat Abbati omnes res ejuſdem monaſterii, de quibus ſcripta per furtum, vel per ignem, aut aliquo infortunio perdita ſunt, per tres ſacramentales ſine ullius contradictione tenere.*

SACRAMENTARIUM, Liber Sacramentorum. Antiquus *liber Sacramentorum Remenſis* Archiepiſcop. apud GANGIUM V. *Sacramentarium* praenotatur: *In nomine Domini incipit* SACRAMENTARIUM *de circulo anni expoſitum a ſancto* GREGORIO *Papa Romano.* Singularis quidem inſcriptio, quum plurimi Codices, & quidem vetuſtiſſimi habeant: *Incipit liber Sacramentorum*; attamen hic vides *Sacramentarii* vocem, loco *libri Sacramentorum*. Quid? quod HADRIANUS I. in Epiſtola ad CAROLUM M., in qua librum Sacramentorum CAROLO mittit, hunc librum *Sacramentarium* appellat: *De* SACRAMENTARIO *vero*, inquit, *a ſancto praedeceſſore noſtro Dei famulo* GREGORIO *Papa diſpoſito, jampridem* PAULLUS *Grammaticus a nobis eum pro vobis petiit, & ſecundum ſanctae noſtrae Eccleſiae traditionem per* JOHANNEM *Monachum, atque Abbatem civitatis Ravennatium veſtrae Regali*

Digitized by Google

gali emiſimus excellentiae. HARDUINUS Presbyter ſcribendi arte admodum peritus pro Eccleſia *Fontanellenſis* Coenobii *plurima volumina conſcripta reliquit*, inter quae SACRAMENTARIA *volumina tria*. Confer GEORGIUM *T. II. pag. CLII. ſeqq.*, Bibliothecam noſtram Ritualem *T. I. pag. 39. ſeqq.*, & diſſertationem, quam MALDONATI Tractatui appendicis loco ſubjecimus de S. GREGORIO M. Sacramentarii auctore.

SACRAMENTORUM LIBER, antiquior, quam *Sacramentarii*, inſcriptio ad deſignandam earum precum collectionem, quae a Celebrante in conficiendo ſacroſancto Chriſti Corpore, & Sanguine recitantur. Nam continet *Orationes*, ſeu *collectas* ante Epiſtolam, *Orationem ſecretam* poſt Offertorium, *Praefationes* ſtatis diebus, *Canonem*, *& infra Canonem* precationem: *Hanc igitur oblationem*; *Communicantes* ſecundum ſtata tempora; & *Orationem poſt communionem*, quae olim a ſolo Celebrante dicebantur. Abſunt autem, quae a choro, ideſt a Cantoribus, a Subdiaconis, & a Diaconis cantabantur, aut legebantur, nimirum *Antiphonae ad introitum*, *Epiſtolae*, *Evangelia*, *Pſalmi ad Offertorium*, & ad *Communionem*, quae ſeorſim in aliis libris exarata erant. Inſuper in libris Sacramentorum referuntur ritus, & ratio conferendi ſacros Ordines, miniſtrandi ſolemniter baptiſma Sabbatho ſancto Paſchae, & Pentecoſtes, conficiendi ſacrum chriſma, & oleum ſanctum, reconciliandi poenitentes, & Miſſae ad nuptias benedicendas, ut videas in his libris haberi, quae ad Sacramenta Eccleſiae omnia conficienda, ſeu adminiſtranda pertinent. AGOBARDUS in lib. *de imagin. c. 30. Haec eſt*, inquit, *ſincera religio*, *hic mos catholicus*, *haec antiqua Patrum traditio*; *ſicut etiam* EX LIBRO SACRAMENTORUM, QUEM ROMANA TENET ECCLESIA, *facile comprobatur*. In libro vero *adverſus* AMALARIUM Sacramentorum librum his verbis effert: *Quapropter*, inquit, *auxiliante Dei gratia*, *omni ſtudio pietatis inſtandum*, *atque obſervandum eſt*, *ut ſicut ad celebranda Miſſarum ſolemnia habet Eccleſia* LIBRUM MYSTERIORUM *fide puriſſima*, *& concinna brevitate digeſtum* &c.

SACRAMENTUM. Sacramenti nomine *Romani* veteres intelligebant pecuniam, vel quidvis aliud a litigantibus pignoris loco deponi apud Pontifices ſolitum, quo cadens cauſſa mulctabatur ob praeſumptionem litis inique motae; frequentius tamen juramentum, praeſertim militare, quo tyrones certa verborum formula, & numine quopiam invocato ſe ad defendendam pro viribus Rempublicam obſtringebant. Apud ſacros vero & Eccleſiaſticos Scriptores Sacramentum uſurpatur primo pro quavis re arcana, & latente, ut quum ad Epheſ. 1. v. 9. dicitur: *Ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuae*. Et Judith. 2. v. 2. *Vocavit omnes majores natu .... & habuit cum eis myſterium conſilii ſui*. 2. Pro ſymbolo ſeu ſigno externo alicujus rei occultae: quo ſenſu *Apocal.* 1. v. 20. dicitur: *Sacramentum ſeptem ſtellarum*, *quas vidiſti ..... Septem ſtellae*, *Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum*. Et c. 17. v. 7. *Ego dicam tibi Sacramentum mulieris*, *& beſtiae quae portat eam*. 3. Pro re ſacra arcana & ſacrante hominem, ſeu initiante divino cultui: quo ſenſu S. AUGUSTINUS *l. 15. de Civ. Dei c. 26.* ait: *Inde Sacramenta manarunt*, *quibus credentes initiantur*. Atque hic ſenſus maxime proprius Sacramenti, & myſterii eſt: quia myſterium deſcendit a greco verbo μύω, quod Latine idem

Digitized by Google

ſignificat, ac ſacris initiari: Unde & initiati ſacris *myſtae*; & *myſteria* ipſa initia apud Veteres dicebantur. Adpoſite S. AUGUSTINUS l. XIX. *contra* FAUSTUM cap. II. *In nullum*, inquit, *nomen religionis ſive verum, ſive falſum coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum, vel Sacramentorum viſibilium conſortio copulentur*. Per excellentiam quoque *Sacramenta* Dominicae Menſae Sacrificium vetuſtiſſimis Eccleſiae Patribus appellare placuit. Confer MABILLONIUM *de Liturg. Gallic. lib. I. cap. IV. n. 5.* Sequiore tamen aevo pro Juramenro paſſim hoc nomen uſurpatum invenias.

SACRARIUM, interdum ſumitur pro Presbyterio, quod ſolis olim Sacerdotibus, ſacriſque Ordinibus initiatis pervium, Laicis inacceſſum erat. Saepae tamen pro Sacriſta uſurpatur. Vide SACRISTA.

SACRIFICIORUM LIBER. Ita in librorum, qui in Pontificio veſtiario extabant A. MCCXCV., catalogo apud GARAMPIUM *in Garfagn: Sigill.* p. 115., inſcribitur *liber* D. INNOCENTII (III), *in quo eſt expoſitio omnium Ordinum* (ex alterius Codicis ibidem memorati titulo expoſitionem intellige *ſex Ordinum, quos Romanus Pontifex habet ſecum in Miſſa*) *& eorum, quae ſunt in Miſſa*.

SACRIFICIUM multipliciter ſumi poteſt; nempe pro tota Miſſae actione: pro omnibus laudibus, quae Deo dantur, juxta illud *Sacrificium laudis honorificabit me*: pro dolore de peccatis, & dicitur *Sacrificium contriti cordis*: pro toto divino officio, ut ex S. FRUCTUOSO Regul. cap. 5. *Gallicinio jam ſonante recitatis tribus Pſalmis, laude, & benedictione ſua, matutinum celebrent Sacrificium*. In benedictione quoque Cerei legitur: *Suſcipe ſancte Pater incenſi hujus Sacrificium veſpertinum &c.* ideſt ſacrificium laudis, oblationis &c. In Miſſa *Mozarabum*, & in epiſtola S. ISIDORI ad LUDIFRED. idem eſt ſacrificium, quod in Antiphonario *Gregoriano antiphona ad offerendum*, & in Ordinibus *Romanis offertorium*.

SACRISTA pro Theſaurorum cuſtode adcipirur. De eo CAESARIUS in libris *miraculorum*: *Dicto completorio, quum clauſiſſet oratorium (erat enim* SACRISTA) *apparuit ei Salvator linteo praecinctus*. Idem, quem antea *theſaurorum cuſtodem dixerat*, *Sacriſtam* appellat. Hic autem *Sacriſta* Sacerdos erat; nam illum Miſſam celebraſſe narrar. *Quum* SACRISTAE *Miſſam celebraturo ipſe adſtaret*. Concilium *Toloſanum* A. D. 1056. vetat, ne quis laicorum Eccleſiaſticas res auſit detinere, & *Abbatiam monachorum, vel clericorum Archidiaconatum, neque Praepoſituram, vel honorem Presbyteri, vel* SACRISTAE, *ſeu magiſtri ſcholae, neque ullos honores ad jus praedictum pertinentes*. In Juris Canonici libris duo tituli habentur, quorum alter eſt *de officio Sacriſtae*, alter vero huic proximus *de officio Cuſtodis*. *Sacriſtae* munia ibidem ex Concilio *Toletano* incerti temporis apud IVONEM definiuntur, ut ſint ſacrorum vaſorum, veſtimentorum Eccleſiaſticorum, & totius theſauri Eccleſiae, ac luminarium curatores. *Cuſtodis* autem ex Ordine *Romano*, ut ibi praefertur, ſunt, Archidiacono ſubeſſe, tintinnabula pro horis canonicis pulſare, pallia & linteamina altaris, ſeu cuncta utenſilia Eccleſiae cuſtodire. Inferioris ergo gradus in his titulis *Cuſtos* eſſe traditur, quam *Sacriſta*. At ſi non ubique locorum, in pleriſque tamen locis Saeculo XIII. diſtinguebatur inter *Sacriſtam*, ac Theſaurarium, majorque erat dignitas *Theſaurarii*

varii, quam *Sacriſtae*. *Theſaurarius* enim ſacris vaſis praeerat; Sacriſta vero *Theſaurario* ſuberat, & munia *Cuſtodis* implebat, qualia in titulo Decretalium deſcribuntur. Hinc in antiquis ſtatutis Eccleſiae cathedralis S. PAULLI *Londinenſis* THESAURARIUS, *capituli miniſter, totius Eccleſiae theſauri cuſtos eſt, ut ſunt reliquiae, libri, vaſa, veſtimenta, calices, cruces, curtini, pulvini, pallia, & id genus ſimilia. Is Theſaurarius* SACRISTAM *ſub ſe habet coadjutorem, & concuſtodem. Sacriſtae eſt curare, ut omnia quae ad divinum officium, & ad altaria in Eccleſia ſpectant, ſint pura, integra, munda, nitida &c.* Minoris ergo gradus in his Eccleſiis erat *Sacriſta*, quam *Theſaurarius*, adeoque re, & nomine diſtinguebantur. Apud *Cluniacenſes* erat major Sacriſta Eccleſiae, huicque ſuberant minores Sacriſtae, quos *hebdomadarios* vocabant. Vide BERNARDI Ordinem *Cluniacenſem P. I. capp.* 51., & 52.

SACRISTIA, quam dicimus, ſeu locus, in quo indumenta, & vaſa ſacra tum reconduntur, tum ad peragenda divina officia ſumuntur, Diaconici, Scevophylacii, & Paſtophorii nomine olim a *Graecis* deſignabatur; hodie tamen *Graeci* non in Diaconico, ſed in ipſo Bemate ſacris veſtibus induuntur, nec ullum habent Scevophylacion Eccleſiae junctum, quia ſacra vaſa, & veſtimenta propriis in aedibus, aliove tutiore in loco, ALLATIO teſte, in diſſ. de Templis *Graecorum recentior.*, conſervant. *A Latinis* vero pluribus deſignata eſt Sacriſtia nominibus, ut *Veſtiarii, Secretarii, Sacrarii, Receptorii* (quo nomine SIDONIUS utitur *lib.* 5. *ep.* 17.), & *Salutatorii*, quod Epiſcopi praeſertim (nam & de Presbyteris idem innuunt SEVERUS SULPITIUS *l.* 2. *dial. cap.* 1., & GREGOR. *Turon. l.* 2. *hiſt. Franc. c.* 21.) ante Miſſarum celebrationem in ipſo loco ſedere, & Fidelium ſalutationes excipere conſueverat. V. DIACONICUM, PASTOPHORIUM, SACRARIUM, SALUTATORIUM, & SECRETARIUM.

SACRO, *Sacrare*, Benedicere. *De hinc procedant ad ſacrandum ignem*.. *Sacrato igne projiciat Sacerdos aquam benedictam ſuper eum*. LANFRANCUS in Statutis.

SAL, Salis benedictio antiquiſſima eſt, ut patet. *Omni Dominica, quum aqua benedicta fit, unus eorum de Sale ſervit, & quod reſtat, portat ad proceſſionem*. Uſus *Beccenſes*. Sal autem olim dabatur Catechumenis, ut ex AUGUSTINO *l.* 1. *Confeſſ. cap.* 11. *Signabar jam ſigno Crucis, & condiebar ejus ſale*. Concil. *Carthagin. tertium* can. 5. *Placuit ut etiam per ſolemniſſimos Paſchales dies Sacramentum Catechumenis non detur, niſi ſolitum Sal*. Capitularia quoque CAROLI MAGNI *lib.* 7. *c.* 190. praecipiunt, ut in Paſchate Sacramentum Catechumenis non detur, *ſed tantum benedictum Sal a Sacerdotibus pro communione tribuatur*. Vide PITHOEUM in *gloſſ.* ad ea citata Capitular. *Francicorum* verba, & BIGNONIUM in not. ad formul. MARCULPHI *lib. II. cap.* 42.

SALARIOLA, SALARIUM, vaſculum ad ſalem reponendum. DESIDERIUS Epiſc. *Autiſſiod.* dedit *Salariolas* IV. ANACTEAS, *quae penſant l. IV. Item* SALARIOLAM ANACTEAM *penſantem lib. I. Item aliam parvam, cruciculam habentem*.

SALUTARE, honorare, adorare. Eſt etiam, ubi de altari agitur, oſculari. Mox *Pontifex ſalutat altare, & ſuſcipit oblatas. Ordo Roman. Salutare populum*, id eſt dicere *Pax vobis*, vel *Dominus vobiſcum*. Et haec Salutatio Sacer-

Sacerdotalis dicitur. *Salutavi Populum*, inquit S. AUGUSTINUS *de Civit. Dei* lib. XXII. cap. 8., *& rurſus eadem ferventiori voce clamabant. Facto tandem ſilentio, Scripturarum divinarum ſunt lecta Solemnia.* PETRUS DAMIANUS in opuſcolo *Dominus vobiſcum* c. 4. *Sacerdotalis autem Salutatio idcirco fit in Eccleſia, ut ſe Sacerdos pacem habere cum tota plebe fidelium doceat.*

SALUTATIO *Angelica*. V. AVE MARIA, & GLORIA IN EXCELSIS.

SALUTATORIUM, idem quod *Secretarium*, *Sacriſta* &c. V. SACRISTIA. Confer etiam GEORGIUM *lib. I. de lit.* R. P. *pag.* 70., ubi cum BONA, CANGIO, RUINARTIO adverſus BULENGERUM ex D. GREG. M. *lib. II. ep.* 54. ad JOH. *Ravenn.*, & *lib. IV. ep.* 54. *ad* MARINIAN., quod & ſentimus, ſtatuit, Salutatorium a Secretario diſtinctum nequaquam fuiſſe. Salutatorium Sanctimonialium quoque Eccleſiis adhaeſiſſe multis probat FASSONIUS *in Diſſ. de Puellarum Monaſteriis p.* 86. *ſeqq.*, ubi & alia de Salutatorio addit.

SALUTEM, & APOSTOLICAM BENEDICTIONEM, formula initio Pontificiarum litterarum adſcribi ſolita. Non audiendus MARTINUS *Polonus*, qui a CLETO ejus formulae initia repetit. Illa ſaeculo VII. antiquior non eſt, quo in finem vergente JOANNES V. & SERGIUS I. ea uſi ſunt apud MABILLON. *de re diplom. lib. V. p.* 436. *& lib.* 6. *p.* 622. Sed ante LEONEM IX. vel ſaltem GREGORIUM VII. non fuit ſtabili uſu recepta, ut PAPEBROCHIUS in *Conatu ad* Catal. *Rom. Pontif.* ubi de CLETO, & GARNERIUS ad *lib. diurnum pag.* 152. animadverterunt; quod & pluribus confirmat CANTELIUS in *Metropolit.* Urbium *hiſtor. p.* 165., ubi tamen fallitur, dum eam formulam omnium principem adhibuiſſe a. 708. CONSTANTINUM Papam ſcribit.

SALVATOR. De hac voce S. AUGUSTINUS *lib.* 3. *cap.* 10. *de Trinitate* haec habet: *Quod hebraice Jeſus, Graece Soter, noſtra loquutione Salvator eſt; quod verbum latina lingua antea non habebat, ſed habere poterat, ſicut potuit quando voluit.* Aliqui vocem hanc non tam probe latinam putant, quia CICERO *Actione* 4. *in* VERREM ita dixit: *Non ſolum Patronum iſtius inſulae, ſed etiam Sotera inſcriptum vidi; hoc quantum eſt, ita magnum eſt, ut latine uno verbo exprimi non poſſit: is eſt nimirum Soter, qui ſalutem dedit.* HENRICUS STEPHANUS in Dictionario ſuo dicit: *Salvatoris vocem tamquam parum probam eruditiores religioſe fugiunt, quemadmodum & verbum Salvo, quod nec ipſum ſatis latinum judicant.* Sed adceptis ab Eccleſia Catholica vocibus uti non erubeſcamus, inquit BURIUS.

SALVE REGINA. V. ANTIPHONA. Sunt aliqui Ordines Regulares, qui in Miſſae fine hanc antiphonam flexis genibus recitant, immo *Mozarabes* in fine Miſſae, ſi dies fuerit ferialis, aut feſtivus *duarum*, ut vocant, *capparum*, ſeu novem lectionum, addunt *Salve Regina*. *Andreas* SCURIUS in ſuo Officio B. V. *Belgice* reddito, ſeu potius depravato, etiam hanc Antiphonam mire corrupit. Vide PLAZZAM *Vindic. devot. P. II. Praelud. n.* 4.

SANCTA plurali numero, vel etiam SANCTUM ſingulari, Euchariſtia. Ordo *Romanus*: *Et pertranſit Pontifex in caput Scholae, & in gradu ſuperiore, inclinato capite ad altare primo adorat* SANCTA, *& ſtat ſemper inclinatus uſque ad verſum prophetalem.* AMALARII vero *Egloga*: *Epiſcopus veniens*

veniens ante altare; adorat primo SANCTA, *& poſtea pacem dat Presbyteris*. HARDUINUS quidem *de Can. Arauſic. Embolo II. cap.* 1. Euchariſtiam ſingularis numeri, ac feminei generis vocabulo SANCTA denotari non invitus ſatetur; negat autem ſignificari, quoties neutro genere ſive in ſingulari, ſive in plurali numero effertur. Verum praeter Ordinem *Romanum*, & AMALARIUM S. GREGORIUS *Turonenſis*, ut GEORGIUS animadvertit *T. I. p.* 40., HARDUINUM aperte refellit. Nam *lib.* 1. *de Glor. Martyr. cap.* 10. *Judaei*, inquit, *vitriarii filius, quum apud Chriſtianos pueros ad ſtudia litterarum exerceretur, quadam die, dum Miſſarum feſta in Baſilica beatae* MARIAE *celebrarentur, ad participationem glorioſi Corporis, & Sanguinis Dominici cum aliis infantibus infans Judaeus acceſſit*. QUO SANCTO *adſumpto, gaudens ad domum patris revertitur &c.* Idem GREGORIUS in *Hiſtoria Francorum lib. III. cap.* 31. dum refert, filiam THEODORICI Regis *Italiae Arrianam*, veneno in Calicem, quo Sanguis Chriſti continebatur, infuſo, matrem ſuſtuliſſe, ita clamat: *Quid contra haec miſeri haeretici reſpondebunt, ut in* SANCTA *eorum locum habeat inimicus?* En *ſanctum* in ſingulari, ac plurali numero neutrius generis pro Euchariſtia uſurpatum. Confer ſequentem articulum.

SANCTA SANCTIS: eſt haec in omnibus *Graecorum*, & *Orientalium* Liturgiis notiſſima formula. S. CYRILLUS *Hieroſolymitanus cat. myſt.* 5. *Sacerdos dicit* Sancta Sanctis..... *& vos ſubjicitis, unus Sanctus, unus Dominus Jeſus Chriſtus*. Conſtitutiones Apoſtolicae *lib.* 8. *c.* 13. Epiſcopus *Sancta Sanctis*, populus *unus Sanctus, unus Dominus, unus Chriſtus in gloriam Dei Patris benedictus in ſaecula*. Liturgia S. CHRYSOSTOMI: *clamat Sacerdos Sancta Sanctis*, chorus *unus Sanctus, unus Dominus Jeſus Chriſtus in gloriam Dei Patris*. In Liturgia S. JACOBI *Bib. Pat. Gr. Lat. Pariſ. T.* 2. Sacerdos *Sancta Sanctis* clamat, & populus *unus Sanctus, unus Dominus Jeſus Chriſtus in gloriam Dei Patris, cui gloria in ſaecula ſaeculorum. Amen*. In Liturgia Graeca *Alexandrina* S. BASILII *Renaud. T. I. pag.* 82. *Sacerdos elevat Spudicon*, ſive partem majorem hoſtiae conſecratae (quae in aliis rubricis *deſpoticon* dicitur) & *clamat: Sancta Sanctis*, & populus *unus Pater Sanctus, unus Filius Sanctus, unus Spiritus Sanctus*; atque ita in Liturgiis *Copticis*, *Syriacis*, *Æthiopicis*, *Chaldeis*, & *Graecis Alexandrinis*, in quarum nonnullis confeſſioni Trinitatis additur doxologia, in aliis prolixior, brevior in aliis; in omnibus tamen tam *Graecorum*, quam *Orientalium* Liturgiis *Sancta Sanctis* elata voce profertur. Atque ita prolatum fuiſſe apud *Gotho-Hiſpanos*, & *Gallos*, ut a toto populo audiri potuerit, mihi certum eſt, inquit LESLEUS in *Miſſ. Mozarab. p.* 545., quamvis rubrica noſtri Miſſalis praeſcribat, ut ſubmiſſa voce dicatur: nam modo partem efficit orationis, quam ad commixtionem Corporis, & Sanguinis Domini fundunt. Aſt olim ab ea oratione ſejunctum erat, & populus, vel Chorus poſt dictum *Sancta Sanctis*, quaedam canebat, quae Miſſali noſtro omnino exciderunt. Suſpicor tamen poſt *Sancta Sanctis* id cantatum fuiſſe, quod *Galli Trecanum* appellabant, complectebaturque Fidei Catholicae confeſſionem de unius Deitatis trium Perſonarum diſtinctione, optimum contra haereſes *Arrianorum* & *Priſcillianiſtarum* antidotum: *Trecanum vero quod pſallitur*, inquit S. GERMANUS, *ſignum eſt Catho-*

Catholicae fidei de Trinitatis credulitate procedere; ſic enim prima in ſecunda, ſecunda in tertia, & rurſum tertia in ſecunda, & ſecunda notatur in prima, ita Pater in Filio, myſterium Trinitatis complectit, Pater in Filio, Filius in Spiritu Sancto, Spiritus Sanctus in Filio, & Filius rurſus in Patre. Unde patet, hanc Trinitatis confeſſionem haud abſimilem eſſe illi, quam poſt *Sancta Sanctis* populus in *Oriente* proferebat; *unus Pater Sanctus, unus Filius Sanctus, unus Spiritus Sanctus &c.* In pervetuſto codice inſignis Eccleſiae *Andegavenſis*, teſte MARTENIO *de antiq. Eccl. ritib. lib. I. cap. 4. art. 9. n. 2.*, ad hoſtiae in Calicem immiſſionem leguntur haec verba: *Sanctum cum Sanctis, haec Sacroſancta commixtio &c.*, & in altero ejuſdem Eccleſiae Miſſali: *Sancta cum Sanctis, & commixtio Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti proſit edentibus & bibentibus in vitam aeternam, amen.* Quae a vetuſto *Gallicano* ritu profecta eſſe facile eſt dignoſcere. Olim & ante Communionem Diaconus clamabat *Sancta Sanctis.*

SANCTA SANCTORUM, pars interior Presbyterii, & tabernaculo vicinior. Conſuetud. *Corbejen. Interim Domnus Abbas, & Priores, & ſocii Abbatis ſuccincti mundent infra Sancta Sanctorum .... Poſt proceſſionem adſcendant juxta Sancta Sanctorum, quidam bene cantantes adcedant fratres, quos praeviderit Archicantor infra Sancta Sanctorum.*

SANCTIFICARI, conſecrari. S. CYPRIANUS ep. ad EPICTETUM. Vide tamen MABILLON. *Comm. in Ordin. Roman.* p. LXXX.

SANCTUARIUM, ſive Sacrarium, & Presbyterium, tertia pars Eccleſiae erat ſub apſide cancellis vel parietibus concluſa, ad quam ingreſſum tria oſtia pandebant. In ea altare majus eminebat, & aliud minus, quod Graeci *Protheſin* vocant, in quo dona praeſentantur. Erant & Clericorum ac Presbyterorum ſubſellia pro cujuſque gradu & dignitate, & in loco editiori Sedes Epiſcopalis. V. Presbyterium. In Conſuetudinib. S. CORNELII *Compendien.* Sanctuarium erat Sudarium, ſeu linteum ſacrum, quo Chriſti Corpus fuit in Sepulcro involutum: *Omnes ſint in albis, & fiat proceſſio, & deferatur Sanctuarium &c.* V. MARTENE *lib. III. cap. II.* Praeterea Sanctuarium Altaris ex RIVES erat velum, quo velabatur altare ne eſſet conſpicuum. Porro SANCTUARIA vocabantur etiam 1. Sanctorum Reliquiae. S. GREGORIUS M. l. IX. Epiſt. 72. OPPORTUNUS *Abbas Monaſterii S.* LEONTII, *quod in quincto Urbis miliario ſitum eſt, Sanctuaria ejuſdem Martyris, quae de Eccleſia nomini ipſius dicata, ut adſtruit, furto ſublata ſunt, ſibi denuo poſtulat debere concedi.* 2. quaedam vela, quibus Sanctorum reliquiae tangebantur, & veluti donum pretioſum a ſummis Pontificibus mittebantur. GERMANUS, ejuſque Collega in Epiſt. ad HORMISDAM apud BARONIUM in notis ad Martyrol. die XV. Junii: *unde ſi Beatitudini veſtrae videtur, Sanctuaria Beatorum Apoſtolorum* PETRI & PAULLI *ſecundum morem, ei largiri praecipite.* Brandea quoque dicebantur. Vide ſupra ſuo loco.

SANCTULUS, patrinus.

SANCTUS DEUS, SANCTUS FORTIS &c.. Vide Trisagium.

SANDALIA, quae in Ordine *Romano* dicuntur etiam *pedules*, genus calceamenti, quo utuntur Epiſcopi, quum ſolemniter celebrant.. V. Compagi. Longe aliud *Sandalium* apud PURICELLUM *Monum. Baſil. Ambroſ. p.* 988, ſigni-

ſignificat, ubi de S. GALDINO Archiep. legitur: *Mediolanum venit* (*an.* 1157. 5. *Sept.*) *& in Monaſterio Clarevallis moram traxit, ubi a Mediolanenſibus paratum equum Sandalio coopertum adſcendit; & inde ad Eccleſiam* B. AMBROSII; *poſtea ad Eccleſiam majorem pallium ſuper caput auratum habens, quod cum quatuor haſtis a Confanoneriis portabatur*. Hic Sandalium nil aliud ſignificat, niſi pannum, ſeu linteum ſericum vulgo *Zendale*, *Zendado*, quo equus & baldachinum cooperiebantur.

SANDAPILA, Lectica, ſeu feretri genus, quo defunctorum cadavera efferuntur. Hinc *Sandapilarii*, qui ea efferebant. V. COPIATAE.

SARCOPHAGUS, & Sarcophagum a σαρξ, σάρκος caro, & φαγω comedo. PLINIUS lib. 13. cap. 17. *Sarcophagus lapis fiſſili vena ſcinditur, corpora defunctorum condita in eo abſumi conſtat intra quadrageſimum diem*. Sanctus AUGUSTINUS de Civitate Dei lib. 18. *Arcam, in qua mortuus ponitur, omnes jam Sarcophagum vocant*.

SARTAGO. Cruciamentum Sartaginis vetus eſſe reperitur. De eo *Machab. lib.* 2. *c.* 7. *Rex juſſit ſartagines & ollas aeneas ſuccendi*. Et paullo poſt: *Juſſit ignem admoveri, & adhuc ſpirantem torreri in Sartagine*. Haec ibi. JOSEPHUS item *lib. de Machab.* de Sartagine frequenter meminit, ut quum ait: *Stabat flammivomis ignibus ſuccenſa Sartago ad torrendum praeparata paſſuros &c.* Inferius autem ſic: *Ignivomam Sartaginem ſponte conſcendit*. Ac iterum: *Flammivomae addicta ſartagini &c.* Frequens eſt mentio in Actis Martyrum de Sartagine. Vide *Martyrol. Rom.* XVIII. April., & GALLONIUM *lib. de Sanctor. Martyr. cruciatibus cap.* 7.

SCHINON, inter donaria DESIDERII Antiſſidiorenſis recenſetur, forte pro SION, ſeu colatorio. Vide GEORGIUM *T. I. p. CXIII. ſeq.*

SCHOLA S. AMBROSII, cujus frequens mentio in ritibus &c. Mediolanenſis Eccleſiae, Veglones & Vegloniſſae, ſeu ſenes, queis inter reliqua incumbit panem, & vinum offerre in Miſſa ſolemni.

SCHOLA BASILICAE, Collegium Clericorum Baſilicariorum. Ordo *Romanus* BENEDICTI Canonici de Letania Majore: *Quum autem venerit proceſſio*, inquit, *ante Coloſeum, Subdiaconus regionarius incipit ſeptiformem Letaniam. Baſilicarii vero reſpondent illud idem uſque ad ſeptimum*. Hujus ſcholae Caput *Prior Baſilicariorum vocabatur*.

SCHOLA CANTORUM in *Urbe communis erat*, inquit PETRUS URBEVETANUS in Mſſ. Scholiis ad Vitam LEON. IV., & ſtationes, proceſſiones, ac feſta principalia Eccleſiarum Urbis ſequebatur: qua in ſchola pueri non ſolum in cantu, & lectione, ſed etiam in ſacris litteris, ac diſciplinis, moribuſque inſtituebantur, in communi viventes. Ex hac ſchola, quam ab HILARO Papa a. circ. CCCCLXII. inſtitutam auxit, fovitque S. GREGORIUS M., SERGIUS vero II. inſtauravit, plures Romani Pontifices prodierunt, ut SERGIUS I. & II., GREGORIUS II., STEPHANUS III., & PAULLUS I. Ex *privilegio*, quod in lib. *diurno cap.* 7. *tit.* 19. exſtat, GARNERIUS conjecit, *ordinem*, ſeu Scholam cantorum ex orphanotrophiis ſuppletam fuiſſe: ſed fortaſſe rectius dixiſſet, fuiſſe illam *Orphanotrophium*; quo nomine multo ante SERGIUM II., qui A. DCCCXLIV. Pontifex dictus fuit, vocatam fuiſſe auctor eſt in ejuſdem SERGII Vita ANA-

Digitized by Google

STASIUS. Immo ipſum illud, ad quod ea GARNERIUS adnotavit, *Privilegium*, ſcholam Cantorum Orphanotrophii vocabulo deſignat. Eodem nomine ea donatur in veteri charta Monaſterii Sublacenſis a GALLETTO edita in lib. *de Primic. p.* 192.; in ea enim A. DCCCCXIX. occurrit JOHANNES *Ven. Subdiaconus* S. R. E., & Primicerius ſcholae cantorum, quae appellatur *Orphanotrophio*. Nimirum primus hujus Collegii *Primicerius* vocabatur, ejus erat toti Orphanotrophio praeeſſe, ordinemque pſallendi in Choro pro dierum ſolemnitate praefigere. Vide HUGONEM VICTORINUM *de Sacram. lib. II. cap.* 18. Huic Scholae *cum nonnullis praediis duo habitacula* S. GREGORIUS M., uti in ejus Vita ſcribit JOHANNES Diaconus *Lib. II. cap. 6.*, *ſcilicet alterum ſub gradibus Baſilicae Beati PETRI Apoſtoli, alterum vero ſub* Lateranenſis *Patriarchii domibus fabricavit*. Temporibus quoque S. PETRI DAMIANI ſeptem Subdiaconis ex veteri conſuetudine veluti primoribus conſtabat, non excluſis certe inferiorum graduum Clericis, qui in eadem erudiebantur. Vide BARON. ad ann. 1057. n. 19. & 22. Quandonam *Romae* ſublata ſit ſchola cantorum ſub Primicerio communiter viventium, nuſquam reperio, inquit BONA *lib. I. cap.* 25. Tamen a. 1232. adhuc viguiſſe ex conventione conſtat inter Lateranenſem Baſilicam, & Primicerium, ac Scholam Cantorum tunc inita, quam recitat Caeſar Card. RASPONIUS *de Baſil. Lateran. lib. 2. cap.* 4. Porro *Roma* ad alias civitates eadem inſtitutio propagata eſt, praeſertim in *Galliis*, & in *Germania:* abrogata etiam Cantorum communi vita, ſchola tamen remanſit: immo Concilii *Tridentini* decreto *Seſſ. XXIII. de Reform. cap.* 18. Schola Cantorum, ubi, qui in Seminario degunt, cantu erudiantur, confirmata eſt. Vide GEORGIUM *T. II. p. CXV. ſeqq.*, & MORETTUM *de Presbyt. p.* 59. *ſeq.*

SCHOLA CRUCIS. Ejus in Ordinibus *Romanis*, praeſertim vero in Ordine CENCII frequens mentio. *Petrus* MORETTUS in appendice ad lucubrationem *de Presbyterio*, ubi aliam inſerit lucubratiunculam, cui titulus: *Conjecturae de veteri ſchola crucis, collegio Rectorum* Romanae *Fraternitatis, & utriuſque veſtigiis*, exiſtimat, ſcolam crucis antiquitus fuiſſe collegium e variis Palatinis conflatum, in quo aliquot Altaris Miniſtri cenſerentur, cujuſmodi nunc ſunt *Sacriſta*, *Subdiaconi Apoſtolici*, & *Magiſtri caeremoniarum*. Olim forte, inquit Vir clarus, e Subdiaconis eligebantur, qui hujuſmodi munia obirent, & pars ſaltem ſcholae crucis conſtabat ex ipſis Apoſtolicis Subdiaconis, ut ex ſubſcriptionibus in litteris INNOCENTII, GELASII, & HONORII II. liquet. Verum, inquit GEORGIUS *T. II. p. LV.*, ſi conjecturas conjecturis addere fas eſt, forte ſchola Crucis fuit ſodalitium quorumdam Clericorum, qui diebus Stationum cruces Baſilicarum ad Eccleſiam, in quo Statio erat, deferebant. Antiqui enim moris fuit, ut praeter crucem ſtationalem a Subdiacono praelatam, aliae cruces deferrentur. Ordo *Romanus I.* adnotat, Pontificem, Miſſa completa, in presbyterium deſcendiſſe, ubi Epiſcopi primum ab eo benedictionem petebant, deinde Presbyteri, Monachi, Schola cantorum, milites vexilla portantes, bajuli, ceroſtatarii, Acolythi januae cancellorum praeſides; *& poſt eos extra presbyterium cruces portantes;* denique Manſionarii juniores. Extremo fere loco hi cruciferi, ſeu *ſtauroferi* memorantur; quare inter Subdiaconos non

eſſe

Digitized by Google

eſſe adnumerandi videntur. Idem Ordo, ubi de Clero Apoſtolico, ſeu de iis agit, qui Pontificem praeeunt ad Eccleſias ſtationum, diebus feſtis ibidem Pontificem in presbyterio expectantes, inter hos enumerat *ſupplementarium, & bajulos, & reliquos, qui cruces portant.* Quare hi *crucigeri* videntur fuiſſe ii, qui cruces Baſilicarum, & aliquarum Eccleſiarum Urbis praeferebant.

SCHOLA LECTORUM. Eccleſiae *Romanae* exemplo in aliis quoque Eccleſiis ſcholae Lectorum inſtitutae, aut reſtitutae ſunt. LEIDRADUS Archiepiſcopus *Lugdunenſis* in Epiſtola ad CAROLUM Magnum ſcribit: *Praeter haec vero habeo* SCHOLAS LECTORUM, *non ſolum qui officiorum lectionibus exerceantur, ſed etiam in divinorum librorum meditatione ſpiritalis intelligentiae fructum conſequantur.* Primicerius Lectorum Scholae praeerat. Vide GEORGIUM T. II. p. XCIX.

SCHOLA VIRGARIORUM, Collegium Cantorum, de quo jam diximus, a virgis, quas in manibus ferebant, ſic appellatum.

SCHOLASTICUS. A ſcholis *ſcholares, & ſcholaſtici* dicti, qui in eis exercebantur. Haec prima hujus vocis acceptio. Altera pro erudito. HIERONYMUS libro *de Viris illuſtribus* cap. XCVIII. *Serapion Thmueos Epiſcopus, qui ob elegantiam ingenii, cognomen Scholaſtici meruit.* GENNADIUS in catalogo cap. LXXXIV. *Proſper homo Aquitanicae regionis, ſermone ſcholaſticus, & adſertionibus nervoſus. Dionyſius* PETAVIUS illud SYNESII ad epiſt. CV. *Cura, ut haec Scholaſtici ſciant,* utrovis modo explicat, quum ait: *Scholaſticos appellat eruditos, ac politos homines, qui in Muſaeo Alexandrino litteris vacabant: quive alias eleganti erant ingenio, ac bonis artibus exercitato.* Tertium hujus vocabuli uſum ſuggerit inter alios *Heribertus* ROSWEIDUS in *Onomaſtico ad Vitas Patrum;* nempe pro Advocato, qui publice ex officio cauſſas ageret; probaturque in primis ex canone XIII. Concilii *Sardicenſis, ex Cod. Theod. l. 2. de concuſſ. advocat.,* & ex titulo XCVII. Collectionis *Africanae.* Quartam Scholaſtici ſignificationem invexerunt, praeſertim in *Gallias,* ſaecula recentiora: ex quo ſancitum eſt a CAROLO *Magno,* ut ſcholae fierent *per ſingula monaſteria, vel epiſcopia:* hinc enim in Eccleſiis cathedralibus inſtitutae ſunt magiſtrales praebendae, quae in eorum ſubſidium cederent, qui artium ſtudiis, & ſcholis praeficerentur. Hanc praebendam qui obtinet, hodieque *Scholaſticus* ſeu *Scholaſter* appellatur, ſeu *caput ſcholae.*

SCILLA. V. Skilla.

SCRINIARIUS a Scrinio dictus eſt, quod eſt arca, qua ſervantur pretioſiora, & ſecretiora, ut ſcriptiones. XII. porro in Romana Eccleſia erant Scriniarii, qui ſcrinia publica ſcripturarum S. R. E. curabant. Epiſtolas a Cancellario, & Protoſcriniario dictatas ſcribebant, inſtrumenta, donationes, venditiones, & reliqua ejuſmodi conficiebant. Horum munus cum Notariatu ſaepe conjunctum erat. Confer GALLETTUM *de Primicer. pag. 6.* V. Notarius.

SCRINIUM ſanctum Apoſtolicae Sedis, archivum, ſeu locus ubi inſtrumenta, aliaque acta publica adſervantur.

SCRUTINIUM erat actio illa, quae certis Quadrageſimae diebus celebrari

lebrari conſueverat ſuper *Catechumenis*, & *Competentibus* proxime ſacro Baptiſmate tingendis. Tota in precibus poſita erat, exorciſmis, & traditione tum Symboli, ac ejus redditione, tum Orationis Dominicae: quae omnia intra Miſſarum ſolemnia peragebantur. Septem juxta conſuetudinem *Romanae* Eccleſiae celebrata fuiſſe Scrutinia, conſentiunt omnes. Porro hebdomadum & Feriarum, quibus Scrutinia habebantur, diſtributio in Ordine *Romano* haec erat. Agebatur hebdomade tertia primum ſcrutinium *Feria quarta*, & ſecundum *Sabbatho*: hebdomade quarta ſcrutinium tertium Feria deſignanda, illudque *in Aurium* aperitione: hebdomade quincta ſcrutinium quartum, & quinctum: ac demum ſcrutinium ſextum hebdomade ultima ante Paſcha, & *Sabbatho Sancto* ſcrutinium ſeptimum cum Baptiſmatis collatione. Res aliter ſe habet apud DURANDUM *Libro* VI. *Capite* 56. qui duo ſcrutinia adſignat tertiae hebdomadae, alia duo quartae, quinctum & ſextum quinctae, & ſeptimum poſtremae; docetque, ſex priora peracta fuiſſe *Feria quarta*, & Sabbatho, ſeptimum *Feria quarta*. Varietates alias profert *Edmundus* MARTENIUS *de antiquis Eccleſiae Ritibus Libro I. Capite I. Articulo XI. num.* 3. Adi etiam & TROMBELLIUM *Tom. I. de Bapt. diſſ. V. ſect.* 9., *&* P. DE RUBEIS *de ſacr. Forojul. Ritib. capp. X.XI. XII.*, ubi diſcrimina inter Ordinis *Romani*, & *Aquilejenſis* Eccleſiae ſcrutinia erudite perſequitur. Vide MISSA SCRUTINII, & SABBATHUM SCRUTINIORUM.

SCUROLUM. Locus ut plurimum ſubterraneus, & obſcurus, ſub quo vel in quo conſervantur, ſeu cuſtodiuntur Corpora Sanctorum, vel Reliquiae, alias *Confeſſio*. Nomen uſitatum etiam apud Mediolanenſes tam in Teſtamentis, quam aliis Scripturis cum publicis, tum privatis. Vide CONFESSIO. Scurolum etiam, licet improprie, dicitur locus ille, in quo Feria quincta in Coena Domini reponitur SS. Sacramentum.

SCUTELLA, patenae genus in modum cavitatis ſcuti. S. GREGORIUS *lib. XII. ep.* 25. ad PETRUM *Siciliae* Subdiaconum ſcribit, ſe audiviſſe, uxorem cujuſdam REDEMPTI jam morituram, *unam concham argenti nudis verbis venumdari, & libertis ſuis tradi dixiſſe*; SCUTELLAM *quoque* ARGENTEAM *monaſterio cuidam reliquiſſe*. Quare GREGORIUS eidem PETRO Subdiacono mandat, *ut in utriſque voluntatem ejus per omnia impleri curet, ne ex rebus minimis peccata majora capiamus*. S. LEODOBODUS Abbas *Anianenſis* circa Ann. D. 630. teſtamento donavit monaſterio B. PETRI *Horiacenſis* SCUTELLAM AUREAM, *quae habet in medio effigiem capitis hominis*, & SCUTELLAS *duas* MINORES *Maſſilienſes* DEAURATAS, *quae habent in medio* CRUCES *niellatas*. *Cluniacenſes* feria V. in Coena Domini recondebant *patenam inter* SCUTELLAS AUREAS, *& adhuc* SCUTELLAS *inter tabulas argenteas, quae factae ſunt ad textum Evangelii*. Earum porro peculiaris uſus in Eccleſia fuit ad *eulogias* in hujuſmodi vaſis benedicendas, ac populo diſtribuendas. In veteri indiculo Reliquiarum Monaſterii *Anianenſis* recenſetur inter alia *particula verae crucis, quae fuit Imperatoris CPolitani. Item alia, quae eſt incaſtrata in auro & ſemper manet in* SCUTELLA, *quae eſt* ARGENTEA CAROLI M. Videtur igitur ſcutella haec thecam ſignificare inſtar ſcutellae effictam.

SCYPHUS, cujus in Ordinibus *Romanis*, & apud ANASTASIUM ſaepe fit

Digitized by Google

pe ſit mentio. *Scyphi* definiuntur a MABILLONIO; *calices miniſteriales*, qui manu tenebantur ab Acolythis oblationum tempore. Apud ISIDORUM in libris *Originum Scyphus* inter vaſa vinaria, & aquaria Veterum confertur, & eſt vas, in quo *manus lavamus*. Hinc vero VICECOMES arguit, *Scyphum* fuiſſe urcei genus, quo aqua in calicem fundebatur; ſed CANGIUS ſcite ex verbis *Romani* Ordinis I. colligit, *Scyphum* inter ea ſacra vaſa enumeratum fuiſſe, in quae vini oblationes ex majori calice refundebantur. Eſt etiam *Scyphus* colatorium. BALDRICUS *Noviomenſis* in *Chronico Cameracenſi* lib. I. cap. 64. *Scyphumque argenteum, quem diebus feſtis Subdiaconi in manibus ferunt, calices quoque cum aliis ornamentis Eccleſiae fecit*: Qui hic *Scyphus* argenteus a Subdiaconis ferendus, eſt *Sion*, ſeu *colatorium*. V. SION.

SECRETA. AMALARIUS de Eccleſ. offic. lib. III. cap. 20. *Secreta*, inquit, *ideo nominatur, quia ſecreto dicitur. In hac primo nominatur hoſtia, ſive ſacrificium, oblatio: in hac precatur Sacerdos per eamdem hoſtiam purgari uſquequaque. Sacerdotis ſolius eſt ſoli Deo offerre Sacrificium, ac ideo quia Deo cogitationibus loquimur, non eſt neceſſaria vox reboans, ſed verba ad hoc tantum, ut eiſdem admoneatur Sacerdos, quid cogitare debeat*. Et paucis interjectis: *Quod ad ſolum Sacerdotem pertinet, ideſt immolatio panis, & vini, ſecreto agitur*. Vide GEORGIUM *lib. III. cap.* 24. Concilium *Eboracenſe*: *Quia Secretum Miſſae frequenter invenitur aut ſcriptorum falſitate, aut librorum vetuſtate corruptum, ita ut diſtincte legi non poſſit, Archidiaconorum ſollicitudo provideat, ut in ſingulis Eccleſiis ad verum, & probatum exemplar Canon Miſſae cum omni diligentia corrigatur*. Hoc enim vero *Secretum* totum Canonem ſignificat.

SECRETARIUM. *Secretarii* nomen, praeſertim in jure civili Romanorum, uſurpari ſolet ad ſignificandum locum, in quo Judices cauſſas diſcutiunt. At apud rerum ſacrarum Scriptores pro loco ad veſtes Miſſales induendas, & ad Eccleſiae ornamenta adſervanda deſtinato ſumitur. Duo autem in una Eccleſia fere ſemper ſunt ſecretaria aedificata, quorum alterum ſacris Pontificum ornamentis induendis adcommodatum erat; in altero pretioſa Chriſti ſupellex, ſacerque theſaurus, piis uſibus inſumendus, ſervabatur: quae loca primum *Sacrarium*, & *Secretarium*, deinde *Sacriſtariam domum* & *Sacriſtiam* medio aevo nuncupari placuit. Extruebantur autem haec ſecretaria & in inferiore parte navis Eccleſiae ad auſtrum, & in ſuperiori circa abſidam. Egregie ſitum, & nomen utriuſque Secretarii nobis exhibuit S. PAULLINUS in Epiſtola ad SEVERUM miſſa A. D. 403., ubi *Nolanam* Baſilicam deſcribens, de Secretariis ejuſdem Baſilicae haec perhibet: *In ſecretariis vero duobus, quae ſupra dixi circa apſidem eſſe, hi verſus indicant officia ſingulorum*.

A dextra apſidis

Hic locus eſt veneranda penus qua conditur, & qua
Promitur alma ſacri pompa miniſterii.

A ſiniſtra ejuſdem

Si quem ſancta tenet meditanda in lege voluntas,
Hic poterit reſidens ſacris intendere libris.

Utrumque locum paullo ante ſanctus PAULLINUS ex ipſa ſtructura *con-*

chulas

Digitized by Google

chulas appellarat : *Proſpectus vero*, inquit, *baſilicae, non, ut uſitatior mos eſt, Orientem ſpectat, ſed ad Domini mei beati* FELICIS *baſilicam pertinet, memoriam ejus adſpiciens : tamen quum duabus dextra, laevaque conchulis intra ſpatioſum ſui ambitum apſis ſinuata laxetur, una earum immolanti hoſtias jubilationis Antiſtiti patet* (*parat* legit CANGIUS), *altera poſt Sacerdotem capaci ſinu receptat orantes*. In altera porro concha ad ſiniſtram, ſeu ad meridiem altaris repoſiti erant libri Eccleſiaſtici, & in ea ſacrae lectiones fiebant, Miſſarum ſolemniis expletis, ut ex nuper adducto PAULLINI teſtimonio liquet.

Ante S. PAULLINUM de Secretario meminerat Concilium *Laodicenum*, a quo ſancitum fuit, ut Subdiaconis in illud ingredi non liceret. Tanta fuit apud *Orientales* hujus loci reverentia! *Quoniam*, inquit *non oportet Subdiaconos licentiam habere* IN SECRETARIUM, *quod Graeci diaconicon appellant, ingredi, & contingere vaſa Dominica*. Diaconicon fortaſſe a Graecis Secretarium vocatum eſt, quod cura vaſorum ſacrorum Diaconis demandata erat, non ſolum apud Orientales, ſed etiam apud Occidentales Eccleſias, ut conſtat ex his S. ISIDORI verbis: *Cuſtodes Sacrarii Levitae ſunt: ipſis enim juſſum eſt cuſtodire tabernaculum, & omnia vaſa templi*. Graeci praeterea *Secretarium* alio nomine *Scevophylacium* interdum appellarunt, immo etiam, ut in eorum Euchologiis videre eſt, μετατωριον. Concilii *Laodiceni* ſanctionem in *Galliam Narbonenſem* tranſtulit Concilium *Agathenſe* A. D. 506., eadem ferme verba *Laodiceni* canonis uſurpans. Conſtituit enim: *quoniam non oportet inſacratos miniſtros licentiam habere in Secretarium, quod Graeci diaconicon appellant, ingredi, & contingere vaſa Dominica*. Dudum vero, nempe A. D. 452., Concilium *Arelatenſe* II. edixerat, ne liceret Diacono inter Presbyteros ſedere in Secretario. *Orientalium* morem igitur inducere curavit Concilium *Agathenſe*, ne Secretarium Subdiaconi introirent. Antea enim in *Galliarum* quibuſdam Eccleſiis id quidem vetitum non erat, quum LUPUS *Tricaſſinus*, & EUPHRONIUS *Auguſtodunenſis* Epiſcopi in Epiſtola ad TALASSIUM *Andegavenſem* Epiſcopum A. D. 461. data praeſcripſerint, *ut Subdiaconi ad pacem inter ſe in Sacrario accederent*. In Eccleſia vero *Romana* numquam vetitus fuit Subdiaconis, Notariis regionariis, ceteriſque Clericis ingreſſus in Secretarium, quod aperte liquet ex his *Romani* Ordinis verbis: *Nam egredientibus Diaconibus de Secretario, remanent cum Pontifice primicerius, ſecundicerius, primicerius defenſorum, & Notarii regionarii*. Verum *Agathenſis* Concilii canon negligi in *Galliis* ſubinde coepit: nam conqueritur S. CAESARIUS *Arelatenſis*, qui *Agathenſi* Concilio praefuerat, multos ex laicis, atque etiam ex Clericis, dum Miſſarum ſolemnia agerentur, inertes, & otioſos in porticibus baſilicarum, vel in Secretariis conſtitiſſe: *Quanti*, inquit, *in porticibus baſilicarum, vel in Secretariis, detractionibus, vel otioſis ſermonibus occupantur, inter quos non parvus ſolet etiam eſſe numerus Clericorum*. In Secretariis ſaepe habebantur Concilia, ut Concilium CHALCEDONENSE, quod *ante cancellos ſacri altaris*, nempe ut LIBERATUS in *Breviario cap.* 13 interpretatur, *in Secretario* coactum fuit, HIPPONENSE celebratum *in Secretario baſilicae pacis*, & LATERANENSE ſub S. MARTINO I. Hinc aliquando *Secretarium* pro ipſa ſeſſione, & con-

& conventu: unde idem LIBERATUS *Secretaria* ſeſſiones appellat CHALCEDONENSIS Concilii; LATERANENSIS quoque, quod indicabam, Concilii conventus, actioneſque *Secretaria* inſcribuntur; itemque inter epiſtolas S. BONIFACII Archiep. *Moguntini ep.* 135 habemus *venturo ſecretario*, & *praeterito ſecretario*; ex ipſo ſcilicet conventus loco nomine conventui attributo. V. Diaconicum, Sacristia, Salutatorium.

SECRETUM, idem quod Secretarium, ut ROSWEYDUS conjicit ex Vita S. JOHANNIS ELEEMOSYNARII *cap.* 2., ubi legimus: *dicit coram omnibus ad eos, qui erant in honorabili Secreto.*

SECUNDICERIUS. JOHANNES Diaconus in deſcriptione Baſilicae *Lateranenſis*, deſignans officia ſeptem Judicum Sacri Palatii: *Primus*, inquit, *Primicerius: ſecundus, qui dicitur Secundicerius, qui ab ipſis officiis nomen accipiunt, qui in Romana Eccleſia in omnibus proceſſionibus manuatim ducunt Papam, cedentibus Epiſcopis, & ceteris Magnatibus, & in majoribus feſtivitatibus octavam ſuper omnes Epiſcopos legunt lectionem.* Secundicerios a MENA, cujus mentio fit in Actis *CPolitani* Concilii ann. DXXXVI. ad ODDONEM, in veteri ann. MCXCV. charta apud MURATORIUM *Tom. V. Ant. Med. Aevi col.* 848. memoratum Cl. GALLETTUS percenſet in lib. *de Primic. pag.* 90. *ſeqq.*

SEDES EPISCOPALIS. Vide Cathedra.

SELLA, Sedes, qua Pontifex in Secretario utebatur. Ea autem non fixa, ſed ductilis erat, ut conſtat ex his Ordinis *Romani* verbis: *Sellam autem Pontificis cubicularius laicus praecedens deportat, ut parata ſit dum in Sacrarium venerit.* Mox: *ubi* (Pontifex) *intraverit* (in Secretarium) *ſedet in Sella ſua.* Vide Faldistorium.

SEMANTERIA. *Graeci* hoc vocabulo denotant ligneum inſtrumentum, quo ad Eccleſiam Fideles convocantur. Illud deſcribit ALLATIUS in Diſſ. *de recentior. Graecor. templis.* Vocant etiam *chiroſemantra*, quod manibus teneatur, ac pulſetur.

SEMIDUPLEX. Primus Feſtorum Semiduplicium mentionem facit DURANDUS. Ea autem ſubinducta ſunt, quando Feſtis loco duplicis officii, pars officii de tempore fiebat, atque alia de Sancto, vel Nocturnus unus de Feſto cum Laudibus; unde quum Feſta haec dimidium tantum officii haberent, & duplex hoc officium ita diſtributum eſſet, ut unicum conſtitueret, licet duo celebranda ſibi proponeret, ſemiduplex fuit appellatum. Porro Feſta ſemiduplicia olim longe alio loco erant, quam hiſce temporibus: erant enim Feſta ſecundae Claſſis. Duplicia autem officia prae ſemiduplicibus tria ſibi vindicant privilegia: primum, quod Antiphonae duplicentur in Matutino, ad Laudes, & Veſperas: ſecundum, quod in duplicibus ſuffragia communia non admittantur: tertium quod nullae preces in illis dicantur. Semiduplicia autem duplicatas non habent Antiphonas; preces habent ad *Primam*, & ad *Completorium*, exceptis diebus infra octavas; admittunt etiam ſuffragia communia, non tamen in diebus infra octavas. Diſtinguitur vero Feſtum ſemiduplex a ſimplici, ex eo quod novem Lectiones, tres Nocturnos, & primas, ac ſecundas Veſperas ſemper habeat, niſi aliter fieri debeat ratione concurrentiae Feſti altioris, vel aequalis ordinis.

Digitized by Google

dinis. Rurſus ſemiduplex; ſi impediatur ab aliquo Feſto ſuperioris ritus, vel etiam aequalis juxta diſpoſitionem Decretorum, poteſt transferri in aliam diem; ſimplex vero Feſtum eo fit die, quo cadit. Quod ſi ob occurrentiam Feſti alicujus nihil poſſit de eo fieri illo die, neque commemoratio, praetermittitur eo anno, nec ullo modo poteſt transferri.

SENATORIUM in Eccleſia locus, ubi Senatores, & Principes ſedebant; erat autem infra Presbyterii cancellos, in parte auſtrali, cancellis proximior. Ex adverſa parte Matronae. Ordo *Romanus*: *Pontifex ...... deſcendit ad Senatorium, quod eſt locus Principum, ut ſuſcipiat oblationes eorum.* Vide MABILLONIUM *Muſ. Ital. Tom. II. pag.* 87. *num.* 12.

SENIORES ideſt Presbyteri. TERTULLIAN. *Apolog. c.* 39. de Conventibus Chriſtianorum ait: *Praeſident probati quinque Seniores*; & S. GREGORIUS M. *lib. II. epiſt.* 49. ad JOHANNEM *Panormitanum* Epiſc. *Tabellarium una cum conſenſu Seniorum, & Cleri memineris eſſe ordinandum.*

SEPTIMANARII. Vide HEBDOMADARII.

SEPTUAGESIMA nomen eſt, quo vocatur Dominica tertia, quae praecedit Quadrageſimam, hoc eſt primam Dominicam Quadrageſimae; quoniam vero ab Eccleſia iſta Dominica ſemper appellata fuit *Quadrageſima*, ideſt quadraginta dierum ſpatium, ita juxta eamdem dicendi formulam, retrogrado curſu appellata eſt *Quinquageſima* prima iſtarum trium Domenicarum, ſecunda *Sexageſima*, & tertia *Septuageſima*. Hae tres hebdomadae ad poenitentiam ſunt deſtinatae, & juxta diverſum Eccleſiarum ritum ordinantur ad Quadrageſimale jejunium. Qui Sabbatho non jejunabant, ut fit in *Oriente*, anticipabant Quadrageſimam una hebdomada, quae *Sexageſima* nominabatur; qui neque feria quinta, neque Sabbatho jejunabant, anticipabant eam duabus hebdomadis, quas appellabant *Septuageſimam*; qui denique neque feria quinta majoris hebdomadae, neque Sabbatho Sancto jejunabant, duos hoſce dies aliis quatuor adjungebant diebus, ut quadragenarium complerent numerum, talemque hebdomadam appellabant *Quinquageſimam*. Ad imitationem facile *Graecorum* invecta eſt *Romae* Septuageſima, ſaltem in Officio, & tribus hebdomadis anticipata eſt Quadrageſima, ſublatis quibuſque laetitiae ſignis in Officio publico, eo tempore, quod in *Oriente* jejunio Quadrageſimali conſecratum erat, ne ſcilicet *Romani Graecis* laxiores viderentur. Concilium *Aquiſgranenſe* a. 816. *Can.* 30. ſtatuit, *ut Alleluja in Septuageſima dimittatur*. Vide AMALARIUM, & MICROLOGUM. Nulla harum trium Dominicarum eſt in Miſſali *Gothico*; in Regula quoque S. BENEDICTI nulla fit mentio; ibi dicitur *Alleluja* uſque ad Quadrageſimam. Aliquando *Romae* dimittebatur *Alleluja* in ultima Antiphona Veſperarum Sabbathi, quia Officium Dominicae non incipit niſi a Capitulo. Nunc non dimittitur *Alleluja* niſi ad *Benedicamus* Veſperarum, ubi bis repetitur. In aliis Eccleſiis non dimittebatur niſi ad Completorium. In Eccleſia *Antiſiodorenſi* dicitur *Alleluja* in Dominica Septuageſimae, nec omittitur niſi in Feriis. ALEXANDER II. ſtatuit, ut ubique omitteretur *Alleluja* in Septuageſima, & ejus loco diceretur *Laus tibi Domine Rex aeternae gloriae*, hoc eſt ut diceretur *Latine*, quod olim dicebatur *Hebraice*: vixit iſte Pontifex ſub finem undecimi Saeculi ad an. 1073., neque ejus rei rationem prae-

terit:

terit; quia nempe Eccleſia tunc incipit poenitentiae, & luctus myſteria celebrare.

SEPULCRUM. Concilium *Nannetenſe cap. 6.* ita edicit: *Prohibendum etiam, ſecundum Majorum inſtituta, ut in Eccleſia nullatenus ſepeliantur, ſed in atrio, aut in porticu, aut exedra Eccleſiae. Infra Eccleſiam vero, aut prope altare, ubi Corpus Domini & Sanguis conficitur, nullatenus habeant licentiam ſepeliendi.* Tria igitur, inquit BALUZIUS ad REGINON. *lib. I. cap.* 125., ubi adlatus *Nannetenſis* Concilii canon redditur, extra Eccleſiam loca erant, in quibus ſepeliri poterant corpora mortuorum, atrium videlicet, porticus, & exedra. Honorificentior autem Sepulturae locus per illas tempeſtates erat in atrio, ante portam Eccleſiae, id eſt, in nobiliſſima atrii parte. Adnotat enim GRETSERUS in libro ſecundo *de funere Chriſtiano cap. VIII.*, CONSTANTINUM *Magnum* ſepeliri voluiſſe in veſtibulo Eccleſiae CP., eodemque loco deinceps ſepultos eſſe plurimos Imperatores, ac Pontifices. De OTTONE SECUNDO Imperatore teſtatur LEO MARSICANUS in libro ſecundo *Chronici Caſſinenſis* cap. IX., eum ſepultum eſſe in atrio Eccleſiae beati PETRI Apoſtoli. Et libro IV. cap. VIII. agens de ELGAITA ROBERTI Ducis uxore, ait, eam in Eccleſiae paradiſo ante baſilicam PETRI Apoſtoli tumulari voluiſſe. Sic antiquitus ſepulcra Comitum *Toloſanorum* erant in atrio Eccleſiae ſancti SATURNINI, prope portam, ubi hactenus videntur, donec URBANI SECUNDI auctoritate coemeterium eorum conſtitutum eſt in atrio baſilicae deauratae. Sic etiam veſtibulum Eccleſiae *Tutelenſis* erat olim locus deſtinatus ſepeliendis Vicecomitum *Turennenſium* corporibus, quorum erant ampla ac magnifica in Eccleſiam illam merita ac beneficia, eorumque ſepulcra etiamnum manent poſt tot ſaecula. Alicubi tamen porticus erat honorificentiſſimus ſepulturae locus. Legimus enim apud BEDAM in libro ſecundo *hiſt. eccleſ. Anglor. cap. III.*, AUGUSTINUM, & ceteros *Cantuarienſes* Archiepiſcopos in porticu *Cantuarienſis* Eccleſiae ſepultos fuiſſe, donec neceſſarium fuit eos ſepeliri intra Eccleſiam, quia porticus illa plures capere non poterat.

Praeter atrium illud, quod erat ante principalem portam Eccleſiae, in quo viri principes ſepeliebantur, aliud atrium erat, in quo ſepeliebantur omnis conditionis homines. Erat autem atrium illud proprie coemeterium. Vetus charta ARCHAMBALDI Vicecomitis *Combornenſis* pro Monaſterio *Tutelenſi: Hoc autem ipſe* GAUCELINUS de PETRABUFERIA *poſtea devote adimplevit ad oſtium cimiterii ſancti* MARTINI, *quod eſt ante portam Eccleſiae ſancti Martyris* JULIANI. Ceterum quod a *Nannetenſi* Concilio vetitum fuit, ſepeliri quemquam in Eccleſia, ex veterum Chriſtianorum more a CONSTANTINI temporibus profluxerat. Nihil enim Chriſtiani majore cura quaerebant, quam ut prope ipſa Martyrum ſepulcra tumularentur. AMBROSIUS, inquit DUNGALUS Diaconus *contr.* CLAUD. TAURIN., ſuum fratrem SATYRUM, quem nimium dilexerat, juxta ſanctum Martyrem VICTOREM ſepelivit, ... cujus epitaphium hoc ditatus Tetraſticho:

URANIO SATYRO *ſupremum frater honorem*,
Martyris ad laevam, detulit Ambroſius.

Haec meriti merces, ut ſacri ſanguinis humor
Finitimas penetrans adluat exuvias.

Sanctus vero MAXIMUS in Nat. *Ss. Mart. Taurin.*, *ideo*, inquit, *hoc a Majoribus proviſum eſt, ut Sanctorum oſſibus noſtra corpora ſociemus, ut dum illos Tartarus metuit, nos poena non tangat; dum illos Chriſtus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum ſanctis ergo Martyribus iſtis quieſcentes, evadimus Inferi tenebras, eorum propriis meritis, attamen ſocii Sanctitatis: ait enim Dominus* PETRO: Tu es PETRUS &c. *Si ergo Apoſtolo, & Martyri* PETRO *Inferni porta non praevalet; quiſquis ſociatur Martyri, Tartaro non tenetur: Martyres enim Inferni porta non poſſidet &c.*

Diſputat egregie de eodem more D. AUGUSTINUS hac occaſione. Quum quaedam FLORA religioſiſſima femina *materno, & pio affectu* optaret, ut CYNEGII filii ſui corpus in beati FELICIS *Nolani* Confeſſoris Baſilica tumularetur, S. PAULLINUS *Nolanus* Epiſcopus conſuluit per litteras AUGUSTINUM, *utrum proſit alicui poſt mortem, quod corpus ejus apud Sancti alicujus Memoriam ſepeliatur*? Et adjunxit, *videri ſibi non eſſe inanes motus animorum religioſorum, atque fidelium, pro ſuis iſta curantium.*

S. AUGUSTINUS in hunc modum reſpondit: ,, Profecto etiam pro-
,, viſus ſepeliendis corporibus apud Memoriam Sanctorum locus, bonae af-
,, fectionis humanae eſt erga funera ſuorum. Quoniam ſi nonnulla religio
,, eſt, ut ſepeliantur, non poteſt nulla eſſe, quando, ubi ſepeliantur, ad-
,, tenditur. Sed quum talia vivorum ſolatia requiruntur, quibus eorum
,, pius in ſuos animus appareat, non video quae ſint adjumenta mortuo-
,, rum; niſi ad hoc, ut dum recolunt, ubi ſunt poſita eorum, quos dili-
,, gunt, corpora, eiſdem Sanctis illos tamquam Patronis ſuſceptos apud
,, Dominum adjuvandos, orando commendent. ,, Et quibuſdam interjectis: ,,
,, Quum itaque recolit animus, ubi ſepultum ſit cariſſimi corpus, & oc-
,, currit locus nomine Martyris venerabilis, eidem Martyri animam dile-
,, ctam commendat recordantis, & precantis affectus. Qui cum defunctis
,, a fidelibus cariſſimis exhibetur, eum prodeſſe non dubium eſt iis, qui
,, cum in corpore viverent, talia ſibi poſt hanc vitam prodeſſe me-
,, ruerunt. ,,

Addit vero capite ſequenti, illud ipſum Matris deſiderium, ex fide profectum, ſupplicationem quamdam fuiſſe Filio profuturam. *Quum ergo*, inquit, *fidelis Mater fidelis defuncti corpus deſideravit in Baſilicam Martyris poni, ſi quidem credidit, ejus animam meritis Martyris adjuvari; hoc quod ita credidit, ſupplicatio quaedam fuit, & haec profuit, ſi quid profuit.*

Laudatam D. AUGUSTINI ſententiam explanat, & ampliat S. JULIANUS Archiepiſcopus *Toletanus* (qui claruit anno 680.) his verbis:
,, Plerique Fidelium quum fidei praecedentis affectu, aut ſua, aut ſuorum
,, corpora apud Memorias Martyrum praecipiunt tumulari; non puto in-
,, fructuoſum eſſe, quod creditur, aut inane, quod fideliter de divino au-
,, xilio ſperatur, tantum ſi non ſint in hujuſmodi, qui in Eccleſiis ſepe-
,, liuntur, inſolubiles culpae, (hoc eſt lethales culpae in vita non expia-
,, tae per poenitentiam) quae eos non ſinant, etiam oblatis Deo ſacrifi-
,, ciis, adjuvari poſt mortem. Ac proinde ſi fides illa habere meritum

credi-

„ creditur, qua quiſquis ille impletus, pro defuncto ſuo in locis Marty-
„ rum tumulato deprecatur, (ut ajebat AUGUSTINUS) quanto magis
„ illa fides ſpei ſuae fructum conſequetur, quae in vivente adhuc reme-
„ diabilem ſui cadaveris providet locum. „

Confer ROSWEYDUM ad PAULLINI de *obitu* Celſi pueri Panegyricum *pag.* 846. *ſeqq.* Saepe in veterum monumentis, ut in Vita S. PAULLI Eremicolae *cap.* 13., *tumulum ex more compoſuit*. Spectabat id ad Copiatas, Foſſoreſque, de quibus ſuo loco. Exiſtimat autem ROSWEYDUS *Onomaſt. p.* 1043., *tumulos ex more compoſitos* intelligendos eſſe tumulos exaggeratos, ut in oculos incurrerent, & mortales mortalitatis monerent; unde & *monumenta* a monendo dicta. Hinc SIDONIUS, ne quis temere violaret APOLLINARIS ſepulcrum, quod olim exaggeratum, tunc temporis longinquitate ſubſiderat, monet viatorem *lib. III. ep.* 12., *ne tellurem tereret inaggeratam*. Quam utile ſit monumenta inſpicere, vide apud CHRYSOSTOMUM *Hom. de fide, & lege*. SEPULCRUM quoque vulgo vocatur locus ille, in quo Feria quincta in Coena Domini poſt Miſſam reconditur SS. Sacramentum. Hunc ritum antiquiſſimum eſſe colligitur ex Concordia DUNSTANI. *Quia eo die* (Paraſceves) *depoſitionem Corporis Salvatoris noſtri celebramus, uſum quorumdam Religioſorum imitabilem ad fidem indocti vulgi, & neophytorum corroborandam aequiparando ſequi, ſi ita cui viſum fuerit, vel ſibi taliter placuerit, hoc modo decrevimus. Sit autem in una parte altaris quaedam adſimilatio Sepulcri &c.* SEPULCRI nomine praeterea donatur loculus ille, ubi ſactae Reliquiae, dum altare conſecratur, reconduntur. V. Conditorium, Lavellum, Loculus, Navellum, Tumulus.

SEPULTURA. Fideles peculiarem curam circa defunctos ſemper impenderunt. Cadaver lavabant, (*Act. Apoſt. cap.* 9. *v.* 37.) ſed prius oculos claudebant, (EUSEBIUS *Hiſt. Eccl. l.* 7. *c.* 22.) corpus frequenter aromatibus condiebant. Hinc illud TERTULLIANI *Apol. c.* 42. *Sciant Sabaei pluris & carioris ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quam Diis fumigandis*. Lotum cadaver plerumque linteo mundo, interdum pallio, quin & auratis, ac ſplendidis veſtibus involutum (vide ROSWEIDI Onomaſticon V. Funus, aut GRETSERUM *de funere Chriſtiano*) arca nonnumquam claudebant, quam pallio tegebant. (EUSEB. *Vita* CONSTANTINI *lib.* 4. *cap.* 66. 67. GREG. TURON. *de glor. Confeſſ. cap.* 106. PRUDENTIUS *Cathemer. Hym.* 10.) Frequenter ſuis veſtibus indutum in feretro decenter componebant. (GREG. TURON. *de glor. Confeſſ. cap.* 35.) Pauperibus veſtem, qua decenter induerentur, opulentiores fidelium dabant. (HIER. *epitaph. Paullae*). Circa feretrum lumina adcendebantur, (*Act.* S. CYPRIAN., EUSEB. *Vita* CONST. *lib.* 4. *cap.* 66.) & Pſalmi, Hymnique decantabantur. (S. AUGUST. *Confeſſ. l.* 9. c. 12.) GREG. TURON. *Hiſt. Franc. lib.* 7. *cap.* 1. de SALVIO Abbate agens: *Corpus defuncti aqua diluunt, veſtimentis induunt, feretro ſuperponunt, atque pſallentio, & fletu labentem exigunt noctem*. Antequam cadavera ad ſepulcrum deferrent, pro animae requie preces fundebant; (*Sacram. Gelaſian. lib.* 3. *n.* 91.) nonnumquam Miſſam celebrabant; (THEODOR. CANTUAR. *capit. Select. cap.* 90), amici, viri honeſti, & dignitate conſpicui corpus defuncti (S. GREG. NYSSEN. *orat.*

de ſancta MACRINA) gerentes cum Pſalmis & Hymnis ad tumulum deferebant: (VICT. VITEN. *de perſ. Vand. lib.* 1. *cap.* 5., *Concil. Tolet.* 3. *can.* 22., THEOD. CANTUAR. *ibid.*) procul tamen ab omni funebri pompa, qualis apud Ethnicos in uſu erat cum plangentium choro. Idem *Concil. Tolet. III. can.* 22. *Funebre carmen, quod vulgo defunctis cantari ſolet, vel pectoribus ſe, proximos aut familias caedere omnino prohibemus.* Cum lampadibus etiam, & adcenſis cereis comitabantur. (S. GREGOR. NAZIAN. *or.* 2. *in* JULIAN., S. CHRYSOST. *Hom.* 4. *in ep. ad Hebr.*, BAUDONIVIA *in Vita* S. RADEGUNDIS apud MABILLONIUM *Saec.* 1. *Benedict.* Suorum cadavera Chriſtiani numquam rogo tradebant, ſed integra terrae mandabant: rati ſcilicet ea *non mortua, ſed data ſomno*, ab Apoſtolo edocti defunctos non appellare *mortuos*, ſed *dormientes*. Neque in Paganorum, Haereticorum, aut Judaeorum ſepulcris defunctos ſuos ſepeliebant, (S. CYPRIAN. *ep.* 69.: *quibus enim vivis non communicamus, nec mortuis communicare fas eſt*) ſed in Coemeteriis, & monumentis propriis, Sacerdotis prece antea conſecratis, ſepeliebantur. (GREGOR. TURONEN. *de glor. Confeſſ. cap.* 106.) Ad ſepulcrum quum perveniſſent, antequam humo traderetur corpus, iterum pro anima orabant: (*Sacram. Gelaſ. lib.* 3. *n.* 91.) deinde in Sepulcro corpus collocabant, & rurſus orabant. (*Sacram. Gelaſ. ibid.* THEODORUS CANTUAR. *cap.* 90. apud DACHERIUM *Spicil. Tom.* 9.) demum vel tabula marmorea, vel tegula, lapide, vel humo corpus tegebant. (THEOD. CANTUAR. *ibid.*) Habebatur etiam in illuſtrium Virorum funere oratio funebris. Iſtiuſmodi orationum plures exſtant.

SEQUENS, Acolytus. Liber Pontificalis in S. PIO I. haec litteris conſignavit: *Hic fecit ſequentes cleros*, quo nomine Acolythi intelliguntur; nam idem Pontificalis liber in CAJO Pontifice Acolythos, *ſequentes* appellat: *Hic*, inquit, *conſtituit, ut ordines omnes in Eccleſia ſic adſcenderent. Si quis fieri Epiſcopus mereretur; ut eſſet prius Oſtiarius, Lector, Exorciſta*, SEQUENS, *Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, & exinde Epiſcopus ordinaretur.*

SEQUENTIA. Notas, quae poſt alleluja ſine verbis cantantur, & *Neumae* etiam dicuntur, *Jubilum*, ſive *Jubilationem* antiqui appellarunt. Ab aliis *ſequentiae* dictae ſunt, quia ſunt quaedam veluti ſequela, & appendix cantici *alleluja*, quae ſine verbis poſt ipſum ſequitur. Ordo *Romanus: Sequitur Jubilatio, quam Sequentiam vocant.* Hinc factum eſt, ut proſae illae, ſeu rhythmicae modulationes, quas ſequius aevum invexit, ſequentiae dictae ſint, quia loco ſequentiae cani coeperunt. Harum primus auctor paſſim fertur NOTKERUS Abbas S. GALLI nono Saeculo. Incredibilis poſtea earum numerus crevit. *Romani* Miſſalis Correctores quatuor tantum ſervarunt, primam Paſchalem, quae incipit: *Victimae Paſchali* eidem NOTKERO ab HERRERA tributam; alteram diei Pentecoſtes: *Veni Sancte Spiritus*, quam alii HERMANNO CONTRACTO, alii ROBERTO *Galliarum* Regi adjudicant; tertiam S. THOMAE pro feſto Corporis Chriſti: *Lauda Sion*; quartam incerti omnino auctoris, quae tamen nonniſi impropriae Sequentia, ſeu canticum laetitiae appellari poteſt: *Dies illa* pro Miſſis Defunctorum. Addita deinde fuit Sequentia: *Stabat mater doloroſa*, quam nonnulli S. GREGORIO M., plures INNOCENTIO III. ac etiam S. BONAVENTURAE,

Digitized by Google

TURAE, ſed vix ullo fundamento, tribuunt. Potiori fortaſſe ratione eam ſibi vindicat B. JACOBUS Benedetti Tuders, cui apud QUADRIUM *T. II. p.* 102. illam WADINGUS adjudicat. Ut ut eſt, cave audias THIERSIUM, qui hanc ſequentiam ob ea verba: *Juxta crucem lacrymoſa*, acriter inſectatur, *de ſuperſtit. l. VII. c.* 8. Vide quae in hunc hypercriticum adnotavit Cl. AZEVEDIUS *Exercit. Liturg.* 58.

SERMONARIUS, liber Patrum Sermones, & Homilias continens. V. Homiliarium.

SERPENS. DUNSTANI *Concordia* praeſcribens ritus in Coena Domini ſervandos ait: *Hora congrua agatur* Nona, *qua cantata, ob arcanum cujuſdam myſterii indicium, ſi ita placuerit, induant ſe fratres, & pergant ad oſtium Eccleſiae ferentes haſtam cum imagine Serpentis, ibique ignis de ſilice excutiatur. Illo benedicto ab Abbate, Candela quae in ore ſerpentis infixa eſt, ab illo adcendatur &c.*

SERVILIBUS NOTIS COMPUNGI, uti habetur in lect. de S. BIBIANA 2. Decemb. Tales notae Inſcriptiones frontis, & qui portabant, *Stigmatici, Litterati, & Inuſti* dicebantur: ſtigmata enim, quae hodie malefactorum tergo, tunc faciei inurebantur. Vide LIPSIUM *Elect. cap.* 15. & BARONIUM ad Martyrologium 22. Decembris de S. FLAVIANO patre S. BIBIANE Inſcriptione damnato.

SERVITIUM ſumitur aliquando pro officii recitatione. *De ſervitio S. MARIAE, in quo reddendo tenetur quilibet, continua devotione ſtudeat frequentare.* MARTENE lib. 1. c. 13. Servitii quoque nomine principes Aulae Pontificiae Miniſtros octavo ſaeculo denotatos invenimus. Nam HADRIANUS A. DCCCLXXXIV. in epiſtola ad CAROLUM M. de Synodo agens a ſe habita in cauſſa Abbatis POTONIS, clarioreſque, qui interfuerant, viros percenſens, ait: *ſimulque noſtris adſtantibus* Servitiis THEOPHYLACTO *Bibliothecario*, STEPHANO *Sacellario*, CAMPULO *Notario*, THEODORO *Duce, & ceteris pluribus.*

SERVUS CHRISTI. Medio, aut vergente ſaeculo V. Epiſcopi ſe Chriſti ſervos, famuloſque inſcribebant: qui ſane titulus nonnullis ſpuriis S. AMBROSII epiſtolis non alia de cauſſa poſitus fuit, quam quod earum artifex mores ſui ſaeculi ſequebatur. Vide MAZZOCHIUM *ad Kalendar. Neap. T. III. p.* 691.

SERVUS DEI. Hoc nomen nunc minoribus Clericis, ut in epiſt. 372. S. BASILII M., & in epiſt. CAROLI M. apud MABILLON. *T. IV. Annal. p.* 402.; nunc Monachis; nunc Epiſcopis, ut in Capitulari CAROLOMANNI tribuitur.

SERVUS SERVORUM DEI. S. AUGUSTINUS quibuſdam in epiſtolis ſe hoc titulo inſcripſerat; quod & alii nonnulli Epiſcopi fecerunt, ut multis exemplis oſtendit CANTELIUS in *Hiſt. Urbium Metropolit. T. I. p.* 155. Primus vero inter *Romanos* Pontifices eo uſus eſt S. GREGORIUS M., ut ejus Regiſtrum ſatis oſtendit, confirmantque aliquot illius Epiſtolae a BEDA recitatae *lib. I. Hiſt. Gentis Anglorum*, ab eoque in ſucceſſores veluti hereditario ſanctae demiſſionis jure dimanavit, ceteris Epiſcopis, ſeu Metropolitis ab hac appellatione abſtinentibus.

SEXA.

Digitized by Google

SEXAGESIMA. V. SEPTUAGESIMA.

SEXTA. Quum Antiqui dies in quatuor aequales partes diſtribuiſſent, quarum unaquaeque tribus conſtabat horis; ab ultima hora incluſa, oratio, quae fiebat, ſumpſit denominationem. Hinc prima orationis pars, quae tertia diei hora terminabatur, *Tertia* dicebatur; ſecunda pars, quae in ſexta, *Sexta*; tertia, quae in nona, *Nona*. *Tria autem ſunt tempora*, inquit S. HIERONYMUS comment. in DANIELEM, *quibus Deo flectenda ſunt genua; Tertiam horam, Sextam, & Nonam Eccleſiaſtica traditio intelligit.* S. CYPRIANUS vero Serm. *de oratione Dominica: Hora tertia orandum eſt, ut Spiritum Sanctum, qui hora illa deſcenderat, veneremur; Sexta, quod Chriſtus cruci adfixus fuit; Nona vero, quia ad Nonam peccata noſtra ſanguine ſuo abluit, & ut redimere, & vivificare nos poſſet, victoriam ſuam tunc paſſione perfecit.* Teſte CASSIANO *lib.* 2., plures Eccleſiae ad Sextam ſex Pſalmos recitabant: *Ut ſecundum horarum modum, pſalmorum etiam, & orationum putarent numerum coaequandum.* Quod ad Hymnum attinet, S. BENEDICTUS eum ante Pſalmos adſignat; ſancti autem CAESARIUS, & AURELIANUS poſt Pſalmos praeſcribunt. Sexta autem plerumque meridie canebatur; atque ideo in quibuſdam Ordinibus legitur: *Meridie orandum eſt*, ad Sextam deſignandam. Recitabatur vero meridie ante prandium, atque ideo pro verſiculo dicitur: *Dominus regit me..... in loco paſcuae*; quae verba ad cibum in prandio ſumendum referuntur.

SIGILLUM. S. ANSEGISUS Abbas *Fontanellenſis* inter alia ſacra donaria, quae ſaeculo IX. obtulit Coenobio *Fontanellenſi*, dedit etiam SIGILLA AUREA *mirifica cum pretioſis lapidibus numero duo*. MABILLONIUS haec *aurea Sigilla* interpretatur de inſtrumento illo, quod vulgo *Pax* dicitur. In *Graecorum* liturgia Sigillum eſt Crucis effigies pane impreſſa.

SIGILLUM ROMANI PONTIFICIS triplex eſt, nempe 1. annulus Piſcatoris, quo Brevia Apoſtolica in cera rubra; (V. ANNULUS PISCATORIS) 2. *Bulla plumbea*, qua privilegia, & litterae Cancellariae; (V. BULLA PLUMBEA) 3. *Signum*, quo Bullae Conſiſtoriales muniuntur.

SIGNARE, INNOCENTIO III. *de Miſſa lib. II. cap.* 45. *conſignare*, URBANO II. in diplomate pro Cavenſi Monaſterio *cum Cruce ſignare*, idem eſt quod S. Crucis efformato ſigno benedicere, ſeu, ut in diplomate pro *Ravennate* Archiepiſcopo ajebat HONORIUS III., *ſignare, ac ſignando benedicere.*

SIGNUM, Campana. EULOGIUS Martyr in *Apologetico*. *Per idem tempus graviter in nos praeſidialis graſſabatur inſania, itaut excelſa pinnaculorum proſterneret, quae ſignorum geſtamina erant ad conventum canonicum quotidie Chriſticolis innuendum.* Uſus Beccenſes. *Quando viſitandus eſt infirmus, ſonet majus ſignum, & conveniunt fratres in Chorum.* S. BENEDICTUS Reg. c. 43. *Mox ut auditum fuerit ſignum, relictis omnibus &c.* EGINHARDUS *de Translatione Ss. MARCELLINI, & PETRI lib. III. cap.* 15. *Turricula, quae ſigna Baſilicae continebat, ab eis conſpici potuiſſet.* CAPITULARIA *lib. VI. Tit.* 168. *Ut Sacerdotes ſigna tangant horis canonicis.* In Ordine S. DUNSTANI *Dorobernenſis* Archiepiſcopi: *Benedictio ad ſignum Eccleſiae.*

Haec

Haec ſigna olim lignea erant, praeſertim ſigna Monaſteriorum. In libro miraculorum ANASTASII Mart., qui recitatus eſt in VII. Synodo *act*. 4. legas: *Lignaque ſacra pulſantes invicem obviam facti ſunt*. V. BACILE.

SIMPLEX. Officium ſimplex ante DURANDI tempora dicebatur officium trium Lectionum; & ſimplex fuit appellatum, quod ſimplici, ſeu minus ſolemni Ritu celebretur. Nam ex ſe Feſtum ſimplex duplici quodam modo opponebatur, itaut aliud diceretur novem Lectionum, ſeu officium plenum; ſimplex vero officium trium tantum Lectionum nuncuparetur. Subinde officium novem Lectionum etiam ſemiduplex vocatum fuit; & alia nova claſſis officiorum inducta eſt media inter officium duplex, & ſimplex, quae quidem continet ſemiduplex officium, medium inter duplex, & ſimplex; itaut conveniat cum duplici, quia gaudet officio integro, & pleno novem Lectionum, & trium Nocturnorum; & ob eamdem rationem opponatur ſimplici, quod unum tantum Nocturnum, & tres dumtaxat habet Lectiones. Simplicia tamen, & ſemiduplicia officia in eo conveniunt, quod nec Antiphonas, nec alia ſolemnitatis indicia duplicent; qua in re a duplici officio penitus diſcrepant. V. SEMIDUPLEX.

SINDON, linteum. V. OBLATORIUM, PALLIUM &c.

SION. In antiquo Rituali S. MARTINI *Turonenſis* praecipitur, ut *vinum per* Sion *in calicem* mittatur; ibi quoque dicitur, *Subdiaconum epiſtolam lecturum, ad ambonem pergere, & Sion deferre*. Eſt autem *Sion* Colatorium. In geſtis HUGONIS Epiſc. *Cenoman.* a MABILLONIO inter *Analecta* editis, ubi ſupellex ab eo ſuae Baſilicae donata percenſetur, legitur: *Necnon larga ejus gratia aliud dedit* VASCULUM, GEMMULIS UNDIQUE SEPTUM *nitentibus*, ACERRAE *exprimens ſimilitudinem, ſi non ab inferiori capite modice falcato, unci ſpeciem retineret. Per hoc* FORATUM *ſubtiliſſime vinum quandoque* FUNDITUR IN CALICEM, *ne pili, ſive quae immunda aer movet agitabilis, valeant admiſceri*. SYON *antiquorum vocavit docta diſcretio, & a Subdiacono feſtive geritur pro Manipulo*. Sion *Sia aurea* dicitur in recenſione ornamentorum capellae, quae an. 867. S. EVERARDUS filio Primogenito legavit.

SIPHON, SCIPHON, SCYPHON. ANASTASIUS in HADRIANO: *Obtulit calicem majorem fundatum cum* SIPHONE *penſantem libras triginta*. Idem in LEONE III. ſcribit, CAROLUM M. poſtquam a LEONE oleo inunctus eſt in baſilica Principis Apoſtolorum in die natalis Domini noſtri Jeſu Chriſti, obtuliſſe *calicem majorem fundatum cum* SCYPHONE *penſ. libras triginta & ſeptem*. CANGIO eſt fiſtula, qua Sanguis Dominicus hauriebatur, ſeu potius major *Scyphus*, in quem vinum ad Miſſae Sacrificium oblatum ex majori calice refundebatur. GEORGIO autem idem eſt *Siphon* quod *Colatorium*. V. SCYPHUS, SION.

SITULA, SITULUS, Vas liquida continens. *Primus ex Converſis unus cum Situla aquae benedictae*. MARTENE l. 5. cap. 8. ex ſtatutis LANFRANCI c. 4., & Rituale *Corbejae*: *Debent etiam eſſe ibi aqua benedicta in Situlo, cum hyſſopo &c.*

SKILLA, quae & *Scella*, *Scilla*, *Schilla*, *Skella*, tintinnabuli genus eſt; cujus uſus in miniſterio ſacro fuit. Occurrit non ſemel in theſauro coeno-

bii

Digitized by Google

bii *Centulenſis*. Ibi enim memoratur *Scilla argentea I. & Skillae tres*: Frequenter vero in veuſtis monaſteriorum ſtatutis, atque conſuetudinibus; qua de re conſulendus CANGIUS. Hodie quoque *Piſtorii* & alibi campana, qua Canonici ad horas perſolvendas vocantur, dicitur *Squilla*.

SOLEA. Poſt Ambonem, chorum inter & Sanctuarium apud *Graecos* ſpatium quoddam erat, ipſius chori pavimento aliquot gradibus elevato, *Solea* dictum, quouſque ad Euchariſtiam ſumendam adcedebant Laici, & Clerici ad laicam communionem redacti. Euchariſtia enim Clericis in Solea, & ex Solea Laicis miniſtrabatur. Pertingebat Solea ad cancellos uſque, qui Sanctuarium occludebant. SIMON THESSALON. in lib. de Sacram. *Subdiaconos*, inquit, *& Diaconos ſedere oportet extra Bema circa Soleam*. Ignoratur ea a *Graecis* recentioribus; immo quid olim reapſe fuerit, ne ipſe quidem doctiſſimus ALLATIUS auſus eſt definire. In *Latinorum* Eccleſiis numquam Soleae locus fuit.

SOLIUM ſaepe *Confeſſionem* ſignificat, ſeu locum, in quo Martyris, aut alterius Sancti Corpus conditur. In Carmine, quod ex ſuburbana S. FELICIS apud *Nolanos* Eccleſia exſcripſit SIRMONDUS ad SIDONII lib. IV. ep. 18.

Sic & dilecti SOLIUM FELICIS *honorans*:

SONIZATIO. Vide TONNITUS.

SORTES. S. MATHIAS ſorte in Apoſtolorum collegium adlectus eſt: Eam eligendi viam iniiſſe Apoſtolos exiſtimat ſanctus AMBROSIUS in cap. I. LUCAE, *ne Apoſtoli electio a mandato diſcrepare Legis veteris videretur*. In veteri namque Lege ex numero Sacerdotum, ſorte eligebatur unus, qui incenſum adoleret ante Altare Domini, ut conſtat ex his, quae de ZACHARIA S. JOANNIS patre ſcribit ſanctus LUCAS Evangelii ſui c. I.

Quamquam ſortem proprie dictam non fuiſſe, quidam Patres innuunt, ſed ſignum aliquod e coelo datum, puta radium coelitus adlapſum in MATHIAE caput, aut quidpiam ſimile. Sic S. DIONISYUS lib. *de Eccleſiaſtica Hierarchia* cap. 5. p. 3. *Quum autem de divina illa Sorte, quae divinitus ſuper* MATHIAM *cecidit, alii ab aliis diverſa ſenſerint, meam ipſe ſententiam exponam. Mihi enim videtur Scriptura Sortem appellare divinum illud munus, quo declarabatur choro hierarchico, quiſnam divino ſuffragio electus erat.* Ut ut eſt, exemplum S. MATHIAE non probat, licitas eſſe Sortes in electionibus ſacris; quarum uſum improbavit HONORIUS III. Pontifex Maximus ad *Lucanum* Capitulum ſcribens, ut habetur *cap. Eccleſia, de Sortilegiis, Tit. 21. lib. 5. Decretal.* Iſtud namque ſingulare fuit MATHIAE privilegium: quia enim caeteri Apoſtoli a Chriſto immediate vocati erant, voluit & Chriſtus electionem MATHIAE ſibi vindicare, ne collegis inferior ſuis videretur. Ideo Apoſtolis internae inſpirationis adflatu auctor fuit, ut Sortem ea in electione adhiberent. At iſtud in exemplum trahi nequaquam debere docet ſanctus HIERONYMUS in cap. I. JONAE: *Quum privilegia ſingulorum*, inquit, *non poſſint legem facere communem*.

Quidni vero & citra privilegium ſortes adhibere Apoſtoli praefata in electione potuiſſent? Siquidem MATHIAS, & BARSABAS, qui vocatur *Juſtus*, adeo pares erant ſanctitate, aliiſque dotibus Apoſtolicis, ut humano

Digitized by Google

no judicio diſcerni non poſſet; quis Epiſcopatum Proditoris pro altero adcipere deberet. Quum autem ita res ſe habet, licite ſortes in ſignum mitti poſſunt, ut a Domino temperentur; tum quia non tentatur Deus quum ejus providentiae committitur, quod humano judicio cognoſci non poteſt: tum quia nullum imminet Eccleſiae, vel Eccleſiaſtico coetui periculum, in quemcumque ſors cadat, quum Eccleſiaſticae dignitatis candidati meritis pares agnoſcuntur. Quam hypotheſim ſpectat Canon. 3. Concilii *Barcinonenſis* habiti anno 599. ſub RECCAREDO Rege tempore ſancti GREGORII MAGNI. Non enim ſortem probat in electionibus Epiſcoporum, niſi quum duo aut tres meritis pares Cleri ſuffragiis, populique votis deſignantur, ex quibus Metropolitanus, & Comprovinciales Epiſcopi, praemiſſo jejunio, & oratione, unum ſeligunt, quem Eccleſiae vacanti praeficiant. Vide S. AUGUSTINUM lib. 1. *de doctr. Chriſt. cap.* 28. *& epiſt.* 180. *ad* HONORAT. Haec fere ex NATALI ALEXANDRO deprompſimus. Sortibus interdum electi a Chriſtianis Sancti patroni. De S. ELISABETHA ANDREAE Regis *Hungariae* filia narrat JACOBUS MONTANUS *Spirenſis* in ejus Vita: „ Divum JOHANNEM Apoſtolum praeter ceteros carum ſibi Patronum delegerat, imitata pietatem Chriſtianorum, quibus ſingulatim eligere aliquem „ ex coetu Apoſtolico, quem familiarius Clientium more colant, conſuetudo eſt. Ne tamen electionis eventu, ut adſolet, incerto, quia ſorte agebatur, alium, quam JOHANNEM nanciſceretur, praemiſſa ad Deum prece, effecit, ut quem ſummopere volebat, ſemel, iterumque, ac tertio „ ſortiretur.„ Quin etiam CAESARIUS *Heiſterbacbenſis* lib. VIII. *Illuſtr. Miraculor. cap.* 55. circa annum 1222. hoc teſtabatur: „ Conſuetudo eſt maxime Provinciae noſtrae, ut tali ſorte ſpecialem ſibi Apoſtolum eligant. „ In duodecim Candelis duodecim Apoſtolorum nomina, ſingula in ſingulis „ ſcribuntur, quae a Sacerdote benedictae Altari ſimul imponuntur. Accedens vero Femina, cujus nomen per Candelam extrahit, illi plus ceteris „ & honoris & obſequii impendit.„

SPECULA, pro *ſpecularia*, *feneſtrae*. Liber Pontific. *T. I. pag.* 311. in S. SERGIO.

SPORTULANTES dicebantur Clerici, qui communem cum aliis vitam haud ducebant, ſed ab Epiſcopo ſportulas, ſeu ſtipendium pro opera Eccleſiae praeſtita recipiebant. *Nec moleſtiis, aut negotiis ſaecularibus adligantur, ſed in honore ſportulantium ſratrum, tamquam decimas ex fratribus adcipientes, ab altari, & a Sacrificiis non recedant.* CYPRIAN. ep. 66.

STALLUM. Locus cujuſque Clerici in choro, juxta dignitatem, & ordinem unicuique convenientem. *Intravit chorum uterque, ſtante Priore in ſtallo ſuo.* CAESARIUS lib. I. c. 6., & lib. 5. c. 5. *Vidit duos Daemones juxta presbyterium intrare, & paullatim aſcendere ad Stallum Abbatis.*

STANTAREUM, candelabrum, in quo cerei ſtant. In charta *Cornutiana* ad ornatum Eccleſiae donantur *Stantarea argentea, & Stantarea aerea tredecim.*

STATIO ſaepe ſumitur pro concurſu populi ad Eccleſiam indictam, in qua ſtatis diebus Proceſſio Clericorum ad ſtatas preces faciendas conſiſtebat. Vetuſtus enim in Urbe ritus fuit, ut certis diebus Clerus in unam aliquam

Eccleſiam ſupplicationis cauſſa conveniret, ubi Sacra fiebant; aliaque divina officia peragebantur. Hi porro dies jejuniorum erant; unde ſolvere ſtationem, idem erat quod ſolvere jejunium. ISIDORUS *lib. 6. c. ult. Etymol. Diſcernunt autem quidam inter jejunium, & ſtationem: nam jejunium eſt indifferenter cujuslibet diei abſtinentia non ſecundum legem, ſed ſecundum propriam voluntatem: ſtatio autem eſt obſervatio ſtatutorum dierum, vel temporum, ut quartae, & ſextae feriae, vel Quadrageſimae*. Et S. AMBROSIUS Serm. 36. *Stationes vocantur jejunia, quod ſtantes, & commorantes in eis, inimicorum inſidias repellimus*. Stationum aliquod veſtigium ſaeculis XIII. & XIV. perdurabat. Vide GARAMPIUM in Vita B. CLARAE *p.* 555. Nunc vero Stationum nomine veniunt indulgentiae illae, quae certas Eccleſias viſitantibus conceduntur. De Cruce, quae quod ad ſtationes deferretur, *Stationalis* dicta fuit, copioſe CIAMPINIUS diſſeruit. V. SCHOLA CRUCIS, SUBDIACONUS.

STATUAE. Earum uſus in Eccleſia antiquiſſimus eſt. *Picturam* ex *cera* fuſilem, quae utique inſtar Statuae erat, S. JOH. CHRYSOSTOMUS commemorat in hom. *quod unus, & idem ſit legiſlat.* V. & N. T. Fluente Saeculo V. VALENTINIANUS III. Imperator, CONSTANTINI pietatem imitatus, SIXTI Papae III. *ſupplicatione, obtulit imaginem auream cum duodecim portis, & Apoſtolos duodecim, & Salvatorem in gemmis pretioſiſſimis ornatam ſuper Confeſſionem* B. PETRI *Apoſtoli*. Refert hoc ANASTASIUS *Bibliothecarius* in Vita SIXTI III. Praeterea ante exortum Haereſis *Iconoclaſticae*, ſacrarum ſtatuarum uſum fuiſſe in Eccleſia, colligitur 1. ex CONSTANTINO MANASSE, auctore Graeco Saeculi XII., qui de *Hebraeis* illis Praeſtigiatoribus a LEONE ISAURICO ſacrarum Imaginum abolitionem poſtulantibus, ita ſcribit: *Non tamen illi vel aurum, vel argentum, vel gemmas petebant, ſed ſanctarum Imaginum, Picturarum*, STATUARUM *veneratione dignarum abolitionem, hoc eſt ipſam religioſi cultus everſionem*. 2. Ex GEORGIO CODINO in *excerptis de Originibus, ſeu Antiquitatibus Conſtantinopolitanis*, ubi loquens de ſtatuis, quae *Conſtantinopoli* antiquitus exſtabant, haec ait: Sub LEONE ISAURICO *multa antiqua Signa everſa, & ablata ſunt, quod is omnino irreligioſus eſſet*. Nomine autem Signorum, hoc loco, ut alias ſaepe, denotantur *Statuae, Simulacra, Imagines, ſive ſculptiles, ſive fuſiles*. 3. Et praecipue ex S. JOHANNE DAMASCENO, qui pro ſacris Imaginibus adverſus LEONEM ISAURICUM tres graviſſimas Orationes conſcripſit circa annum Domini 731. Is cultum Sanctis debitum tractans, STATUAS, inquit, *ipſis, ac viſibiles Imagines erigamus: immo ipſi virtutibus eorum imitandis hoc conſequamur, ut vivae eorum ſtatuae, atque imagines ſimus*. Atque haec quidem luculentiſſimo primaevae Eccleſiae exemplo confirmantur, ſtatuae nimirum, quam *Pancade* extitiſſe EUSEBIUS refert, Chriſtum Hemorhoiſſam curantem referentis. BEAUSOBRIUS quidem in *Bibliotheca Germanica* diſſertationem edidit, qua nihil minus, quam Chriſtum ſtatua illa fuiſſe repraeſentatum contendit; ſed ludicra ſunt, quae haetorodoxus ſcriptor opponit. Vide interea TROMBELLIUM *de cultu Sanctorum*.

STAURACIN, *Stauracis, Stauracius, Stauracinus*, textile crucibus refertum *a* σταυρὸς *crux,* χοῖνος patens. *Liber Pontif. T. II. p.* 196.

STAU-

STAUPI argentei *T. III. lib. Pontiſ. p.* 216. a *ϛαζειν ſtillare*, *fundere*, vaſa potoria, urceoli, e quibus vinum & aqua in calicem funditur. V. Gemelliones.

STERCORARIA SEDES. Ordo CAJETANI: Venit (Pontifex) *ad plateam Lateranenſem* (ita cap. 20. *de ordine proceſſ. poſt Miſſam* &c. *pag.* 259.) *& ducitur ad porticum, quae vadit ad Eccleſiam* S. JOHANNIS *Lateranenſis: & ibi ante porticum nunc deſtructam ſtatim Lateranenſes Canonici cum eorum comitiva, induti ſollemniter, & cum cruce proceſſionali Papam recipiunt, cum deſcendit, qui deſcendit ad Sedem ſtercorariam, & deponit regnum, & accipit mitram.... Sedet in dicta ſede marmorea, quae vocatur ſtercoraria, & veniunt omnes Cardinales, & elevant eum, ut vere dicere poſſit: Suſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore erigit pauperem.* De hujus ſedis, quae tot impoſturis haereticorum anſam praebuit, origine, conditione, & fortuna quamplures. Tu vide MABILLONII commentar. praevium *ad Ord. Rom. tit.* 18. &c. Hoc ſolum moneo, rotum hunc Sedium ritum poſt LEONEM X. penitus abolitum fuiſſe, ac BURIUM errare, qui in ſua brevi notitia Romanor. Pontific., ubi de JOHANNE VIII. ait: *Adhuc* (nimirum noſtris temporibus) *ſedi* (ſtercorariae) *imponitur Papa, quum deportatur ad baſilicam Lateranenſem pro Pontificatus poſſeſſione adcipienda, & paullo poſt in altera.... a Cardinalibus adorandus.*

STOLA olim apud Ethnicos, Judaeos, Chriſtianos etiam Sacerdotes veſtis oblonga erat totum corpus ambiens. At nunc ſtola noſtra non veſtis, ſed veluti torques eſt a collo per humeros ad pectus pendens, & uſque ad genua protenſus. Orarium paſſim cum a *Graecis*, tum a *Latinis* vocatur, quamvis *Graeci* id nominis ſtolae Diaconali, non Sacerdotali tribuant, quae apud illos latior eſt Orario, nec ullis litterarum notis intexta, ſicut Orarium Diaconorum. V. Orarium.

STUDITA. Martyrologium Romanum II. Novembris meminit S. THEODORI *Studitae*. Fuit hic Abbas dictus ηγεμων τε Στεδιε, praefectus ſcilicet Studii. Primus Monaſterii hujus fundator STUDIUS dicebatur: hic THEODORUS pro ſanctarum imaginum cultu multa paſſus Martyr occubuit II. Novembris an. 826. Monaſterium *Studium*, Monachi *Studitae* dicebantur.

STUPPAE COMBUSTIO, ritus in coronationem Romani Pontificis, uti & Saeculo XI. in *Graecorum* Imperatorum coronatione, quemadmodum tradit S. PETRUS DAMIANUS *lib.* 1. *ep.* 17. Nec in Ordine *Romano* XIV. neque in Caeremoniali *Daventriae* ulla hujus ritus mentio. Eum tamen exhibent Acta *Piſani* Concilii, ubi an. 1409. ALEXANDER V. *recepit inſignia coronationis*, T. VI. *Spicil. Dacher.* Vide etiam CATALANUM T. 1. *Comm. in Caerem. S. R. E. p.* 112., ubi BURCHARDI, & PARIDIS DE GRASSIS teſtimonia recitat.

SUBCINCTORIUM. Vide Praecinctorium.

SUBCINGULUM. Vide Praecinctorium.

SUBDIACONUS. Quamquam ordinis Subdiaconorum nulla in Sacris litteris mentio exſtet; vetuſtiſſimus tamen is in Eccleſia eſt. Hic antiquitus ſacer ordo non erat, nec certo deputatus officio, niſi tantum clericali, vel divino; tunc enim in Miſſa nec Evangelium, nec Epiſtola canta-

Digitized by Google

tabatur. Adjunctus autem fuit Diaconorum adjutorio, quibus miniſtrabat. FABIANUS Papa *Romae* ſeptem Subdiaconos primus conſtituit, qui ſeptem Notariis a CLEMENTE Papa inſtitutis imminerent, ut res geſtas Martyrum in integrum colligerent: & quum ſeptem Diaconi, ut miniſtrarent pauperibus Chriſtianis, totidemq. Notarii, ut Martyrum facta deſcriberent, per urbis regiones ſparſi eſſent, iis ipſi Subdiaconi juncti fuerunt. Ideo etiam ipſi Subdiaconi *regionarii* vocati ſunt, ut regionum, primae, tertiae, quartae, & praeſertim poſtquam alii ſeptem Subdiaconi, qui, quod Miſſarum celebrationi in baſilica Lateranenſi per vices ſuas deſervirent, S. R. E., ſive *baſilicarii* Subdiaconi ſunt vocati, inſtituti fuerunt. Nam Eccleſiae majeſtate aucta, Subdiaconi ad Epiſtolae lectionem, & miniſterium altaris adciti, & ſacri ordinis participes facti ſunt: & propterea *regionariis*, qui per regiones diebus ſtationum Pontifici miniſtrabant celebranti, ſeptem alii additi, & ad quartumdecimum numerum aucti. JOHANNIS Subdiaconi regionarii regionis primae mentio eſt apud BIBLIOTHECARIUM in Vita ſancti SILVESTRI Papae. Hi porro S. R. E. Subdiaconi *baſilicarii*, quod Pontifici certis officiis adſiſterent, & ſervirent, ut in camera, in menſa, & in proceſſione Crucem ante ipſum deferrent, *Palatini* etiam Subdiaconi dicti ſunt. His in ſchola cantorum VII. (de qua ſupra) alii additi, eorumque numerus unus, & viginti factus. Quorum primus Archiſubdiaconus, primus, vel prior Subdiaconorum in libris *Romani* Ordinis nuncupatur. Ex his porro Subdiaconis is *oblationarius* dicebatur, ad cujus per vices miniſterium pertinebat ſuſcipere oblationes, Pontifici Miſſam celebranti factas, & eas Archidiacono praeſentare. Stationarius vero erat is, qui hebdomada ſua Epiſtolam in ſtationibus, Papa Miſſam celebrante, cantabat. Erant etiam Subdiaconi Cruciferi, ſeu Stauroferi, ſeu Subdiaconi *de Cruce*; ſed hi Regionarii erant, qui Pontifici ad ſtationes eunti Crucem praeferebant. Vide GEORGIUM *Tom. II. diſſ. I. cap. 4. n. 6.* Subdiaconorum Collegium ann. 1665. ALEXANDER VII. exſtinxit, eorumque munia collegio Auditorum Rotae adſcripſit.

SUBFICTORIUM *ſuper Confeſſionem* B. PETRI. Liber Pontific. in HORMISDA *Tom. I. pag.* 188. *Thuribulum* explicat MACER; at quid Thuribulum *ſuper Confeſſionem?* Rectius VIGNOLIUS ſericum tegumentum intelligit inſtar umbellae, ſeu baldachini.

SUBPULMENTARIUS. Quid ejuſmodi nomine veteres ſignificare voluerint, haud certo ſcio, inquit doctiſſimus PANVINIUS. Niſi is ſubpulmentarius fuerit, qui pauperibus ea eleemoſynarum genera a Palatio Pontificis diſtribuebat, quae vel menſae ſuperfuerant, vel ad cibum, pulmentaque pertinebant. Is etiam Paracellarius dicitur.

SUBSCRIPTI, *Competentes*. Qui baptiſmum poſtulabant, ſcripto nomen edere jubebantur. Inde eo tempore *Competentes*, & *Subſcripti* dicebantur. Exſtat ENNODII epigramma XXXVI. *in Subſcripto*. Vide CATECHUMENI, COMPETENTES.

SUBSTRATIO. Vide POENITENTIA PUBLICA.

SUBSTRATORIUM. Tobalea, ſeu linteum, quo tegitur Altare, ſupra quod duae aliae Tobalae debent extendi, *Pallae, quae ſunt in Subſtrato-*

Digitized by Google

ſtratorio; in alio vaſe debent lavari. Sanctus GREGORIUS in *Sacrament.*

SUBTILE dicta eſt 1. Tunica Epiſcopalis, quae ſic appellatur in Miſſa ILLYRICI: 2. tunica ſubdiaconalis. SICARDUS *Cremonenſis* in *Mitrali* de ſacris Subdiaconorum indumentis haec tradidit, poſtquam de albis veſtibus Lectorum, Exorciſtarum, & Acolythorum egit. *Subdiaconis*, inquit, *tres ſupradictae veſtes* (ideſt amictus, alba, & cingulum) *conceduntur, & duae ſuperadduntur, ſcilicet* SUBTILE, *&* SUDARIUM. Vide & HONORIUM *in Gemma animae lib. II. cap.* 229. Adde veterem diſciplinam Monaſticam *pag.* 392. 395. *&* 460.

SUBUMLIS, Rochettum. In Canonibus datis ſub EDGARO Rege *Anglorum* c. A. D. 967., quos e veterrimo codice *Saxonico* eruit in lucem HENRICUS *Spelmannus*, tertius, ac triceſimus canon ita loquitur: *Docemus etiam, ut* SACERDOS QUILIBET *Miſſam celebrans, habeat (veſtem, quam dicunt) corporalem*, SUBUMILEMQUE INFRA ALBAM *ſuam, & Miſſalia omnia (prout decet) veſtimenta debite contexta*. Hinc fit, Presbyteros ſupra commune veſtimentum aliud induiſſe ante albam, quod ex lino confectum fuiſſe colligitur. Qui mos ſaeculo etiam XIII. in quibuſdam Eccleſiis ſervabatur.

SUCCA, quae vox occurrit in NICOLAI II. Conſtitutione pro Baſilica *Vaticana*, *camiſia linea*, ſeu Rochettum erat. Vide GEORGIUM *Tom. I. pag.* 325.

AD SUCCURRENDUM idem, quod ad *baptizandum*. Vide THOMASIUM *Tom. VI. pag.* 94.

SUCCINERE, Praecentori reſpondere.

SUDARIUM, Manipulus. SICARDUS *Cremonenſis* in *Mitrali* de Subdiaconis ait: *Sudarium quoque in ſiniſtro brachio portant, quo ſordes a naſis, & lacrimae detergantur ab oculis*. Item: *illud notandum eſt, quod ſudarium Subdiaconorum majus fanone Sacerdotali formatur, quia ubi major exceſſus, major exigitur poenitentiae fructus*.

SUFFRAGANEUS. Epiſcopus Archiepiſcopo, ſeu Metropolitae obnoxius, ita appellatus, quia in ejus electione, cauſſiſque Comprovincialium Epiſcoporum ſuffragium ferebat, illiuſque vicem ſupplebat. Hodie Suffraganei paſſim vocantur Titulares Epiſcopi, qui in functionibus Pontificalibus Archiepiſcopi, vel etiam Epiſcopi vices gerunt.

SUMPTORIUM. Cochleare, quo miniſtrabatur Euchariſtia, ut moris eſt apud Graecos. *Calicem majorem, cum patena, ſumptorioque fecit ex auro*. FLODOARDUS lib. 3. hiſtor. Rhemen. cap. 4.

SUPERHUMERALE. V. Pallium.

SUPERINDUMENTUM LINEUM. V. Superpelliceum. Concilium Lateranen. IV. an. 1215. cap. 6. praecipit, *ut Pontifices in publico, & in Eccleſia SUPERINDUMENTIS LINEIS omnes utantur, niſi monachi fuerint: quos oportet ferre habitum monachalem*.

SUPERISTA, qui Palatio Pontificis praeeſt. V. GALLETTUM *de Primic. p.* 96.

SUPERPELLICEUM. Ab undecimo ſaeculo id nominis uſurpari coepit, fortaſſe quod albae tunc ſolum ſucceſſerit. Certe talare olim fuiſſe, ut al-

Digitized by Google

ut alba erat; teſtis eſt ſaec. XII. STEPHANUS *Tornac. ep.* 123. ad ALBIN. Card., & HONORIUS *lib.* 1. *Gemm. cap.* 232. Succeſſu temporis decurtatum fuit; illud ultra medias tibias longum eſſe debere *Baſileenſis* Synodus decrevit *Seſſ.* 21. Nunc ad genua vix pertingit. V. Cotta.

SUPERPOSITIO fuit jejunii protractio, quin aliquid guſtaretur. Fuit hic jejunii continuandi mos ab antiquis Chriſtianis praeſertim Sabbatho ſancto uſitatus, ſingulis vero menſibus ſuperpoſitionem ſemel ſervari juſſerat *Illiberitanum* Concilium *cap.* 23. Quod *ſuperpoſitionem* heic dicimus, *duplicatum* jejunium appellat S. HIERONYMUS in *Epitaphio* S. PAULLAE: AMBROSIO autem eſt *ep. LIII. augmentare jejunium*. Vide MAZZOCHIUM *in Kalend. Neapol. T. III. p.* 692.

SUPERVIGILIA, dies praecedens Vigiliam. Conſuetud. *Compendien. In Supervigilia Nativitatis Domini veſperae, & horae de B. MARIA non dicantur.*

SUPPELLICEUM, Superpelliceum. In legibus EDOVARDI Regis *Anglorum: Deinde juſtitia Epiſcopi faciat invenire proceſſionem cum Sacerdote induto ALBA, & manipulo, & ſtola, & Clericis in SUPPELLICEIS cum aqua benedicta.*

SUPPLICATIO. V. Processio.

SYMANDRUM, haſta binis malleis percuſſa, eaque adhibetur pro Campanis a *Graecis* Orientalibus inter *Turcas* morantibus, illis inhibentes campanarum uſum.

SYMBOLUM. MARTENIUS ex Ordine *Romano* eruit Catechumenis *Romae* Symbolum traditum fuiſſe Feria IV. Hebdomadae quartae Quadrageſimae; in *Africa* vero, ex S. AUGUSTINO, Sabbatho ante Dominicam IV. tradi conſueviſſe; *Conſtantinopoli*, ex THEODORO LECTORE, in Paraſceve tantum traditum eſſe baptizandis Symbolum; at *Hieroſolymis*, ex S. HIERONYMO *ep.* 61. *ad* PAMMACHIUM, id moris obtinuiſſe, ut per quadraginta dies baptizandi ſacra doctrina imbuerentur. Quod ad *Gotho-Hiſpanos*, & *Gallos* adtinet, ii Symbolum publice tradebant omnes uno, eodemque die, ſcilicet ultima Quadrageſimae Dominica, ſive Dominica Palmarum, *Concil. Agath. can.* 13. *Codex Canonum Eccleſiae* Gotho-Hiſpan. *lib.* 4. *tit.* 6. S. ISIDORUS *Offic. lib.* 1. *cap.* 27., ubi de Dominica Palmarum agens: *hac autem die*, inquit, *Symbolum competentibus traditur*, quibus addenda Miſſale *Mozarabum*, Sacramentarium *Bobianum*, & Miſſalia *Gallicanum*, & *Gallo-Gothicum*, quibus omnibus teſtatum invenimus, Symbolum die Palmarum traditum eſſe ſolemniter competentibus. Eodem quoque die *Mediolani* olim tradebatur, ex S. AMBROSIO *epiſt.* 20. *edit. Maur. ad* MARCELLINUM. Decretum autem Concilii II. *Braccarenſis cap.* 1. non ad ſolemnem Symboli traditionem, ab Epiſcopo exequendam, ſed ad privatam Catechumenorum inſtitutionem pertinet. *Romae* porro Competentibus Symbolum *Conſtantinopolitanum* tradebant, ut eſt in Ordine *Romano V.* HITTORPII, & in Sacramentario *Gelaſiano*, ubi articulum de Spiritu Sancto ita legunt, *& in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem ex Patre procedentem:* in *latino* HITTORPII eſt *ex Patre Filioque procedentem:* at in *Graeco* ejuſdem legitur ſolum *ex Patre*. Symbolum enim *Romae Graece*, & *Latine* re-

cita-

Digitized by Google

citabant ob magnum *Graecorum* numerum, qui Urbem incolebant: at *Gotho-Hiſpani*, & *Galli* Symbolum Apoſtolorum Competentibus tradebant, quod antiquitus etiam *Romae* factum eſſe opinor. At quando a Catechumenis redditur? Ex S. HIDELPHONSO in lib. *adnotat. de ordine Bapt.* cap. 34. conſtat, eos *feria quinta ante Paſcha Sacerdoti recitaſſe, atque reddidiſſe.* Atque id quidem canone 46. Concili *Laodiceni* praeſcriptum fuerat. *Quod oporteat eos, qui illuminantur, fidem diſcere, & quinta feria ſeptimanae majoris Epiſcopo, aut presbyteris reddere* (col. 1538. Tomi I. Concil.), qui quidem Canon tanto in pretio habitus eſt a GRATIANO, ut illum in ſuo decreto retulerit. (*de conſecr.* diſtin IV. cap. 58. *Baptizandos.*) In *Graeca* Eccleſia fuiſſe eum, quem dicimus, morem ſervatum canon 78. Concilii *Trullani* comprobat; qui ſic ſe habet. *Oportet eos, qui illuminantur, fidem diſcere, & quinta ſeptimanae majoris feria, Epiſcopo, ſeu presbyteris renunciare.* In Eccleſia vero *Romana* Sabbatho proxime praecedente Paſcha Symbolum a Competentibus reddebatur. Scilicet *num. XLII. lib. I. Sacramentorum Romanae Eccleſiae*, quem librum GELASIO majori ſaltem ex parte tribuimus, haec occurrunt: *Sabbathorum die mane reddunt Infantes Symbolum. Prius catechizat eos &c.* In libro vero *Sacramentorum*, quem PAMELIUS GREGORIO MAGNO tribuit (*Tom. II. pag. 263.*) *in Sabbatho Paſchae ad Reddentes dicit Domnus Papa &c.* Vide AMALARIUM *lib. 1. de Eccleſ. Offic. cap. 23.* In *Africa* fuiſſe introductam conſuetudinem, ut qui antea non reddidiſſent Symbolum, in Sabbatho ſancto redderent, tradit AUGUSTINUS *hom. 42. inter quinquaginta.* Publice factam hanc Symboli redditionem adfirmat RUFINUS *in Symboli expoſitione. Et mos* (inquit ille) *ibi ſervatur antiquus, eos qui gratiam baptiſmi ſuſcepturi ſunt, publice, ideſt fidelium populo audiente, Symbolum reddere.* Aliquos tamen reddidiſſe ſeorſim ab aliis, nec in publico Fidelium coetu ex AUGUSTINO diſcimus *lib. VIII. Confeſſ. cap. 2.* Vide MISSA IN TRADITIONE SYMBOLI.

SYMBOLUM IN MISSA. JUSTINUS JUNIOR anno 568. Imperii ſui primo, *Symbolum* Conſtantinopolitanum *in omni Eccleſia Catholica a populo canendum intromiſit*, ut ſcribit JOHANNES BICLARENSIS in *Cronico*: antea quidem PETRUS FULLO *Antiochenus* Patriarcha, qui anno 488. obiit, ut Symbolum diceretur in ſingulis collectis, inſtituerat. THEOD. LECT. *collect. l. 2.*, & poſt hunc TIMOTHEUS, cognomine COLON, qui ab anno 511. ad 517. tenuit Sedem *Conſtantinopolitanam*, inſtituit, ut fides *Nicaena* in omni Synaxi recitaretur. *Idem ibid.* Sed horum inſtituta, hominum haereticorum, a paucis ſuſcepta, brevi tempore in deſuetudinem abiere; quare exordium ritus recitandi Symboli *Conſtantinopolitani* inter Miſſarum ſolemnia JUSTINO JUNIORI Auguſto tribuendum eſt, quo adnitente, in *Graeciae*, & *Orientis* Eccleſiis, Symbolum in collectis recitari coepit: at in *Occidente Gotho-hiſpani*, omnium primi, ſtatuerunt, ut Symbolum in Miſſa diceretur. Patres enim Synodi *Toletanae tertiae*, de conſilio RECAREDI Regis, *canone ſecundo*, decreverunt, ut per omnes *Hiſpaniae*, & *Galliae Gothicae* provincias, Symbolum *Conſtantinopolitanum*, *prius quam Dominica dicatur oratio, voce clara, a populo decantaretur, quo fides vera manifeſtum teſtimonium habeat, & ad Chriſti Corpus, & Sanguinem praelibandum, pectora*

populo-

Digitized by Google

populorum fide purificata adcedant. Exinde ritus recitandi Symboli in Miſſa per *Galliam*, & vicinas Provincias propagatus eſt, & tandem anno 1014. BENEDICTUS VIII. Papa conceſſit precibus ſancti HENRICI I. Imperatoris, ut *Romae* in Miſſa Symbolum caneretur, quod BERNO AUGIENSIS Abbas, anctor ſynchronus, prodidit *de reb. ad Miſſ. ſpect. cap.* 2. Non deſunt, qui putant, Eccleſiam *Romanam* Symbolum in Miſſa legiſſe ante ſaeculum nonum, quia de Symbolo poſt Evangelium cantando Ordines *Romani* apud MABILLONIUM II. V. & VI. aperte mentionem faciunt; at BERNO AUGIENSIS teſtis oculatus diſtincte adſerit: *Symbolum Romani uſque ad haec tempora divae memoriae HENRICI Imperatoris* NULLO MODO *cecinerunt*. Cui non contradicunt citati Ordines *Romani*, qui non tradunt diſciplinam Baſilicarum Urbis, ſed Eccleſiarum *Galliae*, in quibus ritus *Gelaſianus*, aut *Gregorianus* receptus quidem erat, ſed ritibus quibuſdam *Gallicanis* immixtus, ut facile eſt hos ordines diligentius inſpicienti deprehendere. Neque obſtat, quod AMALARIUS in *Ecloga* titulum habeat *de Credo in Deum*, quo de Symbolo, poſt Evangelium recitari ſolito, tractat. Siquidem hoc loco ritum *Romanum* purum non exhibet: nam inquit: *convenit populo poſt Evangelium, quo Chriſti verba audivit, intentionem credulitatis ſuae praeclaro ore proferre*; ſiquidem populus in *Gallia*, & in *Hiſpania* Symbolum in Miſſa recitabat, non item *Romae*. Certe idem AMALARIUS *lib.* 3. *de Eccl. offic.* fuſe ſingulas Miſſae *Romanae* partes exponens, de Symbolo tacet: & Ordines *Romani* genuini III. & IV. HITTORPII, atque is, quem Illuſtriſſimus BLANCHINIUS in Prolegomenis ad *Tom.* 3. ANASTASII *opuſc.* edidit, quique olim ad uſum Baſilicarum Urbis fuerant exarati, non modo ſilent de Symbolo, ſed nullum Symbolo recitando locum vacuum in Miſſa relinquunt. Haec ex LESLEO, quibuſcum confer tradita a P. DE RUBEIS *de Sacr. Forojul. Ritib. cap.* 6. Jam vero *Gotho-Hiſpani*, ex decreto Concilii *tertii Toletani*, Symbolum recitant ante orationem Dominicam. *Galli Francorum* Imperio ſubditi videntur ſtatim poſt Evangelium Symbolum cantaſſe, poſtquam uſus cantandi Symboli apud eos invaluit; incertum enim eſt an omnes Eccleſiae *Gallicanae* ante ſaeculum VIII. Symbolum in Miſſa cantaverint. Certe de Symbolo ſilet libellus S. GERMANI *de Miſſa Gallicana*. *Graeci* primum oſculum pacis dant, tum dicunt Symbolum, quod excipit Praefatio. EUCH. *pag.* 75. In Liturgiis *Syrorum*, *Coptitarum*, & in Liturgiis *Graecis Alexandrinis* Symbolum ante oſculum pacis recitatur, praeterquam in Liturgia S. Marci, in qua, niſi ſubiit error, Symbolum poſt oſculum pacis datur. Apud *Gotho-Hiſpanos*, & apud *Mozarabes Chorus dicit Symbolum bini, & bini*; ideo dicebant *credimus*. *Syri* quoque dicebant *credimus* (RENAUDOT *T.* 2. *p.* 11.); at in Liturgia *Graeca Alexandrina* (ibid. *T.* 1. *pag.* 60.) praeſcribit Rubrica: *populus dicat* CREDO IN UNUM DEUM: *Graeci* etiam (EUCH. *p.* 75.) dicunt *Credo in unum Deum*. Apud *Graecos* vero Chorus Symbolum recitat, apud *Orientales* populus: rubrica in Liturgia *Coptica* S. BASILII (RENAUD. *T.* 1. *pag.* 12.) praeſcribit: *Populus dicit Symbolum fidei orthodoxae*, & rubrica Liturgiae *Graecae Alexandrinae* ejuſdem S. BASILII (*ibid. pag.* 60.) habet: *populus dicit Credo in unum Deum*. Ritu *Romano*, in Miſſa privata Sacerdos Symbolum integrum

recitat,

Digitized by Google

recitat, & olim *Alexandriae* Sacerdos Symbolum in Miſſa dicebat, juxta rubricam Liturgiae *Graecae Alexandrinae* S. MARCI. *Sacerdos ſignans Cruce diſcos, & calices elata voce dicit* Credo in unum Deum. (RENAUD. *T.* 1. *pag.* 143.) Modo *Romae*, & in toto *Occidente*, quum Miſſa ſolemnis celebratur, Sacerdos inquit *Credo in unum Deum*, reliqua Chorus canit. Saeculo XIII. ineunte, ut monet ALEXANDER HALENSIS *Tract. de Offic. Miſſ. part.* 1. *Romano Pontifice ſolemniter celebrante fidei Symbolum non Cantores in Choro, ſed Subdiaconi ad altare decantabant.* Caeterum Symbolum, quod *Gotho-Hiſpani* in Miſſa cantabant, etſi a S. ISIDORO *de Offic. Eccl. lib.* 1. *cap.* 36. a Conciliis XIII. *Toletano*, & *Braccarenſi III. in praef.*, & ab ETHERIO, & BEATO *lib.* 5. *adv.* ELIPAND. dictum ſit Symbolum *Nicaenum*, eſt revera Symbolum *Conſtantinopolitanum*, ut fides ipſa, & Concilium *Toletanum III.* clare manifeſtat; tamen dictum eſt *Nicaenum*, vel quia prima ejus pars a *Nicaena* Synodo condita eſt, vel quia fama Concilii *Nicaeni* vulgo clarior erat, quam *Conſtantinopolitani*: exſtat autem Symbolum hoc in Conciliis *Toletanis* VIII. XII. & XIII., in Concilio *Braccarenſi* III., & in libro I. ETHERII & BEATI adverſus ELIPANDUM, in quibus tamen aliquae varietates inveniuntur.

SYMBOLUM IN OFFICIO. Symbolum Apoſtolorum ex veteri Fidelium more quotidie antelucanis horis recitandum eſt juxta S. AMBROSIUM *de velandis Virginibus*. Apud S. AUGUSTINUM quoque *homil.* 5. haec habentur: *Quotidie dicitis, quando ſurgitis, quando vos collocatis ad ſomnum*. Noſtris vero Officiis illud peculiare eſt, quod ter, atque tribus diverſis temporibus Symbolum Apoſtolorum recitetur: ante Nocturnos ſcilicet, Primam, atque ad Completorii finem, ſubmiſſaque ſemper voce. In Precibus tamen Primae, atque Completorii duo poſtremi articuli *Carnis reſurrectionem* alta voce proferuntur. Quem morem ut perſpectum habeamus, adnotandum, olim totum Symbolum alta voce in precibus Primae, & Completorii fuiſſe recitatum. Quapropter Rubrica, quae ſubmiſſa voce *Pater*, *Ave*, & *Credo* ad Officii initium, atque finem recitari jubet, haec additamenta poſtremis hiſce temporibus eſſe facta indicat; quum ea, quae ad Officium ſpectant, ſemper alta voce fuerint prolata. Oratio autem Dominica, atque Symbolum *Nicaenum*, ſive *Conſtantinopolitanum* in Miſſa adhuc alta voce pronunciantur, atque velut pars Liturgiae habentur. Et *Pater* clara voce a Monachis ad Laudes, & Veſperarum finem recitatur. Symbolum ipſum S. ATHANASII ſingulis Dominicis canitur, tamquam publici Officii pars. Ut igitur vetuſtatis aliqua ratio haberetur, atque a veteri Officio novae hae *Pater*, & *Credo* repetitiones diſtinguerentur, quum introductae ſunt, ſtatutum fuit, ut ſecreto dicerentur. Aliam hujus Ritus, quo Symbolum in Miſſa alta voce recitatur, ſubmiſſa vero in Officio, reddit rationem S. THOMAS *n.* 2. *q.* 9. *ad* 6., quia nimirum Fides in Eccleſiae exordiis clam adnunciata fuit, eodemque pacto ad finem mundi Antichriſti aevo eſt praedicanda. Hinc pergit S. Doctor: *Ad Primam, quae Solis ortu Eccleſiae incunabula repraeſentat, atque ad Completorium, quod finem mundi exhibet, ſubmiſſa voce recitantur. Miſſae vero tempus illius temporis eſt figura, quo Evangelium palam eſt promulgatum, eaque de cauſa Sym-*

bolum cantatur. Verum omiſſa hac S. THOMAE myſtica, vel allegorica explicatione, inde ſaltem compertum eſt, illius aetate Symbolum ad Primam, & Completorium recitari quidem ſolitum: *Initio diei, & in fine diei Symbolum dicitur;* ſed decantatum non fuiſſe, quomodo in Miſſa fieri mos eſt: praeterea autem neque ante Officii initium, neque poſt finem diei conſueviſſe; quod S. PIUS V. peragi mandavit. Supra indicatum eſt, praeter Symbolum Apoſtolorum in Officio ad Primam, Symbolum, ut vulgo dicimus, *Athanaſianum* recitari. Vide Fides Catholica.

SYNAGOGA, latine congregatio. Verum Eccleſia proprie eſt convocatio: greges pecorum proprie congregari dicuntur; convocari autem magis eſt utentium ratione, quales ſunt homines: hinc Apoſtoli numquam Synagogam dixerunt, ſed Eccleſiam, diſcernendi cauſſa, quod Chriſtus, abrogata Synagoga, Eccleſiam inſtituiſſet.

SYNAXARIA, Vitae Sanctorum ex *Menaeis* prolixioribus contractae. Confer *Biblioth. Ritual. T.* 1. *pag.* 90.

SYNAXIS *Graece, Latine* Collatio, apud PP. idem ſignificat, quod Miſſa, quia haec nos in Chriſto adunat, & in iis, qui eadem menſa fruuntur, divinam efficit morum ſimilitudinem, animum colligens in unum, ac Deo conjungens. PACHIMERES in Paraphr. *Synaxis minime intelligenda eſt populi congregatio, prout aliqui nunc temporis vocem illam adcipiunt, ſed cum Deo conjunctio, communioque*: *Magiſter* tamen in *Regul.* pro Congregatione accipit, ſeu conventu.

SYNODALE: ita appellabant litteras, quas Summus Pontifex, aut etiam Metropolitanus ad Eccleſiam quampiam dabat, ordinato ejus Epiſcopo. Dicebantur autem *Synodale*, partim quia mittebantur ex Synodo vel Romana Pontificis, vel Metropolitica, ſeu Provinciali; partim quia legebantur in Synodo, cui praepoſitus erat novus Epiſcopus. Formula hujuſce Synodalis extat apud GARNERIUM in libro diurno Romanorum Pontificum *cap. III, Tit.* 9. Notandum autem, ejuſmodi litteris, cum mitterentur e Synodo Summi Pontificis, Pontificem ſolum ſubſcripſiſſe; cum vero e Synodo alicujus Metropolitani, non ſolum Metropolitanum, ſed omnes etiam Epiſcopos, qui interfuerant, ſubſcriptiones ſuas addidiſſe, ut videre eſt in epiſtola HINCMARI Rhemenſis Epiſcopi ad Plebem Laudunenſem. Huic Synodali affine illud eſt, quod idem Liber diurnus exhibet ejuſdem capitis III. titulo XI., *ut Epiſcopus alterius civitatis in alia Eccleſia poſſit incardinari*.

SYNODICA epiſtola erat, qua Epiſcopus electionis ſuae, & ordinationis notitiam, profeſſione fidei inſerta, ad principaliores Sedes dirigebat. Id vero potiſſimum obtinuit in ſummo Pontifice, & Patriarchis; nam & ille Synodicas ſuas univerſis Patriarchis, & Primatibus dabat *ex veteri regula*, ut ait GELASIUS in epiſtola ad EUPHEMIUM Patriarcham Conſtantinopolitanum; & hi caeteris Patriarchis, ac praeſertim Romano Pontifici, ut EUTYCHIUS Conſtantinopolitanus in Synodica ad VIGILIUM Papam. Vide GARNERIUM in appendice ad caput II. Libri Diurni, & BENCINIUM *de Literis Encyclicis diſſ. I. num.* 13.

SYNODUS. Vide Concilium.

TABER-

Digitized by Google

T

TABERNACULUM, diminutivum a taberna, aliter Aedicula. Ita vocatur paſſim repoſitorium Ven. Sacramenti. Tabernaculum etiam dicitur locus, ubi multae ſunt tabernae, ſicut Habitaculum ubi multae ſunt habitationes, & Pinnaculum ubi multae ſunt pinnae.

TABULA CONSECRATA, Lapis conſecratus, in quo Sacrificium offertur. Adcipitur etiam pro Altari portatili: habetur enim in Concil. TRIBURIEN. Can. *Decernimus* de Conſec. *diſtin. I.*, quod Sacerdotes in itinere, ſi deſit Eccleſia, *poſſint in Tabula conſecrata Sacrificium offerre*. *Tabula* porro haec etiam *Itineraria* ideo dicebatur. V. Altare portatile.

TABULA MORTUORUM, Crotalum, Tabula lignea, qua vocabantur Monachi ad infirmum morti proximum. S. HUMBELINA S. BERNARDI Sorore animam agente *Angelus mortuorum tabulam pulſavit*. In ejus Vita.

TABULA PACIS in Concilio *Mertonenſi* an. 1300. vocatur inſtrumentum, quo pax in Miſſa traditur. V. Asser ad Pacem, & Lapis pacis.

TABULAE AUREAE & ARGENTEAE ante, & circum altare, ad ejus ornatum. ANASTASIUS in LEONE IV. *Venerandi Altaris frontem praecipuam* TABULIS AURO OPTIMO *noviter dedicavit, una cum* GEMMIS *quamplurimis, valde optimis, ac pretioſis totam circumdedit, & in meliorem, ut prius, ſtatum, decoremque perduxit. In quibus ſcilicet* AUREIS, *ut dictum eſt*, TABULIS, *non ſolum Redemptoris noſtri forma depicta praefulget, verum & ejus reſurrectio veneranda, atque indicium ſacrae & ſalutiferae Crucis*. Erant etiam tabulae ad canendum auro & argento ornatae. Sic S. EVERARDUS BERENGARIO filio ſuo ſecundo legavit *tabulas ad canendum auro & argento paratas*. Hae tamen plerumque oſſeae, aut eburneae erant. AMALARIUS de Eccleſ. offic. lib. III. cap. 16. *Cantor ſine aliqua neceſſitate legendi tenet* TABULAS *in manibus, ut figuret illud Pſalmiſtae: Laudent nomen ejus in choro &c.* Mox addit: TABULAE, *quas cantor in manu tenet, ſolent fieri de* OSSE. Ceterum tabulae eburneae ſaepe erant ſacrorum diptychorum tabulae; interdum paci in Miſſa tradendae inſerviebant, cujuſmodi tabula illa *Forojulienſis* a GEORGIO *T. I. p.* CXXVIII. indicata. Aliud Tabularum eburnearum genus in uſu olim fuit apud Mediolanenſes, eaſque in quibuſdam proceſſionibus deferebat Primicerius lectorum, *& colurna virgulta intus cum foliis*. MURATORIUS quidem *Ant. med. aevi T. IV. col.* 842. primus feliciter ſubodoratus eſt, *colurna iſta fuiſſe virgas e corylo*; ſed in quem uſum cederent, ignoravit. Nihil veroſimilius, quam quod pluribus explicuit BUGATTUS in Dyptichi cujuſdam illuſtratione, quam ſuis de S. CELSO Martyre hiſtoricis monumentis veluti appendicem adtexuit. Nimirum illis Pontificia poteſtas ſignificabatur ad Virgae Aaronicae, quam *Amygdalinam* ex Hebraeo HIERONYMUS, ex LXX. vero verſione *Nucinam* fuiſſe AMBROSIUS *ep.* 41. ſcribit, ſimilitudinem; ea enim, *cum diu repoſita fuiſſet, effloruit*, inquit idem AMBROSIUS. Quemadmodum vero virga Aaron in arca teſtamenti ſervabatur; ita etiam in Mediolanenſi Eccleſia, BEROLDO teſte, arca quaedam erat, *in qua libri Veteris teſtamenti, & novi poſiti ſunt* cum tabulis eburneis.

TABULATUM erat locus in Eccleſia mulieribus deſtinatus in ſublimi ſpecula prope teſtudinem, clathris impoſitis, ut a virorum conſortio ſubducerentur. Quare CHRYSOSTOMUS ab altari ſubmovit Diaconum ſibi miniſtrantem, eo quod mulierem ſurſum in tabulato manentem procaciter inſpexiſſet; & AMBROSIUS ad Virginem lapſam, *c. 6. Nonne vel illum locum, tabulis ſeparatum, in quo in Eccleſia ſtabas, recordari debuiſti?*

TACTICA, liber *Graecorum* ad horas, earum ordinem, & ritus adnotans. V. *Biblioth. Ritual. T. 1. p.* 80.

TARINCHAE. Martyrologium 11. Decembris: *In quorum naribus & auribus juſſit Praeſes immitti tarinchas, & clavis ardentibus tempora transfigi:* ad quem locum BARONIUS: *Tarinchae erant tenuia ferri tela, ad incendendum Martyrem comparata.* ERASMUS in verſione JOSEPHI *ſuccenſoria* vocat, & *ſudes ferreas*, uti VIRGILIUS: = *Stipitibus duris agitur, ſudibuſque praeuſtis.* =

TAUREA, ſcutica, flagellum ex Taurino corio. TERTULLIANUS *ad Martyres cap. 5. Alii inter Venatorum taureas ſcapulis patientiſſimis inambulaverunt.* Vita PONTII Martyris XIV. Maji: *Statim egreſſi ſunt duo Venatores cum taureis, & nervicis ſecundum conſuetudinem.*

TE DEUM, cujus cantici alii AMBROSIUM cum AUGUSTINO, alii unum AMBROSIUM, alii HILARIUM PICTAVIENSEM, alii SISEBUTUM Monachum, alii alium auctorem fuiſſe contendunt, inter Hymnos numerat RUPERTUS. Illud Eccleſia *Romana* omittit in Adventu, & Quadrageſima: at Monachi omni die Dominica ipſum concinunt, etiam ipſo Adventus, & Quadrageſimae tempore, de qua re quum incidiſſet quaeſtio inter Epiſcopos, & Abbates, plura Concilia in *Galliis*, uti refert GLABER RADULPHUS ad annum milleſimum, habita ſunt, in eiſque diſputatum, cur Monachi *Te Deum* dicerent Adventus, & Quadrageſimae Dominicis contra Eccleſiae *Romanae* morem? Et Monachis reſpondentibus, ſe id agere ex S. BENEDICTI praecepto, cujus regulam ſummus Pontifex GREGORIUS MAGNUS adprobaverat, Epiſcopi acquieverunt. Olim ex INNOCENTII III. cap. *Conſilium Extrav. de celebratione Miſſarum* omittebatur hic Hymnus, etiam diebus profeſtis, hoc eſt, ut ait Gloſſa, *privatis*, quaſi procul a Feſto, quando videlicet tres fiunt Lectiones, ut nimirum inter Commemorationem, & Solemnitatem diſcrimen adſignaretur, unde RADULPHUS contendit in Feſtis quoque ſimplicibus, quae Solemnitates non cenſentur, ſed potius Commemorationes, praetermittendum eſſe *Te Deum*. Verum quum jure novo Breviarii S. PII V. Feſtorum nomine hac in parte intelligantur Feſta etiam ſimplicia, in iis non amplius eſt omittendum *Te Deum*, ſicut nec in aliis Duplicibus, & Semiduplicibus, etiam tranſlatis tempore Adventus, & Quadrageſimae. Quin idem Hymnus juxta Ritum *Romanum* etiam in Officio Feriali toto tempore Paſchali recitatur. Feſtum tamen Ss. INNOCENTIUM illum non admittit, niſi in die octava, & quando occurrit in Dominica. Si tamen titulus Eccleſiae fuerit Feſtum Ss. INNOCENTIUM, Hymnus cantatur. Ubi vero recitantur illa verba: *Te ergo quaeſumus*, omnes in Choro capite detecto genua flectunt; immo ſi adhibeatur Organum, ea verba Chorus genibus flexis decantat.

Digitized by Google

cantat: Refert etiam PETRUS DAMIANUS in Vita S. ODONIS Abbatis *Cluniacenſis*, eum juſſiſſe, ut Monachi humi ſe proſternerent ad illa verba: *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem &c.*

TEMPLUM pro ſacra Chriſtianorum aede Apoſtolicorum, eorumque, quae ad CONSTANTINUM M. fluxerunt, temporum Patres numquam uſurparunt, ne aut Judaici Templi memoriam revocare viderentur, aut cum ſuperſtitioſis Ethnicorum aedibus ut nomine, ita & re Noſtrares convenire ſuſpicandi occaſionem incautis praeberent. Erecta autem per CONSTANTINUM Eccleſia, atque profligata idololatria, id nominis ad Eccleſias noſtras deſignandas veriti nequaquam ſunt uſurpare LACTANTIUS *Inſtit. lib. 5. cap.* 2. PRUDENTIUS in hymnis de Ss. LAURENTIO v. 164., & HIPPOLYTO v. 216. AMBROSIUS ep. 33. ad MARCELLINAM *Soror.* HILARIUS *Pictav. Comm: in Pſ.* 126.

TENTORIUM. Vide PAPILIONES.

TERMINUS PASCHALIS ab XI. Kal. Apr. in XI. Kal. Majas excurrit, ex decreto Synodi a THEOPHILO *Caeſareae Palaeſtinae* Epiſcopo apud BUCHERIUM.

TERSORIUM, mantile, mappula.

TERTIA. *Tertia hora congregantur Fratres* (inquit S. BASILIUS in *Regulis fuſius diſputatis* q. 37.) *ad orationem, ut admoniti doni Spiritus, quod circiter hanc horam Apoſtolis datum fuit, uno eodemque animo, cuncti illum venerentur, ab eoque petant, ut & ipſi digni ſint, qui ſanctificationem ſuſcipiant, ſimulque ut ſalutaris ſibi doctrinae, & recti itineris Dux eſſe, & Auctor velit, illum imitantes qui dixit: Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in viſceribus meis.* Verum negari non poteſt, hanc horam, uti & Sextam, ac Nonam ab ipſo Synagogae tempore fuiſſe ſacram: nam & iiſdem horis oraſſe leguntur Apoſtoli. Quare TERTULLIANUS eas *Apoſtolicas* vocat. GREGORIUS tamen *Turonenſis lib. 2. Hiſt.* teſtatur, INJURIOSUM quinctum, & decimum Epiſcopum *Turonenſem* juſſiſſe, ut in Eccleſia Tertia perageretur; unde conjicere licet, ante ejus tempora privatim tantum, atque ex Fidelium pietate, nulla lege jubente, fuiſſe perſolutam: *Hic inſtituit Tertiam....... in Eccleſia dici, quod modo in nomine Domini perſeverat.* Etiam ſanctus CAESARIUS *Arelatenſis*, ut habetur in ejus Vita, legitur ſtatuiſſe, ut in poſterum Clerici Tertiam publice cantarent; atque in Regula ſua Tertiae ſex Pſalmos tribuit. Ei concinit S. AURELIANUS. Verum S. BENEDICTUS tres dumtaxat lectiones, verſiculum, & *Kyrie*; & S. COLUMBANUS tres itidem Pſalmos, pluresque breviores preces, quas jejunii diebus dicimus ad Laudes, & Veſperas, recitari praecipiunt. Olim Tertia a primo Pſalmo incipiebat, uti fit ante Paſcha: at S. BENEDICTUS voluit, ut prius diceretur, *Deus in adjutorium*, atque ideo hujus moris Auctor habetur. Quamvis autem Pſalmi *Beati immaculati* diſtributio pro Tertia, Sexta, & Nona peculiaris eſſet *Romanae* Eccleſiae, ſanctus tamen BENEDICTUS *Anianenſis* hunc *Romanum* morem ſervabat, uti teſtatum facit ejus Vita: *Divinum officium juxta Romanum Pſalmo centeſimo decimo octavo perſolvebat.* Quod ad Lectiones ſpectat, nullae erant apud Monachos *Orientis*: in *Occidente* vero Ss. BENEDICTUS, CAESARIUS,

Digitized by Google

RIUS, & AURELIANUS unicam praeſcribunt; S. ISIDORUS, & regula MAGISTRI duas, unam ex veteri, ex novo Teſtamento alteram, vel ex PAULLO unam, alteram ex Evangelio.

TETRAVELA, & TETRAVILA, quadruplicia ad altare vela ſaepius ab ANASTASIO memorantur. Ita MABILLONIUS: at VIGNOLIUS *T. I. pag.* 311. vela intelligit in quadrum formata, & quatuor angulos habentia.

TEXTUS, liber Evangeliorum. Exempla CANGIUS ſuppeditat. Idem Codex conflatis in unam duabus vocibus *Text-Evangelium* appellatur apud UGHELLIUM *Tom. VII. pr. edit. p.* 1274. in donatione Judicis *Vigilienſis* Eccleſiae ann. 1197.

TEXTUS FIDEI, Symbolum *Quicumque*. UDALRICUS *lib. I. & Conſuetud. Cluniacen. cap. 3. Textus fidei, ſcilicet Quicumque a* S. ATHANASIO *conſcriptus nullo die obmittitur, ut non dicatur a nobis: ſed in privatis diebus ſimul cum aliis Pſalmis: in Dominica poſt preces*. Vide Fides Catholica.

TEXTUS *promiſſionis*, formula profeſſionis. Uſus *Caſinenſes Vet. diſc. Monaſt. pag.* 13.

THEOPHANIA. Vide Epiphania.

THEOTOCIA Odae ſunt apud *Graecos* in Deiparae Virginis honorem Eccleſiaſticis Officiis hinc inde interſperſae. *Biblioth. Ritual. Tom. I. p.* 87.

THESAURARIUS, ſacri Theſauri Praeſes. *Theſaurarii* in Metropolitana *Aquilejenſi* Eccleſia dignitatem ſuſtulit EUGENIUS IV. Apoſtolicis litteris ann. D. 1436. XIV. Kal. Junias datis, *Theſaurarii* munere tum defungente BERTRANDO DE STRASOLDO. Cauſſa vero ſupprimendi fuit inopia ſacrorum ornamentorum in Eccleſia *Aquilejenſi*: nam EUGENIUS reditus theſaurariae impendi juſſit ad *opus paramentorum & ornamentorum ac luminarium & aliorum in eadem Eccleſia circa divinum cultum neceſſariorum*. In *Romana* Eccleſia Theſaurarius ad XI. Saeculi finem Veſtararius fuit. Inde hoc munus exolevit. Sub ſaeculi vero XIV. initia Theſauri Rom. Eccl., cura ejuſdem Eccleſiae, ut ajunt, Camerario adtributa fuit. Vide GALLETTUM *de Veſtar. pag.* 58., ubi etiam exhibet *inventarium Theſauri Rom. Eccleſiae ann.* 1303.

THURIBULARIUS, cujus eſt Thuribulum tenere, & miniſtrare. MARTENE *lib. 2. cap. 4. Thuribularius praeparet Thuribulum, & tradat Subdiacono..... Poſtea reddat Thuribulum Thuribulario*. Vide Thurificator.

THURIBULUM. ALCUINUS *Poem. III.*

Hic quoque THURIBULUM *capitellis undique cinctum*
Pendit de ſumno fumoſa foramina pendens,
De quibus ambroſia ſpirabunt thura Sabaea,
Quando Sacerdotes Miſſas offerre jubentur.

Vide Incensarium, et Recentarium.

THURIFICARE. Vide Aromatizare, Facere Incensum.

THURIFICATOR, qui thuribulum in ſacro miniſterio portat. *Egrediantur Ceroferarii, & Clerici thurificatores veſtire albas, & praeparare ignem, incenſum &c.... Clerici thurificatores ſint ſolliciti, ut ignem habeant, & incenſum ſemper paratum &c.* Caeremon. Caſalis Benedicti.

THURI-

Digitized by Google

THURIFICATUS, qui metu perſecutionis thus idolis adhibuerat, inter quos numeratur, ſed falſo, S. MARCELLINUS Papa. CYPRIANUS *epiſt.* 53. CORNELIUS *qua ratione* TROPHIMO, *& thurificatis communicat?* Dicebantur quoque ex TERTULLIANO *Thurificuli*, *& Thurarii*.

THUS. TERTULLIANUS *lib. de Corona cap.* 10. *Thus quidem incendimus, ſed non eodem ritu, nec eodem habitu, nec de eodem apparatu, quo agitur apud Idola*. Vide INCENSUM.

THYMIAMATERIUM, Cymbium, vel aliud vas manuale, aut penſile, in quo micae thureae, aut aliae quaevis odorae adſervantur, ſeu etiam ſuffitus cauſſa incenduntur. *Lateranenſi Baſilicae* CONSTANTINUS M. obtulit THYMIAMATERIA II. *ex* AURO PURISSIMO *penſantia lib. XXX.* Idem baptiſterio Lateranenſi conſtituit THYMIAMATERIUM EX AURO PURISSIMO, *penſans libras X. cum* GEMMIS PRASINIS, *& hyacintinis undique ornatum numero* XLII. S. SIXTUS III. Baſilicae *Liberianae* donavit THYMIAMATERIUM *argenteum penſans lib. V.* In charta *Cornutiana thymiamaterion argenteum* memoratur. SERGIUS item *Romanus* Pontifex circa A. D. 690. fecit in Baſilica B. PETRI THYMIAMATERIUM AUREUM *majus, cum columnis, & cooperculo, quod ſuſpendit ante eamdem imaginem* (beati PETRI) *in quo incenſum, & odor ſuavitatis feſtis diebus, dum Miſſarum ſolemnia celebrantur, omnipotenti Deo opulentius mittitur*. Scribendum vero, ut Graeca etymologia recte redderetur, *thymiateſium*, quemadmodum MAZZOCHIUS notat *in Kal. Neap. Tom. III. pag.* 794. Sed a S. AMBROSIO, qui ep. IV. ad FELICEM, & alibi *Thymiamaterium* ſcripſit, recentiores Latini eam ſcribendi hujus vocabuli rationem adripuerunt.

TIARA, dicta etiam *Regnum, corona* epanocliſta, ſcilicet ſuperius clauſa, *Mitra turbinata ſcilicet cum corona*, nunc *triregnum*, non confundenda eſt, ut multis PAGIUS oſtendit, cum Mitra Summi Pontificis. Olim ad NICOLAUM II. erat cum unius coronae circulo; ſed dum ille Pontificia Tiara donatus eſt a. MLIX. curante HILDEBRANDO, qui poſtea GREGORIUS VII. dictus eſt, adceſſit ſerto novus circulus, atque in altero legebatur: *Corona Regni de manu* DEI; in altero vero: *diadema Imperii de manu* PETRI. Teſtificatur id BENZO *de Rebus* HENRICI III. *lib. VII. cap.* 2. BONIFACIUS quidem VIII. vulgo fertur ſecundi in Pontificia Tiara circuli Auctor; ſed gravius eſt BENZONIS hac in re teſtimonium, quam ut cludi poſſit. Fortaſſe alterum circulum, quem poſt NICOLAUM ſucceſſores intermiſerant, BONIFACIUS reſumpſit. CIACCONIUS, ALEMANNUS *in diſſ. de Parietin. Lateran. c.* 13., CATALANUS in Caerem. S. R. E. *T. I. pag.* 121. Tertium Pontificiae Coronae circulum, ex quo *Triregnum* appellata eſt, URBANO V. tribuunt; ſed illum URBANO vetuſtiorem eſſe multis confirmat Cl. GARAMPIUS *in Garfagn. ſigill. pag.* 94. *ſeqq.* Vide TITULUS IN MITRA PONTIFICIA.

TYMPANA, Campanae. MARTENE *lib.* 4. *cap.* 8. *Reponant feretrum* S. APRI *in Caſſia ſua, interim pulſentur Tympana magnae Turris*.

TINTINNABULUM, Signum, quo reddita Eccleſiae pace Chriſtiani ad collectas convocabantur. Illud *ſigni* nomine metonymice denotari BONA conjicit. Ejus mentio apud S. GREG. M. *lib.* 2. *dialog. cap.* 1. ubi de S.

BENE-

BENEDICTO. Ex minoribus porro tintinnabulis grandiora paullatim effecta fuiſſe, quae campanae dictae ſint vel ex aere campano, cui in reliquis palmam PLINIUS tribuit *lib. 34. cap.* 8. vel ex *Campania*, ubi primum ea adinventa ISIDORUS refert *lib. 16. orig. cap.* 24. nullus dubito. *Sex eſſe genera Tintinnabulorum, quibus in Eccleſia pulſatur, ſcilicet ſquillam, cymbalum, Nolam, Nolulam, ſeu duplam campanam, & ſignum* tradit DURANDUS. *Rational. Divin. Offic. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 11. additque: *Squilla pulſatur in triclinio, ideſt in Refectorio; Cymbalum in clauſtro; Nola in Choro; Nolula, ſeu dupla campana in horologio; Campana in Campanili; Signum in Turri; quodlibet tamen horum poteſt generaliter Tintinnabulum appellari*. Eadem ſigna Joh. BELETHUS *de divin. Offic. cap.* 86. diſtinguit; ſed illa paullo aliter diſtribuit. Ait enim: *Tintinnabulum pulſatur in triclinio & in Refectorio, cymbalum in choro, nola in monaſterio, nolula in horologio, campana in turribus*. Canonici Tiphernates, ut apud GARAMPIUM videre eſt in Vita B. CLARAE *p.* 198., ad refectorium a. MCCLXXXVIII. conveniebant *pulſato bacino clauſtrali*, campana ſcilicet *bacini* inſtar fuſa, niſi mavis *pulſari* revera apud eos Canonicos conſueviſſe bacinum quodpiam e metallo conflatum. V. etiam Tuba, Vas fusile. Ubi vero de ſacris veſtibus ſermo eſt, erant tintinnabula filamenta illa argentea ſtolarum, Manipulorum, ac Tunicarum extremitatibus adſuta Campanulae inſtar, quae de die etiam viſuntur in uſu. Vide GEORGIUM *de Liturg. Rom. Pont. lib. I. cap.* 20. & eumdem GARAMPIUM *in Garfagn. Sigill. p.* 85. In diverſa plane ſignificatione ſumitur tintinnabulum in MS. conſuetud. S. GERMANI *a Pratis*, ut apud MARTENE *l.* 2. *c.* 12. videre eſt: ibi enim loquentes de Mandato, ſive pedum lotione, haec habent. *Prior incipit: Mandatum novum: & tunc lavabunt pedes Prioris illi hebdomadarii, habentes aquam calidam in tintinnabulis*. Hic ſub nomine tintinnabulorum venient lebetes, ſeu vaſa fictilia, vel aenea, in quibus aqua calida ſervabatur, forte ſic dicta, quia Campanae ſimilitudinem referrent.

TITULUS, Eccleſia. PRUDENTIUS hymno 5. de S. VINCENTIO Tyrannum Sancti Martyris oſſa, ac memoriam abolere comminantem inducit,

ne plebs gregalis exolat,
titulumque figat Martyris:

Romanae tamen urbis Paroeciae Titulorum nomine paſſim apud antiquos deſignantur. Sic idem PRUDENTIUS hymn. 12. *de Coronis*.

Parte alia titulum Paulli via ſervat Hortienſis.

TITULUS CHRISTIANITATIS. Qualis eſſe conſueviſſet ejuſmodi titulus Chriſtianitatis, habes exemplum in Epiſtola Eccleſiae *Lugdunenſis*, quam recitat EUSEBIUS *hiſt. lib.* 5. *c.* 1. his verbis: *quum undique per amphitheatrum circumduceretur* ATTALUS *martyr, tabula, in qua latinis litteris haec erat inſcriptio, praecedente: Hic eſt* ATTALUS *Chriſtianus &c.* Haec ibi. Sunt de his alia in aliis Actis Martyrum exempla. Praecedere conſuevit ejuſmodi titulus, ut SVET. in CAJO *c.* 32. monſtrat his verbis: *Manibus abſciſſis, atque ante pectus a collo pendentibus, praecedente titulo, qui cauſſam poenae indicaret, per coetus epulantium circumduceretur &c.* Haec BARONIUS in Martyr. ad diem XX. Januar.

TITU-

Digitized by Google

TITULUS in Mitra Pontificia a BONANNIO, & MARANGONIO ita explicatur, ut fuerit *Lamina aurea, quae in gyro mitrae orificium ambiat*. Sed certe falluntur: ſic enim idem fuiſſet titulus, quod circulus; utrumque tamen diſertis verbis diſtinguit Caeremoniale GREGORII X., ubi notatur, *D. Papam tres mitras diverſas habere...... ſcilicet unam albam totam; unam cum aurifriſio in titulo ſine circulo, & mitram aurifriſiatam in circulo, & titulo*. Quid ergo titulus? Fortaſſis *titulus* pro tutulo ſeu Mitrae cuſpide poſitus heic eſt. Vide Cl. GARAMPIUM *in Garf. ſigil. p.* 83.

TOALEA, TOALIA, TOBALEA, TOBALIA, mantile, nobis *tovaglia* lintea, queis altaria teguntur, manus mundantur &c. Hinc *Toalia* dicitur linteum, quod ante Pontificem equitantem a Subdiacono ferebatur, ut ille os poſſet abſtergere, ſi ſpuere vellet. *Subdiaconus regionarius cum toalia, ut, cum voluerit Dominus Papa ſpuere, poſſit illo gauſape os ſuum mundare.* Ordo CENCII Camerarii. V. TUILLA.

TONNITUS, i pro *tinnitus*, eſt campanae altero tantum latere pulſatae ſonus. In *veteri Diſciplina Monaſtica pag.* 112., ubi in proceſſionibus pro tribulatione hujuſmodi aeris campani ſonum, qui in aliis praecipitur, vocaturque interdum *ſonnizatio*, prohiberi videas.

TONSURA Clericalis ita olim fiebat, ut circulus tantummodo capillorum emineret, inſtar coronae. Sic enim deſcribit GREGORIUS *Turon.* de NICETIO *Trevirorum* Epiſcopo agens: S. NICETIUS, inquit, *ab ortu ſuo clericus eſt deſignatus. Nam quum partu fuiſſet effuſus, omne caput ejus, ut eſt conſuetudo puerorum, a capillis nudum quidem cernebatur: in circuitu vero mediorum capillorum ordo apparuit, ut putares ab iiſdem coronam clerici fuiſſe ſignatam*. Hodie apud nos antiquam coronae formam ſoli fere Monachi retinent, & pueri vocales Symphoniaci. Nam brevis ille orbis in vertice, quo cleri pars magna uritur, inſolens olim, atque inuſitatus in Eccleſia fuit, ut docet canon XI. Concilii IV. *Toletani*. Hinc ut purpuram interdum pro Principe dicimus, ſic coronam pro clerico: quia haec inſigne eſt clerici, ut illa Principis. AUGUSTINUS PROCULIANO epiſt. CXLVII. *Per coronam noſtram nos adjurant veſtri: per coronam veſtram vos adjurant noſtri*.

TORSEA, Intortitium, Funale, vulgo *Torcia*: *Poſt finem Miſſae Abbas cum miniſtris ſuis, & torceis illuminatis portabit in uno magno calice Corpus Domini....... Portatur Corpus Domini conſecratum reverenter per Praelatum, ac ſi diceret Miſſam, cum Torſeis ardentibus...... Populus conſuevit habere cereos magnos ardentes, cum aliquibus Torſeis*. MARTENE *lib.* 3. *cap.* 13. & 25.

TRACTATUS; Concio apud veteres hoc nomine ſaepiſſime denotatur: Si popularis Tractatus ſit, qui ſcilicet *proferatur in populo*, ut ait S. AUGUSTINUS *Prooem. in Pſ. CXVIII.* quin ſcilicet Tractator interrogaret populum, aut interrogaretur a populo, *homilia* dicebatur: ſin vero oratio fuerit ad Oratorum praecepta conſtanti ordinis diſpoſitione ducta, ornataque, *ſermo* appellatur. Hoc *homiliarum*, & *ſermonum* diſcrimen ex PHOTIO in *Bibliotheca*, ubi de S. JOH. CHRYSOSTOMI homiliis *in Geneſim* agit, CANGIUS in *Gloſſario*, & MACER in *Hierolexico* animadverterunt.

Digitized by Google

TRACTUS aliquot verſibus, & interdum integro Pſalmo conſtat; poniturque pro *alleluja*. DURANDUS, quem ſequitur BONA, Tractum appellatum putat, *quia tractim, & cum aſperitate vocum, & prolixitate verborum canitur*. Verius SALA *Tom. III. pag.* 140., quia ad decimum uſque ſaeculum continuata ſerie modulationis ab uno tantum cantore, nullo alternatim reſpondente, canebatur. Sic enim tractim canere cantor dicitur, quemadmodum latini *tractim dicere*, *tractim ſuſurrare* ea adcipiunt, trahendo ſcilicet in longum, neque interrumpendo ſeriem orationis, ſuſurri &c. Porro tractus *Gotho-Hiſpanus* differt a *Gregoriano* in hoc, quod *Gregorianus* ſtatim ſubſequatur reſponſorium gradale, & vices ſuppleat *allelujae*, ejuſque verſiculi; at tractus *Gotho-Hiſpanorum* pro *pſallendo* canitur; quare apud eos numquam ſimul inveniuntur *pſallendo*, ſive *gradale* & tractus.

TRADITORES, ſic appellati ab antiquis Patribus illi, qui tormentorum metu ſacros Codices tradebant perſequutoribus. OPTATUS *Milevitanus*. *In Africa duo mala, & peſſima admiſſa eſſe cantat: unum in Traditione, alterum in Schiſmate*. Et in actis S. SATURNINI: *O Martyrem legis ſacrae idoneum, diligentemque cuſtodem, qui Traditorum facinus perhorreſcens, ſcripturas Dominicas ne perderet, inter ſecreta ſui pectoris collocavit!*

TRANSENNAE, lapides cratibus inſtar retis perforati, qui cancellos Eccleſiarum ornabant. Harum plures hinc illinc medio Chriſti monogrammate exciſas praeferunt Cruces.

TRANSITORIUM *Ambroſiani* vocant antiphonam illam, quae poſt Communionem dicitur, quia tunc Sacerdos ex cornu Evangelii tranſit ad partem Epiſtolae.

TRANSFIGURATIO DOMINI. Exſtat hujus miſterii feſtivitas *Hieronymiano* FLORENTINII Martyrologio, uti & *Menologio* BASILII inſcripta; immo jam ſub GREGORIO IX. fuiſſe eam a *Romana* Eccleſia celebratam invicto probat argumento BENEDICTUS XIV. *lib.* 1. *de Feſt. cap.* 15. *n.* 20. CALLIXTUS tamen III. ad implorandam adverſus *Turcas* divinam opem ann. 1457. illam ab univerſa Eccleſia celebrari juſſit; immo & officium ipſe compoſuit, ex quo poſtea PIUS V. veteres Hymnos, & ſecundi Nocturni lectiones expunxit, novaſque ſubſtituit.

TRANSLATIO *S. Domus Lauretanae*. Ejus Feſtivitas *Piceni* finibus olim continebatur. Propagata deinde fuit ann. 1719. ad *Etruriam*, & ſub BENEDICTO XIII. ann. 1725. ad omnia loca *Venetorum* Reipublicae obnoxia, & ann. 1729. ad omnes Catholici Regis ditiones; Quae in ſexta lectione ann. 1699. ſub INNOCENTIO XII. de ipſa translatione addita fuere, Cl. TROMBELLIUS multis monumentis propugnat in Vita B. M. V.

TRANSLATIO FESTORUM dicitur, quum ex conflictu duorum officiorum una ſimul eademque die occurrentium, quae ſola commemoratione peragi nequeunt, alterum (minus ſcilicet nobile) dimittitur, donec die quamprimum libera reſumatur. Vide AZEVEDO *Exercit. XIX*.

TRECANUM, Trinitatis confeſſio, quae pſallebatur. Vide SANCTA SANCTIS.

TRIANGULARE, Candelabrum tres cereos habens. *Illud Triangulare ante S. Crucem dependens accenditur*. Conſuet. *Cluniac. lib.* 1. *cap.* 11.

TRIAN-

Digitized by Google

TRIANGULUM, arundo illa, ſeu pertica, ſuper quam in Sabbatho ſancto adcenduntur tres candelae, ut ex Rubricis illius diei. *Adcipit arundinem cum tribus candelis in ſummitate illius, triangulo diſtinctis*.

TRIBUNA. Vide Absis.

TRICHORUM. Quid trichorum ſit, inquit ROSWEIDUS ad PAULLINI *ep. XII.*, non aliunde melius diſces, quam ex hoc loco PAULLINI: *Reliquiis Apoſtolorum & Martyrum intra abſidem trichora ſub altaria ſacratis*. Vult intra majorem abſidem duas alias abſides fuiſſe, ſub quibus ſingulis ſingula erant altaria, ita ut ſub tribus abſidibus tria eſſent altaria. Simili modo ANASTASIUS *Bibliothecarius* in HADRIANO: *Tres abſides in* COSMEDIN *conſtituit*. Idem in LEONE III. *Fecit in triclinio majori mirae pulcritudinis decoratam abſidam, de muſivo ornatam, & abſidas duas dextra laevaque ſuper marmore, & pictura ſplendentes*. Idem in eodem: *Cum abſida de muſivo; ſed & alias abſidas decem dextra, levaque diverſis hiſtoriis depictas*. Abſidas has videtur & conchas vocare PAULLINUS illa eadem XII. epiſtola *pag. 152. Quum duabus dextra laevaque conchulis intra ſpatioſum ſui ambitum abſis ſinuata laxetur*. Ut dixere *trichorum* de loco, ubi tres camerae erant ſeu receſſus, ita & *octochorum* templum, quod octo receſſus ſeu diverſa loca habet. Inter monumenta Chriſtiana in Theſauro Inſcriptionum apud GRUTERUM *pag. M. C. LXVI. n.* 8. habes carmen AMBROSII Mediolani in Templo S. THECLAE ad Fontem:

Octochorum Sanctos templum ſurrexit in uſus,
Octagonus Fons eſt munere dignus eo.
Hoc numero decuit ſacri Baptiſmatis aulam
Surgere, quo populis vera ſalus rediit
Luce reſurgentis Chriſti, qui clauſtra reſolvit
Mortis, & e tumulis ſuſcitat exanimes.

Ubi vides in myſterium octavi diei, videlicet Reſurrectionis Chriſti, & templum *octochorum* & Fontem octogonum excitatum.

TRICLINIUM. V. Accubitum.

TRINITATIS Sanctiſſimae Feſtum. *Feſtivitas Sanctiſſimae Trinitatis* (inquit ALEXANDER II., non III. quod legitur in corpore juris *quoniam Tit. de Feriis*) *ſecundum conſuetudines diverſarum Regionum a quibuſdam conſuevit in octavis Pentecoſtes, ab aliis in Dominica prima ante Adventum Domini celebrari*: Qua de re vide monumenta apud MARTENIUM. In *Romana* Eccleſia primus JOH. XXII., qui obiit a. 1334., decrevit, ut prima poſt Pentecoſten Dominica ab univerſa Eccleſia celebraretur.

TRIODIUM apud *Graecos* officium eſt a Septuageſima ad Sabbathum ſanctum. V. *Biblioth. Ritual. T. I. p.* 84.

TRIPETIAE, Scabellum tres pedes habens. SEVERUS SULPICIUS *Dialog. II. de Virtutib.* S. MARTINI perhibet, S. MARTINUM *in ſecretario ſedere conſueviſſe in ſellula ruſticana, ut eſt in uſibus ſervulorum, quas nos ruſtici Galli* TRIPETIAS, *vos ſcolaſtici, aut certe, qui de Graecia eſtis, Tripodes nuncupatis*.

TRIPODIUM. In antiquo Rituali S. MARTINI *Turonenſis: debent eſſe ad Miſſam reveſtiti ſex Diaconi ſimplices, & Praepoſitus, qui legit Evangelium,*

lium, *& ſex Subdiaconi*, *quinque de tertia ſtatione*; *unus de quarta*; *qui portat tripodium*, *& Praepoſitus*, *qui legit epiſtolam*, *& portat ſyon loco manipuli*. Subinde circa ordinem procedendi ad altare haec profert: *Primo clericuli* (procedunt) *poſt acolythi*, *poſt Subdiaconi*, *magiſtro Subdiacono ſtante in medio cum textu Evangelii*, *& ante illum juvenis*, *qui portat tripodium*, *& ante tripodium alius de tertia ſtatione*. Inſuper: *ſcilicet dum legitur epiſtola*, *ille qui portat tripodium*, *adfert per chorum butam cum hoſtiis*. MARTENIUS ignorare ſe fatetur, quid ſibi hoc loco velit *tripodium*. BONANNIUS perperam interpretatur *faldiſtorium*. Recte GEORGIUS *Legile*, in quo Epiſtola, & Evangelium cantabantur, intelligit, idque tota orationis ſeries ſatis confirmat.

TRIREGNUM. Vide Tiara.

TRISAGIUM duplex eſt. Unum eſt, quod *Graeci* quotidie, *Latini* ſemel in anno *Graece* ſimul, & *Latine* in magna Paraſceve concinunt; nempe *Sanctus Deus Conſtantinopoli* primum, tempore junioris THEODOSII, in Eccleſiis cani coeptum eſt. PETRUS, cognomine GNAPHEUS, Epiſcopus *Antiochenus* hymnum corrupit, adjiciendo *qui crucifixus eſt pro nobis*, quibus pietatis ſpecie, haereſim *Theopaſcitarum*, qua ipſe adfectus erat, plebi inſtillabat. Pulſo in exilio GNAPHEO, CALENDIO, ejus ſucceſſor, additamentum non ſuſtulit, ſed de ſuo adjecit: *Chriſte Rex*, & canebatur in Oriente *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Immortalis*, *Chriſte Rex*, *qui paſſus es pro nobis*, *miſerere nobis*; at in *Occidente* hymnum ſine additamentis canebant, quae tandem Canone XVIII. Concilii *quini-ſexti* ſublata ſunt, hymnuſque, etiam in *Oriente*, primaevae ſimplicitati reſtitutus eſt. Vide GRETSERUM adverſus THOMAM WEGELINUM in *Fullone redivivo*, LUPUM *ad can.* 81. *Conc. Trullan.*, *&* LE QUIEN ad DAMASC. *opuſc. de triſagio*.

Alterum eſt hymnus, quem *Epinicion* ſeu triumphalem Graeci appellant; is autem eſt, qui in omnibus Liturgiis Praefationi additur. In quibuſdam Eccleſiis nonniſi in ſolemnibus Miſſis dicebatur; at Concilium *Vaſenſe II.* ann. 529. ſanxit, *ut in omnibus Miſſis ſive Matutinis*, *ſive Quadrageſimalibus*, *vel quae in Defunctorum commemorationibus fiunt*, *ſemper* Sanctus, Sanctus, Sanctus *eo ordine*, *quo ad Miſſas publicas*, *dici debeat*. Licentia, quam ſequioris aevi Religioſi ſibi inconſulto adrogarant, quibuſdam verſibus interpolatum canebatur, de quibus adeundus BONA *lib.* 11. *Rer. Liturg.* *Sanctus* olim non a Choro, ſed a populo canebatur tam in *Hiſpania*, quam in *Gallia*: hine Miſſale *Mozarabum* in oratione *poſt Sanctus* Dom. V. Quadrageſimae dicit, quod hymnus iſte triumphalis in coeleſtibus ſine defectu *pſallitur ab Angelis*, *& hic ſolemniter decantatur a populis*. Hinc etiam S. GREGORIUS *Turonenſis de mir.* S. MART. *lib.* 2. *c.* 14. ſcribit: *ubi expedita conteſtatione omnis populus* Sanctus *in Dei laudem proclamavit*. Mos idem in *Oriente* teſtibus S. CHRYSOSTOMO *hom. in Seraph.*, S. GREGORIO NYSSENO *orat. de non differend. baptiſm.*, *Conſtitutionibus Apoſtolicis lib.* 8. *cap.* 12. & Liturgiis paſſim: quamvis modo etiam in Oriente *Sanctus* a choro canetur; nec tantum *Latine*, ſed etiam *Graece Gotho-Hiſpani* hymnum triumphalem canant; quod etiam in *Gallia* obſervatum eſſe credibile eſt. Neque

Digitized by Google

Neque obſtat, quod GREGORIUS *ſupra citatus* dicat populum in Dei laudem *Sanctus* cantaſſe, non enim negat *αγιος Graece* etiam fuiſſe cantatum.

TRIUMPHALITER, ſolemni ritu & cantu. *Vet. diſcipl. Monaſt. pag. 62. 66. & 82.*

TROPONARII, TROPARII, TROPERII libri, nempe libri Troporum. De *Troponario* meminit DURANDUS *lib. VI. cap. 1.* ac etiam BELETHUS *cap. 59.* Aliquot praeterea *Troponaria*, ſeu *Troparia*, vel *Troperia* memorat CANGIUS. Hujuſmodi denique nomina inter libros Liturgicos invenies in deſcriptione theſauri S. PAULLI *Londinenſis*, A. D. 1296. confecta. Non confundendi Troparii noſtri cum Tropariis *Graecorum*. Troparium enim apud *Graecos* modulum proprie ſignificat, at frequenter pro cantibus, & hymnis ſumitur. ALLATIUS, ubi deſcribit librum Eccleſiaſticum *Graecorum*, quem *Octoecum* appellant, ita hujuſmodi librum dictum docet, quod octo tonos contineat. Muſica enim Graecorum, (ALLATIUS ait) tonos quatuor, qui ab eis *ſoni* vocantur, proprios habet, primum, ſecundum, tertium, & quartum; quatuor item obliquos, ideſt obliquum primi, obliquum ſecundi, obliquum tertii, & obliquum quarti. Canones, ſive Troparia, & quaecumque aliae cantiones in *Octoecho* ita ſunt diſpoſitae, ut quae primo tono concinuntur, omnia ſimul primum locum obtineant; quae ſecundo ſecundum, & ſic de ſingulis, donec ad obliquum quarti perveniatur, qui inter tonos poſtremo eſt loco, & cantiones eo modulatae, & commenſuratae ad extremum reponuntur. Continet *Octoechus* ſolummodo *Troparia*, & *Canones*, quia primis Veſperis Dominicae ad finem uſque Miſſae canuntur. Et octo Dominicis pro tonorum numero finitur. Singuli toni tres habent Canones, ſeu Troparia. Primum dicitur *Anaſtaſimon*, & canitur in Reſurrectione Chriſti. Secundum *Stauroanaſtaſimon* de Cruce Chriſti. Tertium de laudibus B. Virginis MARIAE. Haec, inquit ALLATIUS, in Octoechis antiquis habebantur. In Triodio quoque, & aliis libris *Graecorum* Troparia ſunt, ut in Horologio, & in Hirmologio. Hirmus, docente ALLATIO, eſt Hymnus, ſive *Troparium*, a quo reliquorum Tropariorum, quae in Ode canerentur, conſequentia, & ſeries ducebatur. At quid inter *Hirmum*, ac *Troparium* interſit, diſputat Card. QUIRINUS in diſquiſit. *De Hymnis Quadrageſim. Graecor.* Denique liber *Graecorum* muſicalis, ordine viceſimus primus ab ALLATIO recenſitus, & ab eo *Cecragaria* appellatus, varia Troparia, & Pſalmos, aliaque in divinis officiis, & Liturgiis cum notis muſicis cantari ſolita complectitur. Quum igitur *Troparium*, ut dictum eſt, modulationem, & cantilenam proprie ſonet, Tropi vox, quae legitur in Regula ſanctorum PAULLI, & STEPHANI Abbatum *cap. XIV.*, de canendi ratione cum GEORGIO adcipienda eſt, non de Tropis, ſeu cantiunculis, quae ad Miſſam quandoque praemittebantur. *Ne quae, verba regulae ſunt, cantanda ſunt in modum proſae, quaſi in lectionem mutemus; aut quae ita ſcripta ſunt, ut in Ordine Lectionum utamur, in Tropis, & cantilenae arte, noſtra praeſumptione vertamus.*

TROPUS, verſiculus quidam eſt, qui JOHANNIS BELETHI, & DURANDI temporibus diebus ſolemnioribus ad majus gaudium repraeſentandum nunc immediate ante Introitum canebatur, nunc ipſi intermiſcebatur,

una

una parte chori Tropum; altera introitum concinente. Vide BONAM *lib.* 2. *cap.* 3. §. 2. & GEORGIUM de Liturg. R. P.

TUBA. Ejus ſonitu Monachi ad collectas convocabantur S. PACHOMII juſſu. Ejuſdem meminit CLIMACHUS *Grad.* 19.

TUGURIUM. Fiſtula ad hauriendum Sanguinem e Calice. *Quando communicaverit Diaconus, ipſe adcipiet calicem, & feret ſuper Altare matutinale, & conventus ibit illuc potum cum tugurio argenteo.* MARTENE *lib.* 3. *cap.* 15. V. Calamus, Fistula.

TUILLA. Tobalea, Sindon, Mappa &c. *Sacriſta extendit pallium, & unam tuillam ſuper Corpus Domini, & cereum coram eo accendet.* MARTENE *l.* 3. *c.* 12.

TUMULUS. Vide Sepulcrum.

TUNICA, quae in Miſſa ILLYRICI, & in *Gemma animae ſubtile* dicitur, *ſubucula* ab AMALARIO, inter Epiſcoporum indumenta in ordine *Romano* percenſetur. Eam coccinei coloris fuiſſe BONA conjicit; hyacinthini idem AMALARIUS vocat. In Miſſa RATOLDI apud MENARDUM dicitur *gyris in tintinnabulis mirifice refecta*. Vide Tintinnabulum. Tunica eſt etiam Alba, ſeu linea camixia. *Tunica*, inquit vulgatus ALCUINUS *cap.* 38., *linea veſtis erat interior, quam* CAMISIAM *dicimus, vel ſupparum*. Et mox: *Pro qua* (tunica) *nunc Sacerdotes, vel Clerici* ALBAS *habent*.

TUNICELLA. Saepe Subdiaconalem veſtem ſignificat; in libris vero Pontificalibus XIII., & XIV. ſaeculi etiam Tunicam Epiſcopalem, de qua ſupra.

TURRIS, TURRICULUM, Vas in quo Euchariſtia adſervabatur. De his GREGORIUS *Turon. de Glor. Martyr. lib.* 1. *cap.* 80., ANASTASIUS in INNOCENTIO I. & S. HILARO Summis Pontificibus, S. REMIGIUS *Remenſis* Antiſtes, ac AREDIUS Abbas *Attanenſis* in ſuis teſtamentis. HUGO Abbas *Fontanellenſis*, qui obiit ann. D. 730., dedit coenobio *Fontanellenſi calicem* AUREUM, *& patenam* AUREAM *penſantem libras quatuor uncias duas*, TURRICULAM AUREAM *penſantem libras ſex*. Vide CANGIUM in notis ad PAULLUM *Silentiarium cap.* 62. ubi tradit, ſupereſſe adhuc in *Galliis* apud quaſdam Eccleſias antiquiſſimi hujus moris veſtigia; nam ſolemnioribus diebus Euchariſtia TURRICULIS *aureis, vel argenteis* incluſa, populo ſpectanda, & adoranda proponitur in editiori Altaris, ſeu tabernaculi loco.

TUTO: *Tutare candelas, lampades &c.* ſignificat eas extinguere. Gallice *Tuer les chandeles*. Haec vox ſaepe legitur apud MARTENE, & praecipue ex Ordinario *Corbejenſi*: *Quum incipit Cantor primam Antiphonam, ſit Cuſtos paratus, & tutat unam lampadem: quum audieris ſecundam Antiphonam, tutat aliam: in ſecundo quoque Nocturno ipſum ordinem tutationis obſervet*. In appendice quoque *Ordin. Rom.* 1. *cap.* 1. ubi de Matutinis tenebrarum: *Lumen autem Eccleſiae ab initio cantus Nocturni inchoatur extingui, hoc tamen ordine, ut ab introitu ipſius Eccleſiae incipiat paullatim tutari &c.*

TYPHUS, latine fumus, *a* τυφόομαι, *ſuperbio, quaſi fumus elevor*. GREGORIUS ait in Lect. 2. Noctur. Dominica tertia poſt Penteceoſten: *aliud eſt quod agitur typho ſuperbiae, aliud zelo diſciplinae*, uti vetus editio habet.

TYPI-

TYPICUM Ordo eſt apud *Graecos* recitandi Divini Officii. Vide *Biblioth. Ritual. Tom. I. pag.* 79. Typica quoque Graeci vocant Pſalmos 102. & 145., quos inter Miſſarum ſolemnia diebus, etſi non omnibus, canere ſolent.

V

VAS DOMINICUM, Calix. Concilium enim *Arelatenſe* ann. 314. *can.* 13. Sacros calices *Vaſa Dominica* nominavit.

VAS FUSILE, VAS PRODUCTILE, Campana. STRABO *rer. Eccleſiaſt. c.* 5. *De vaſis fuſilibus, vel etiam productilibus, quae ſimpliciter ſigna vocantur, quia eorum ſonoritate quibuſdam pulſibus excitata ſignificantur horae, quibus in domo Dei ſtatuta celebrantur Officia &c.*

VASCULUM: *Pyxis, Patena, Scutella &c. Sacerdos dicat Orationem .... vertat ſe ad dextrum cornu Altaris, & poſita ibi patena cum hoſtiis, ſumat hoſtiam de vaſculo praeparato a Diacono: vaſculum autem illud ſuper Altare dimittatur, uſque poſt Miſſam. Uſus Ciſterc. cap.* 53.

VATES, Epiſcopi antiquitus dicti, ac praecipue Romani Pontifices. Confer MAZOCHIUM *in Kalend. Neap. Tom. III. p.* 771.

VEGLONES, *Vegloniſſae, qui & ſchola* S. AMBROSII nuncupantur in Liturgia *Ambroſiana*, ſunt de Corpore Capituli Metropolitanae; Proceſſionibus interſunt proprie ſub Cruce &c.

VELA. Plura hoc nomen ſignificat; nempe 1. aulaea, ſeu periſtromata, quibus Eccleſiae parietes ornantur. Vide BONAM *lib.* 1. *cap.* 25. §. 13. Huc ſpectant vela ad fores Eccleſiarum ſuſpendi ſolita, in quibus Martyrum nomen, aut imago adpicta erat. S. PAULLINUS *Nol.* carm. 18.

Aurea nunc niveis ornantur limina velis:

ANASTASIUS in LEON. III. *fecit vela alba holoſerica majora tria, quae pendent ante regias* (portas) *in introitu*. Vide ROSWEYDUM ad PAULLINI carmen XVIII.

2. Siparium, ſeu cortinam, quae ante portas Sanctuarii a *Graecis* adpendi ſolet.

3. Velum, ſeu cortinam, quae olim apud *Latinos* inter chorum, & presbyterium, ubi chorus in medio Eccleſiae ante altare, & presbyterium ſitus eſſet, quadrageſimali tempore expandi conſuevit.

4. Velum, quo calix operitur. *Graeci* tribus velis ſacra tegunt; uno diſcum, altero calicem, tertio, eoque majori utrumque ſimul. Hoc *aerem* vocant, quia veluti aer circa terram expanſus ſacra dona ambit.

5. Velum oblongum, quod etiam fanonem, offertorium, & velum offertorii vocant; illudque eſt, quod hodie pendet e collo Diaconi, quum offert calicem Sacerdoti, & Subdiaconus adhibet, quum tenet patenam, quam Diacono porrigit circa orationis Dominicae finem.

VENIA: Genuflexio, genuflectere, inclinare &c. *Diſcooperta Cruce, & incoepta Antiphona: Ecce lignum Crucis, omnes petunt veniam ſuper genua. Incoepta Antiphona Super omnia ligna &c. Iterum venia ab omnibus petitur.*

Con-

Conſuetud. S. BENIGNI *cap.* 68.

VERSUS a vertendo dicitur: unde *Verſum Cantantes* ſe verſus Altare vertunt; ut ſi forte mens noſtra evagata fuerit, dum Verſum audimus, ad Deum excitemur: hinc finitis Pſalmis Nocturnorum, ante Lectiones dicuntur; ut ſi ex ſeſſione inter canendum pigri facti ſimus, excitemur, & ad Deum per Verſum corpore & animo convertamur. Inter verſus exſtat VERSUS APERITIONIS, nempe *Domine, labia mea aperies*. MAGISTER *in Regul. cap.* 44. *Oportet in Nocturnis dici verſum aperitionis*.

VESPERAE. Hoc officium *Veſpera* dictum eſt a *ſidere*, *quod Veſpera vocatur, & decidente ſole oritur, eo quod tunc temporis celebraretur*. Dicitur tamen Euchariſtia, ſeu gratiarum actio a S. BASILIO *in regulis fuſius diſputatis cap.* 17. eo quod ad referendas pro beneficiis a Deo per diem acceptis gratias inſtitutum praeſertim ſit. Sancto autem GREGORIO NYSSENO in Vita S. MACRINAE *Lucernalis eſt gratiarum actio:* aliis vero *Lucernarium, officium Lucernarum, Lucernalis* hora; quia valde ſero recitabatur, & cerei, necnon Lampades ad hoc officium accendebantur. Vide LUCERNARIUM. Porro Veſperarum officium ſemper fuit habitum, tamquam omnium diei Horarum ſolemniſſimum, reſpondebatque veſpertino ſacrificio, quod Deus ab *Hebraeis* fieri volebat. Hi vero thus ardens offerebant; quare ad Veſperas circumfertur, quemadmodum & ad Laudes, quae Matutinum *Hebraeorum* Sacrificium referunt. Adcedit, quod Veſpere Chriſtus coenae ſacrificium inſtituit; adeoque congruum fuit, ut Eccleſia in veſpertini hujus ſacrificii honorem Veſperas adeo ſolemniter celebraret. Praeterea nemo neſcit, *Judaeos* Feſtorum initium a Veſpere duxiſſe: *A Veſpera ad Veſperam:* unde Eccleſia ritum *Judaeis* a Legislatore ſuo praeſcriptum quodammodo imitata, Feſta ſua a Veſperis vigiliae incipit; qua ratione ſolemnius peraguntur. Hinc Concilium *Agathenſe* jubet *Can.* 30. *ut Hymni Matutini, & Veſpertini diebus omnibus celebrentur*. Refert etiam AMALARIUS, duo ſe adoleſcentem animadvertiſſe cum noſtris communia; alterum, primas Feſtorum Veſperas magis ſolemnes fuiſſe, quam ſecundas, atque Antiphonas, & Pſalmos proprios recitatos fuiſſe; in ſecundis vero Veſperis Feriae proprios: alterum, frequentiorem primis Veſperis adſuiſſe populum, pluresque cereos, quam in ſecundis adcenſos fuiſſe; quare ad ſecundas Veſperas Feſtum jam elapſum, neque eas ad illud amplius pertinere cenſuiſſe veteres. Veſperis finitis, dabatur Benedictio, quemadmodum & ad aliorum officiorum finem. Et quidem Epiſcopi ad noſtra tempora ſolent poſt Laudes, & Veſperas, quum rem divinam faciunt, Benedictionem impertiri, ſanciente Concilio *Agathenſi Can.* 3. *Plebs collecta oratione ad Veſperam ab Epiſcopo cum Benedictione dimittatur*, quem morem S. CAESARIUS *Arelatenſis* exequutioni mandabat, uti legitur in ejus Vita: *Quum expleto Lucernario Benedictionem populo dediſſet*. Vide EUCHARISTIA.

VESPERTINUM, pars Veſperarum. Concilium *Emeritenſe can.* 2.

VESTARARIUS, VESTIARIUS, qui veſtium, ac theſauri Pontificii curam habebat. Erat etiam officii genus in domo privatorum. JOH. *Diaconus* prodit, S. GREGORIUM in ipſa juventa, dum eſſet in monaſterio S. ANDREAE *ad Clivum Scauri*, duabus vicibus Angelo egentis habitu ſtipem

Digitized by Google

ſtipem quaeritanti, pecunia per manum *Veſtiarii* data, opem tuliſſe. At collegium quoddam Veſtiariorum in *Romana* Eccleſia inſtitutum fuiſſe, certum eſt, quorum moderator *prior Veſtiarii* dicebatur. Siquidem HADRIANUS I. Ann. D. 772. priorem Veſtiarii S. R. E. Judicem pro cauſſis monaſterii *Farfenſis* deſignavit, edito diplomate, in quo haec praecepit: *Conſtituentes ex noſtri perſona* MICCIONEM *notarium regionarium, & PRIOREM* VESTIARII SANCTAE ECCLESIAE, *atque ejus omnes ſucceſſores Apoſtolicae Sedis Veſtiarii priores, ut quoties quacumque cauſa veſtro monaſterio adceſſerit, confeſtim ad eos omni tempore monachi, atque miſſi ipſius monaſterii adveniant, ſuaſque illius referant cauſſas, & ab ipſis* PRIORIBUS VESTIARII *proprias juſtitias recipiant*. Veſtararii Eccleſiae *Romanae* mentio fit a JOHANNE VIII. in epiſtola ad ANGELBERTAM Imperatricem, ſcripta A. D. 874. ubi conqueritur, MAURINUM quemdam *Ravennam* ingreſſum, cuncta rapuiſſe, atque devaſtaſſe, *adeo ut claves civitatis Ravennae* a VESTARARIO NOSTRO *violenter ſubtraheret*. Exſtat de *Veſtarario* Rom. Eccleſiae, qui & *Veſtararius Dominicus* appellabatur, egregia diſſertatio Cl. P. Abbatis GALLETTI *Benedictini*, nunc Cyrenenſis Epiſcopi.

VESTIARIUM, locus, in quo gaza ſacra Pontificum, nimirum vaſa, & ornamenta pretioſa aſſervabantur, ut palam eſt ex his Ordinis Romani 1. verbis: *Diebus vero feſtis calicem, & patenam majores, & Evangelia majora de veſtiario dominico exigunt ſub ſigillo Veſterarii per numerum gemmarum, ut non perdantur*. Veſtiarium quoque Sacrarium eſt, ac Sacriſtia. MENARDUS *pag.* 273. *Sacerdos in Veſtiario, ceterique Miniſtri ſanctis veſtibus juxta ordinem induantur*. Et alibi. *Ductus eſt* EBBO *Epiſcopus in veſtiarium, & indutus Pontificalibus Veſtimentis*. Adcipitur praeterea ea vox pro neceſſariis ad veſtes comparandas ſumptibus. Hoc ſenſu BENEDICTUS *Romanus* Ordinis ſui n. 52. apud MABILLON. *Nota quod, quia ſemper, quum Dominus Papa coronatur ad* S. PETRUM, *adcipiunt Canonici pro* PRESBYTERIO *octo ſolidos lucenſes, & decem ſolidos pro veſtiario*.

VESTIBULUM, atrium, porticus Eccleſiae.

VESTIS. De perantiquo diſtribuendarum veſtium uſu inſigne monumentum ſuppeditat ANASTASIUS in LEONE IV. Nunc etiam Clericis Romanae Curiae denarii praebentur aliquando, veſtibus quondam diſpenſari conſuetis per aliquot ſolemnitates ſubrogati. Ejuſmodi ſunt, qui diſpenſantur occaſione Sacr. Canonizationum. Inſuper pro renovandis ſuperpelliceis Caeremoniarii Sedis Apoſtolicae, aliique in celebritate benedictionis Agnorum Dei pecunia ſimiliter donantur.

VESTIS CAMISIALIS, Superpelliceum de Presbyteris, dum Miſſam celebrant, deque Clericis Altari deſervientibus. Audi verba Concilii *Colonienſis* A. D. 1260. *Sacerdotes autem ipſi quotieſcumque celebraturi ſunt Miſſam*, VESTE CAMISIALI SUB ALBIS *non careant, ne* ALBAM, *quae conſecrata eſt veſtis, ipſorum tunicae valeant immediate contingere, nec ipſae tunicae apparere*. In eodem Concilio mox ſubjicitur, ut *Campanarii Eccleſiarum, quorum ſervitus, ſive onus circa altare verſatur, numquam abſque* VESTE CAMISIALI *compareant*.

VEXILLUM, *Vexilla*: Uſus ferendi Vexilla in Proceſſionibus antiquiſ-

ſimus eſt, & eorum frequens mentio apud Scriptores: LANFRANCUS in ſtatutis Rogation. *Procedunt famuli cum Vexillis*. Item de Rogationibus Conſuetudin. *Divionen. Armarius incipit Antiphonam De Jeruſalem, Famuli Vexilla deferunt*. Et de die Adſcenſionis *Floriacenſes*: *Praeeuntibus Vexillis cum Oratione &c.*

VIATICUM apud Veteres Sacramentalem Abſolutionem ſignificabat. *Arauſicanum* Concilium can. 3. *Qui recedunt de corpore poenitentia adcepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eis communicari, quod morientis ſufficit conſolationi, ſecundum definitiones Patrum; qui hujuſmodi communionem congruenter Viaticum nominarunt. Quod ſi ſupervixerint, ſtent in ordine poenitentium, & oſtenſis neceſſariis poenitentiae fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione percipiant*. Et Can. 12. *Subito obmuteſcens, prout ſtatus eſt, baptizari aut poenitentiam adcipere poteſt, ſi voluntatis aut praeteritae teſtimonium aliorum verbis habet, aut praeſentis in ſuo nutu*. *Gerundenſe* porro *Can*. 9. ita ſtatuit; *ut qui in aegritudine poenitentiae benedictionem, quam Viaticum deputamus, per communionem acceperit, & poſtmodum reconvaleſcens caput poenitentiae in Eccleſia non ſubdiderit, ſi probibitis vitiis non detinetur obnoxius, admittatur ad Clerum*. Viatici haec appellatio ab *Nicaeno* Canone XIII. manavit, quem ſic vertit DIONYSIUS: *De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua, regulariſque ſervabitur, ita ut ſi quis egreditur e corpore, ultimo & neceſſario Viatico minime privetur. Quod ſi deſperatus, & conſecutus communionem, oblationiſque particeps factus iterum convaluerit, ſit inter eos, qui communionem orationis tantummodo conſequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi communionis gratiam tribui, Epiſcopus probabiliter ex oblatione dare debebit*. Vel, ut alia habet editio, *Epiſcopus cum examinatione oblationem impertiat*. In prima Canonis parte praeſcribit, ut moribundis *ultimum maximeque neceſſarium Viaticum non negetur*. In poſteriori, ut oblationem non temere, neque ſine probatione, cuivis etiam morituro concedat. Eſt igitur diverſa illa communio, & reconciliatio, quae promiſcue, ac citra majorem delectum indulgetur omnibus ab altera, cui tanta cautio, animadverſioque praefinitur. Nimirum prior ſolam peccati remiſſionem, & abſolute neceſſarium moribundis Viaticum oſtendit: poſterior, obligationis jus, & Euchariſtiae. Unde colligas cum PETAVIO in Diatriba *de Poenit.* ad SYNES. cap. 2. ſolam nonnumquam abſolutionem peccatorum morituris etiam fuiſſe conceſſam, Euchariſtiam vero denegatam. Vide RECONCILIATIO. Nunc paſſim *Viatici* nomine Euchariſtiam, quae ad moribundos defertur, intelligimus. Vide ſupra INFIRMORUM COMMUNIO.

VICARII PAPAE, Cardinales Epiſcopi Suburbicarii olim dicebantur, quod Romani Pontificis in Sacra Liturgia ad *Lateranenſem* Baſilicam vices egerant.

VICEDOMINIUM, aedes Vicedomini in *Lateranenſi* Patriarchio. ANASTASIUS in STEPHANO IV.

VICEDOMINI. Erant Clerici, & familiae Epiſcopalis rectores, & Epiſcopum in multis ſublevabant. Eorum munus quoque S. GREGORIUS aperit: *Volumus*, inquit, *ut* PASCHASIUS *frater noſter* (Epiſcopus *Neapolitanus*)

Digitized by Google

litanus) & Vicedominum ſibi ordinet , & Majorem domus , quatenus poſſit , vel hoſpitibus ſupervenientibus , vel cauſſis , *quae eveniunt , idoneus* , & *paratus exiſtere*. Alius ergo Major domus erat , alius Vicedominus , quemadmodum adverſus MAURINOS *Gregorianorum* operum editores, & VIGNOLIUM monuit GALLETTUS *de Primicerio p. 3.* Eligebantur autem a ſummis Pontificibus aliquando ex clero Romano , & aliquando ex ordine Epiſcopali . Sic ipſe S. GREGORIUS Diaconum ANATOLIUM ſibi Vicedominum conſtituerat ; VIGILIUS AMPLIATUM Presbyterum ; ZACHARIAS BENEDICTUM Epiſcopum. Nunc tamen Major domus paſſim vocatur . Vide BROWERUM ad *Annal. Trevirenſ. lib. VIII. & XII.*

VIGILIAE NOCTURNAE. Tantus olim erat Chriſtianis ardor caritatis , ut quater noctu ſurgerent ad orationem, ſeu divinum Officium recitandum : prima Vigilia ad primum Nocturnum : ſecunda ad ſecundum : tertia ad tertium : quarta ad Laudes. Quare primo , & ſecundo ſaeculo nihil ſolemnius erat Ethnicis, quam, uti referunt JUSTINUS , & coaevi Scriptores , calumniis promiſcui inceſtus , infanticidii , & idololatriae Chriſtianos exagitare. Hoc tamen exemplum nedum ab Apoſtolis acceperant Chriſtiani , ſed ab antiquis Patribus ; DAVID *media nocte ſurgebat ad confitendum Domino* , ISAIAE *anima deſiderabat* Deum in *nocte* : hinc *in noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum*. Quapropter S. PAULLUS, & SILAS in vinculis detenti totam noctem orabant . TERTULLIANUS *lib. 2. ad uxor.* eam monet , *quum per noctem exurgis oratum , ... meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe* . S. HIERONYMUS ad EUSTOCHIUM Virginem ſcribens ipſam edocet : *Noctibus bis , terque ſurgendum* ; in Epiſtola vero ad SABINIANUM teſtatur , noctu totam Eccleſiam Hymnis , qui in Chriſti honorem decantantur , perſonare . Teſtis eſt alter locupletiſſimus S. AMBROSIUS ajens in *Pſalm. 118. Simul ad orandum noctu nobis ſurgendum eſſe* ; quarum quidem Vigiliarum *Mediolani* fieri ſolitarum S. AUGUSTINUS in eumdem *Pſalm. 118.* expreſſe meminit ; quocirca vel deceptus eſt , vel decipere nos voluit Auctor *Serm. ad Fratres in Eremo* ſcribens , S. MONICAM S. AMBROSIO ſuaſiſſe , ut nocturnas Vigilias aboleret , quum ex eodem S. AUGUSTINO compertum ſit , Catholicos aſſidue *Mediolani* Vigiliis ARRIANORUM cauſſa adeſſe ſolitos fuiſſe : quin ex PAULLINO Presbytero conſtat , *hoc tempore Vigilias in Eccleſia Mediolanenſi* celebrari coepiſſe ; atque ad *Mediolanenſis* Eccleſiae exemplum a ceteris *Occidentis* Eccleſiis ſervatas fuiſſe . Namque idem S. PAULLINUS in Vita S. MARTINI *lib. 3.* teſtatum facit, morem hunc in univerſa Eccleſia fuiſſe receptum :

. . . Vigil ocyus omnis
Turba ad conſuetos pſalmos , modulamina dulcia
Advolat , & ſanctis ſolatia quaerit in hymnis ,
Quae pellent ſegnes vulgato corpore ſomnos .

Ac quidem *Conſtantinopoli* S. CHRYSOSTOMUS ex PALLADIO Fideles Laicos exhortabatur Vigiliis nocturnis in Eccleſia inſiſtere ; nam , uti Sanctus Doctor ait *hom. 26. in Act. Eccleſia Dei mediis ſurgat noctibus*. In *Africa* vero ex VICTORE VITENSI lib. 2. *jam ob celebritatem Feſtivitatis Hymni nocturni per totam Eccleſiam , canente populo , concrepabant .*

Morem tamen adeo ſanctum veterum Chriſtianorum Feſtis ſolemnibus; atque Dominicis per noctem ad orandum conveniendi, cum Imperatorum Ethnicorum metu nocturnos conventus extra Urbem, atque in Coemeteriis habere cogerentur, impudenti temeritate damnarunt VIGILANTIUS, ideo DORMITANTIUS a S. HIERONYMO, qui eum confutat, dictus, WICLEFF, & recentiores Novatores, quibus nihil antiquius, quam teporem in Chriſtianorum animos invehere. POLYDORUS VIRGILIUS *lib. 6. cap.* 4. temerario auſu pronunciat, nocturna ſacra ſemper fuiſſe damnata ob periculum impudicitiae. Aſt ſupinum illius errorem invicte refellunt frequentes pernoctationes, vulgataque pietas primorum Chriſti cultorum, quos etiam utriuſque ſexus in Eccleſia noctu ſimul & una conveniſſe ſancti Patres commemorant. Equidem diu poſt pacem Eccleſiae reſtitutam Laicis penitus interdictae fuerunt vigiliae, quae a Chriſtianis ob neceſſitatem ſimul, & pietatem fuerant inſtitutae. Verum nihil mirari ſubeſt, quod ubi Eccleſiae tranquillitas adſerta fuit, hominum diſſolutorum mores liberius luxuriati incommoda in vigilias ſacras injecerint. Concilium *Eliberitanum* mulieribus eas frequentare vetuit, *Altiſſiodorenſe* poſtea omnibus Laicis: *Non licet .... nec pervigilias in Feſtivitatibus Sanctorum facere*. In eamdem ſubinde conceſſere ſententiam plures Epiſcopi, variaque Concilia Provincialia, quod nimirum, refrigeſcente caritate, plurimi, iique ſceleſtiſſimi uſus in vigilias irrepſiſſent. Enimvero fuiſſe alicujus ſummi Pontificis decreto ſublatas non liquet; & qui earum mentionem toties feciſſet S. AMBROSIUS, ſi BONIFACII I. juſſu exoleviſſent? Sola itaque Natalis Chriſti vigilia populis ad haec tempora permittitur, quae & Paſchatis tempore diu viguit, uti colligitur ex praefatione, quae hodienum Sabbatho in anteceſſum abſolvi ſolet: *In hac potiſſimum nocte*. Ceterae ſolemnibus diebus fieri ſolitae vigiliae fuere antiquatae, nihilque praeter jejuniorum conſuetudinem relictum. Unde cum haec immutatio jampridem, ſeu juxta quoſdam Auctores ſaeculo ſexto contigerit, recentiores ſolemnitates, atque vel ipſius Corporis Chriſti feſtum nullas ſortitae ſunt vigilias.

Attamen Clerus noctis vigilias ſemper ſervavit; ita de ſe GREGORIUS TURONENSIS *lib. 3. Hiſt. cap. 6.* memoriae proditum voluit: *Nos media nocte ſurgentes ad reddendas Domino gratias ingreſſi ſumus explorare curſum*. Idem affirmat FORTUNATUS de S. GERMANO *Pariſienſi* Epiſcopo: *Ad nocturnas preces ...... Eccleſiam quacumque aeris intemperie frequentabat, vigiliis indefeſſus*. Quin Eccleſia *Pariſienſis* vigiliarum uſum ad annum 1358. conſtanter retinuit. *Tunc autem Canonici poſt Completorium*, inquit NANGISII Continuator, *ſuas cantarunt celeriter matutinas, quas antea conſueverant hora noctis mediae, ſignis ſolemniter pulſatis, devotius perorare*. In *Italia* RATHERIUS Epiſcopus *Veronenſis* Clericos ſuos hortabatur: *Omni nocte ad Nocturnos ſurgite*: LEO IV. in hom. ad Parochos: *Omni nocte ad nocturnas Horas ſurgite, & curſum veſtrum horis certis decantate*. Ceterum potiſſima Monachorum pars etiamnum Matutinum Officium noctu abſolvit, & in pluribus Ordinariis *Benedictinis* praeſcriptum eſt, ut Matutinum media nocte aeſtivis Dominicis recitetur, quo Laudes, Aurora exoriente, peragi poſſint.

VIGILIAE quod ad Officium ſpectat. Vigiliae vox a vigilando derivatur,

rivatur, eo quod priſcis Eccleſiae temporibus ſolerent Fideles in praecipuis Feſtivitatibus noctem in Eccleſia Divinis laudibus conſecrare, ut modo vidimus. Enimvero cum Feſtorum Officium in tres Nocturnos divideretur, plus ſolito erat vigilandum, ipſi etiam populo, qui ſecundo ſaltem Nocturno intererat. Chriſtiani etiam per plura ſecula praecipuorum Feſtorum noctibus, in Templis vigilantes ibi officium recitabant, poſthac Miſſae aderant; ſicuti hodienum in quibuſdam Eccleſiis fit in Patroni Feſto, & univerſim in Natalis Chriſti diei vigilia. Quum vero circa undecimum ſaeculum abolitae ſunt vigiliae, iis jejunium ſuffectum fuit die praecipue haec Feſta praecedente, qui *Vigilia* proinde appellatur, quod eo die Miſſa celebretur, quae antea noctu dicebatur. Feſtis ſiquidem iſtis noctu, atque diu factum fiebat, veluti die Natali Chriſti tres abſolvuntur Miſſae, quarum tertia *Romanae* Eccleſiae peculiaris erat propter ſtationem, quae in Eccleſia S. ANASTASIAE in Urbe peragebatur. Hinc celebritates, poſt ſublatas e medio vigilias, treſque Nocturnos in unicum Officium coactos, Matutinum videlicet cum Laudibus, inſtitutae nullas habent vigilias, qualia ſunt Feſta Beatae Virginis, Adſumptione excepta, Dedicationis, & Corporis Chriſti. Quocirca Vigiliis hiſce ita immutatis ſola Miſſa ad Feſtum pertinebat; quare in ea non dicimus *Flectamus genua*, ſicut ceteris jejunii diebus, tum quod olim circa tertiam horam pomeridianam ante Nonam celebraretur, quo tempore jejunium terminabatur; tum quod Miſſa de die ſequenti eſſet, neque amplius genua eſſent flectenda. Quum vero ante S. PII V. tempora Miſſa ſola Vigiliis iſtis diceretur; addidit ille feriali officio Homiliam in Evangelium, quod ad Miſſam legebatur, & Collectam; antea enim univerſum officium de feria deſumebatur. Addantur heic *Vigiliae pro Defunctis*, ideſt Veſperae, & Matutini. Mſ. Conſuetud. S. DIONYSII apud MARTENE lib. 3. cap. 24. *Poſt Veſperas fiat vigilia pro fratribus, & benefactoribus. Ad vigilias Invitatorium: Regem cui omnia vivunt...... Poſt hoc celebretur vigilia Regis, ideſt Anniverſarium.*

VIMPLA, *Guimpla*, & *Impla* in Miſſali *Mozarabum* eſt velum, quo calix tegitur, ſed aliquando velum majus eſt, quod humeros Sacerdotis, & ſimul pyxidem ſacram tegit, cum Euchatiſtiam defert, & quod aliquibus in locis *ſuperhumerale* dicitur.

VIRGA, Baculus Paſtoralis. SIMEON DUNELMENSIS in Hiſtoria *De geſtis Regum Angliae*, dum Concilium *Remenſe* habitum ann. D. 1119. commemorat, inter cetera tradit: *Numeratae ſunt ibi perſonarum paſtoralium* VIRGAE *quadrigentae viginti quatuor:* Quod autem hoc loco *Virgae* nomine, *baculus* paſtoralis veniat, apparet ex codice UDALRICI *Bambergenſis*, quem JO. GEORGIUS ECCARDUS A. D. 1723. vulgavit. UDALRICUS enim in narratione eorum, quae in laudato Concilio *Remenſi* geſta fuerant, & ſingillatim decreti contra inveſtituras, ac ritum commemorans, quo HENRICUS Imperator anathemati ſubjectus eſt: *Adlatae ſunt*, inquit, *denique candelae quadrigentae* XXVII. *& adcenſae datae ſingulae ſingulis, tenentibus* BACULOS *Epiſcopis & Abbatibus*. Mos fuit enim tum, ut in Synodis Epiſcopi, & Abbates baculos paſtorales prae manibus tenerent. Siquidem INNOCENTIUS II. in Concilio *Lateranenſi* generali II. A. D. 1139. Epiſce-

Epiſcopos ab ANACLETO Antipapa, ſeu ejus juſſu conſecratos exauctoravit, & *paſtorales baculos de manibus violenter adripuit*. Depoſitionis enim Epiſcoporum ritus fuit, ut baculus ex eorum manibus abſtraheretur. Vide Baculus.

VIRGAE, ignominioſae animadverſionis inſtrumentum. Diverſorum autem generum reperiuntur animadverſionis Virgae, ex ulmo ſcilicet, ex betulla, ex ſalice. PRUDENTIUS hymno X. in ROMANO, quum puer torqueretur juſſu Praeſidis:

Impacta quoties corpus attigerat ſalix,
Tenui rubebant ſanguine uda vimina.

Confer BARONIUM ad XIX. Januarii, quo S. PONTIANUS Virgis caeſus recolitur.

VIRGARIUS: Eccleſiae cantor, qui virgam prae manibus ferebat. MARTENE *lib. 3. cap. 4. Adſiſtant tres Cantores in Choro, regias Virgas in manibus tenentes.* Et *c. 6. Archicantor, & duo ſocii ejus adſiſtentes in Choro regias virgas in manibus tenentes incipiant officium.*

VISITATIO B. V. Ejus Feſtivitas apud Fratres *Minores* celebrari coepit. URBANUS autem VI. eam in univerſali Eccleſia inſtituit, cujus demortui Conſtitutiones BONIFACIUS IX. ann. 1389. promulgavit. Eamdem Feſtivitatem confirmarunt *Baſileenſes* ann. 1441. Seſſ. XLIII. & *Orientales* Patriarchae in Concilio *Florentino*, cum primis vero S. PIUS V. & CLEMENS VIII., qui ejus Officium reformarunt.

UNCINI. Erant unci ad torquendum parati: de his PRUDENTIUS in *Periſteph. hym. 5. ſtridentibus laniatur uncis &c.* Erat adhuc uncus non tantum ad torquendum, ſed ad trahendum reum ad poenas inſtrumentum: unde JUVEN. *Satyr.* 10. *Impactus* SEJANUS *ducitur unco*. Exſtat & de his exemplum in Actis S. SEBASTIANI, ubi in fine haec leguntur. *In cloaca, quae eſt juxta Circum, quaere, & ibi invenies corpus meum pendens in unco.* Haec S. SEBASTIANUS de corpore ſuo, quod unco protractum fuerat in cloacam *Maximam*.

UNCTIO EXTREMA, ſeu INFIRMORUM, quae & *Oleum Infirmorum, unguentum ſalutiferum &c.* nuncupatur. In ejus adminiſtratione plurimum varia fuit Eccleſiarum diſciplina. 1. Quod ſpectat ad partes inungendas. Nam licet *Graeci*, teſte ARCUDIO *Concord. lib. V. cap.* 7. & BEN. XIV. *de Syn.* nunc inungant frontem, mentum, ambas genas, pectus, manus, & pedes; attamen, ineunte ſaeculo IX., tres tantum Unctiones ab iiſdem fieri conſueviſſe, aſſerit THEODULPHUS *Aurelianenſis* Epiſcopus, *Capitular.* 2. apud BALUZIUM *Tom. 7. Miſcellan.* In Eccleſia vero *Occidentali* invenimus quidem in S. GREGORII Sacramentario, edito a MENARDO, praeſcriptas Unctiones quinque ſenſuum: at in codice Abbatis RATOLDI, illis additas legimus unctionem colli, pectoris, & ſcapularum: in veteri Pontificali PRUDENTII, Epiſcopi *Trieaſſini*, imperatam inſuper reperimus *Unctionem umbilici, ſeu loci, ubi plus dolor imminet.* Rituale *Forojulienſe* apud P. DE RUBEIS inungi jubet frontem, oculos, aures, nares, labia, guttur, pectus, cor, ſcapulas, manus, pedes. Illud plane ſingulare, ſolum pectus fuiſſe aliquando inunctum; quod legimus in vita S. AUGENDI,

vulgo

Digitized by Google

vulgo EUGENDI Abbatis *Jurenſis*. *Quum ultra ſexagenariam aetatem ſex fere menſibus praedictus Pater inaequalitate corporea laboraret, ſi tamen quod numquam Canonico uſque ad horam defuiſſet curſu, nec bis in die feſſo corpuſculo coactus fuit aliquid impertiri, vocato uno ad ſe de Fratribus, cui cum libertate peculiari olim etiam perungendi infirmos opus injunxerat, ſecretiſſime quoque ſibi pectuſculum petiit (ut moris eſt) inungi*. 2. Quod ad Miniſtros pertinet. Nam conſtat, non apud *Graecos* modo, olim, hodieque, ſed apud *Latinos* etiam a pluribus ſimul Presbyteris hoc adminiſtrari conſueviſſe Sacramentum: nimirum ab uno Sacerdote & unctionem peractam fuiſſe, & formam prolatam, alios vero Orationes fudiſſe, ut infirmo Sacramenti effectus concederetur: vel Sacerdotes illos Oleo Sancto partes corporis diverſas, unumquemque ſuam ſimul ungentes, formulam pronunciaſſe conſentientem: vel ſingulos Presbyteros, unum poſt alium, eaſdem unxiſſe partes corporis, & a ſingulis prolatas eſſe verborum formas; vel demum, altero Sacerdore infirmum ungente, ceteros, qui aderant, formulas aut Orationes protuliſſe. 3. Quod ad tempus adtinet. Unctionem Viatico plerumque praemittebant Veteres, qui ritus apud ſolos *Ciſtercienſes* Monachos, & quaſdam forte Eccleſias illibatus hactenus perdurat. Sanctus GILBERTUS Archiep. *Bituricenſis* mortuus anno 1209. (SUR. 10. Januar.) *Cum jam omnibus rite peractis, etiam teſtamentum multis adſiſtentibus Religioſis & prudentibus viris edidiſſet, Fratribus convocatis, Extremae Unctionis Sacramentum humiliter ac devote percepit. Eo percepto, etiam SacroſanctamEucharistiam ſibi porrigi inſtantiſſime poſtulavit*. Mos iſte antiquus, quem etiam *Peruſinus* Saec. XI. aut XII. Codex Ritualis exhibet apud GARAMPIUM in Vita B. CLARAE *pag.* 186. ineunte Saeculo XIII. in deſuetudinem abiit. 4. Quod ad iterationem. Obſervat MENARDUS, per ſeptem continuos dies unctionis, & Euchariſtiae Sacramentum olim infirmis miniſtratum fuiſſe, quod certe probat locus ex Vita S. RIMBERTI ab Anonymo ſcripta *Saec. 4. Benedict. p. 2. Septimo ante obitum die miniſterium Sacrae Unctionis cum Oleo Sancto ei fieri coepit, & una cum communione Corporis & Sanguinis Domini uſque in diem animae exeuntis de corpore, hoc ſalutare remedium omni die percepit*.

UNGULAE. BARONIUS, BOTTARIUS aliique ungulas *Fidiculas* interpretantur, ISIDORO duce *lib. V. etymol. cap. ult.* Mihi aliud cruciatus genus ſunt, nempe ferreum inſtrumentum inſtar aduncarum unguium, quas ferae habent, ad dilaceranda Martyrum corpora adhibitum. *Biſulcas* propterea illas PRUDENTIUS Hymn. I. appellat. Hinc lictor poſtquam ASCLEPIADIS juſſu S. ROMANI M. maxillas *Fidiculis* conſtrinxerat, videns maxillas intumuiſſe, licet non hoc ASCLEPIADES mandaſſet,

Charaxat ambas, ungulis ſcribentibus,

ut idem PRUDENTIUS Hymno X. cecinit. Vide *Hiſtoriam noſtram litterariam Italiae Tom. V. pag.* 497. *& Tom. IX. pag.* 325.

VOCATORIUM, Invitatorium quod dicimus ad Officium: Conſuetudines *Fuldenſes Vet. diſc. Monaſt. pag.* 6.

URCEUS, *Urceolus*. Ampulla, Amula, Scyphus. Ordo *Romanus*: *Pontifice oblationes populorum ſuſcipiente, Archidiaconus ſumit poſt eum Amulas, & refundit in calicem majorem ...... Archidiaconus ſumit Amulam Pontificis &c.*

MAR-

MARTENE lib. 3. cap. 4. *Cantor vero extremus offerat pretioſam ampullam cum aqua*.

URCEOLUS, idem. Notiſſimi ſunt Canones Concilii *Carthaginenſis* IV. habiti ann. D. 398. in quibus praeſcribitur, *Subdiaconum*, quum ordinatur, *adcipere de manu Archidiaconi* URCEOLUM *cum aqua &* MANTILE, *& manutergium*. Item, *Acolythum* adcipere URCEOLUM *vacuum ad ſuggerendum vinum in Euchariſtiam*. Haec eadem habet Codex *Gelaſianus*, ubi de *Sacris Ordinibus benedicendis* agit. Habet etiam Sacramentarium S. GREGORII titulo eodem.

UVARUM BENEDICTIO. Antiquiſſima eſt haec benedictio uvarum tam in Eccleſia *Graeca*, quam in *Latina*. Hanc *Graeci* habent die 9. Auguſti: ejus auctorem quidam faciunt EUTYCHIANUM Papam. Ritus autem hujus benedictionis in die S. XYSTI ex Miſſali *Lugdunenſi* eſt ſequens:

„ In Canone Miſſae, antequam Sacerdos dicat: *Per quem haec omnia* „ *Domine bona creas &c.* ponantur a Diacono ſuper altare ad partem dexte„ ram, prope manum Sacerdotis dexteram acini uvarum in vaſe mundo, „ & Sacerdos dicat: *Benedic Domine hos fructus novos uvae, quos tu Domine* „ *rore coeli, & inundantia pluviarum, & temporum ſerenitate, atque tranquil*„ *litate ad maturitatem perducere dignatus es, & dediſti eos ad noſtros uſus* „ *cum gratiarum actione percipere in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Dein„ de Sacerdos adſpergat acinos uvarum aqua benedicta, & poſtea ſubjun„ gat: *Per quem haec omnia &c.* Diaconus vero elevet vas acinorum de „ Altari, & tradat Vice-Magiſtro chori, quo adcepto, ipſe videlicet Vice„ Magiſter chori, diſtribuat acinos uvarum omnibus de conventu in choro „ exiſtentibus, & omnibus aliis laicis in Eccleſia „. Apud Monachos quoque hanc uvarum benedictionem in uſu fuiſſe, patet ex MARTENE *lib.* 4. *cap.* 7. *Hac die* (Transfigurationis Domini) *benedicantur uvae novae ad Miſſam*. Tum ex Ordinario *Corbejenſi* habes ab eo ritum deſcriptum in haec verba. „ In hac feſtivitate benedicuntur Uvae, quae primum lavantur di„ ligenter a cuſtode Eccleſiae, & in ſcypho ponuntur argenteo. Ad ho„ ram poſtea benedictionis, antequam ſcilicet dicatur ad Miſſam: *Per quem* „ *haec omnia Domine ſemper bona creas*: ſumuntur ab Armario, & Altari cum „ reverentia applicantur. Benedictio vero ita ſilenter dicitur, ut nec a „ Diacono, vel Armario audiatur; Benedictione peracta, Armarius uvas ab „ Altari reportat, & Secretario reddit. Quod ſi in feſto S. XYSTI non„ dum poſſunt inveniri uvae, quando primitus inveniri poterunt, eodem „ modo benedicentur.

Statuta Monaſterii *Cluniacenſis* apud DACHERIUM *Tom.* 4. *Spicilegii lib.* 1. *c.* 35. *Sed ſi nondum ſunt maturae* (die ſcilicet S. XYSTI) *Cuſtos Eccleſiae obſervat, quando primo matureſcunt, & faciat eas ad Eccleſiam deferri. Adlatas Armario repraeſentat, & Armarius Sacerdoti inter Canonem, ad horam competentem, & praenotatam ut eas benedicat*.

VULTUS SANCTORUM. *Imagines, ſeu thoraces, vultus & effigies* Sanctorum, auro & argento conflatae, & intra confeſſionis cubiculum, & ſuper altare antiquitus collocari ſolebant. Unus ANASTASII liber in vitis Pontificum nos abunde erudiet. VALENTINIANUS Auguſtus hortatu XYSTI

Papae

Digitized by Google

Papae III. *obtulit* IMAGINEM AUREAM *cum XII. portis, & Apoſtolos XII. & Salvatorem gemmis pretioſiſſimis ornatum, quem voti gratia ſui* SUPER CONFESSIONEM B. PETRI *Apoſtoli poſuit*. Idem donarium vovit SYMMACHUS Papa Baſilicae S. PAULLI via *Oſtienſi*. Ad LEONEM IV. veniamus, qui *fecit ſuper corpus* B. PETRI IMAGINES ARGENTEAS, *totaſque numero tres; & unam quidem in medio habentem effigiem Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti cum gemmis in capite per crucem ornatam hyacinthinis, & praſinis. Item aliam quamdam poſitam ad dexteram Salvatoris, & habentem* VULTUM *beati* PETRI *Apoſtoli, & beatae* PETRONILLAE. *Aliam quamdam poſitam ad partem laevam, depictam*, VULTUM *habentem beati* ANDREAE *Apoſtoli, ſimul &* VULTUM *praedicti Summi Praeſulis, penſan. libras centum & quatuor*. Idem *confeſſionem* (Sanctorum IV. Coronatorum) *cum ſacro altari argenteis tabulis ...... Sanctorumque* EFFIGIEBUS *perornavit*. In eadem Eccleſia *fecit* IMAGINES *de* ARGENTO *exauratas tres, unam quidem habentem* VULTUM *Salvatoris, & alias duas habentes* VULTUS *ſanctorum* CLAUDII *&* NICOSTRATI *penſan. libras quinquaginta duas & ſemis*. Praeterea *in Baſilica beati* PETRI *Apoſtoli ante confeſſionem ſacri altaris a dextris, ſeu a ſiniſtris ad decorem ipſius Baſilicae* ANGELOS SEX *ex* ARGENTO *mundiſſimo penſantes libras ſexaginta quatuor*. Quae igitur adhuc etiam *imagunculae, effigies, ac thoracei vultus* Sanctorum auro & argento fuſi ſuper altari diebus feſtis ponuntur, a priſcis Eccleſiae moribus originem trahunt.

WANTI, Chirothecae. Vita S. BERTHARII Epiſcopi Carnotenſis: *Niſus eſt abſtrahere a manibus ejus* CHIROTHECAS, *quod vulgo* WANTOS *vocant*. RICULFUS Epiſcopus *Helenenſis* A. D. 915. inter ſacra veſtimenta teſtamento Eccleſiae S. EULALIAE a ſe legata, recenſuit *Wantos paria unum*. In deſcriptione theſauri eccleſiaſtici, ideſt ornamentorum ſacrorum, quae adſervabantur A. D. 831. in Eccleſia S. RICHARII Abbatis *Centulenſis*, teſtante HARIULFO *Centulenſi* Monacho in *chronico*, enumerantur *Wanti caſtanei auro parati*. Vide & veterem Diſciplinam Monaſticam *pag. 26. & 92.*

X

XENODOCHIUM idem eſt, quod domus publica hoſpitalis, qua peregrini hoſpites, & egeni hoſpitaliter recipiuntur. HIERONYMUS: *Xenodochium in portu Romano ſitum totus pariter mundus audivit*. Is qui praeerat, *Xenodochus* dicebatur. Ptochium idem fere, niſi quod pauperum ſeniorum proprie hoſpitale erat; cujuſmodi PELAGIUS II. excitaſſe perhibetur in libro Pontificali. Graecis uſitata vox fuit, ut Concilii *Calcedonenſis* canones VIII. & X. nos docent. Tranſiit ab illis ad Latinos. Teſtamentum S. REMIGII: *Sicut diſpoſuero in ptochiis, coenobiis, martyriis &c.* Extat Ptochiorum mentio in ZACHARIAE Papae ad PIPPINUM epiſtola (*Tom. I. Cod. Carol. pag. 48.*), *& Capitularium Lib. VII. Tit. 2.*

XEROPHAGIA. Rerum aridarum, ſeu ſiccatarum comeſtio. Hanc deſcribit TERTULLIANUS *lib. 1. adverſus Pſytichos* his verbis: *Xerophagiam*

giam obſervamus ſiccantes cibum ab omni carne, & jurulentia, & vividioribus quibuſque pomis, ne quid vinoſitatis edamus, vel potemus. Concilium *Laodicenum* ſub DAMASO *Can.* 50. *Non oportet in Quadrageſimae poſtrema ſeptimana quincta feria jejunium ſolvere, & totam Quadrageſimam injuria adficere, ſed per totam Quadrageſimam jejunare aridis veſcentes.* Hanc autem *Xerophagiam* in jejuniis *Graeci* aliqua ex parte etiamnum obſervant, apud quos vigere a cunctis piſcibus abſtinentiam teſtatur BALSAMON, quos TERTULLIANUS ſub nomine *omnis carnis* comprehendit. *Armeni* etiam ſchiſmatici, & EUTYCHETIS ſectarii non ſolum ab omni carne animalium, quaecumque illa ſint, a lacticiniis, & ovis, ſed etiam a vino, & oleo abſtinent, ex eorum relatione, qui illas regiones peragrarunt. BALSAMON item ad Apoſtolorum Can. docet, ſervari quoque a *Graecis* Xerophagiae jejunium non in ſola Quadrageſima, ſed & in omnibus anni quartis & ſextis feriis, adeo ut nec cum aegrotantibus diſpenſetur, etiam in mortis articulo, niſi circa piſces. Cur autem *Orientales* adeo averſentur jejunia Sabbathi, haec eſt ratio: quia jam ab Apoſtolorum tempore obortae erant haereſes, adſerentes Deum *Hebraeorum*, qui hunc mundum condidit, & MOYSI legem dedit, eſſe malum, omniumque malorum originem, atque in ejus odium Sabbathis jejunabant, quos ille dies ſuo cultui deſtinaſſet. Hujus haereſis auctor fuit SIMON *Magus*, eamque propagarunt ejus Diſcipuli MENANDER, BASILIDES, SATURNINUS, CERINTHUS &c.

Z

ZABULUS, Diabolus. Ita fere ſemper S. PAULLINUS, antiquiores ſe Patres ſequutus, qui ita extulere. CYPRIANUS ad DEMETRIANUM cap. VI. *Quid in ruinam Zabuli per ipſum & cum ipſo cedis?* Ita ibi vetuſtiſſimi libri, quae ſcriptio & aliis locis apud CYPRIANUM in veteribus editionibus fuit, ubi nunc *diabolus* obtinet. Apud eumdem Auctor libri de *Aleatoribus* cap. III. *Deorbati Zabuli caligine invicem ſibi manus inferunt.* Et aliquoties eodem libro. HILARIUS in MATTHAEI caput XXVI. *Furem enim eſſe oſtendit Zabulum, ad detrahenda ex nobis ſpolia pervigilem.* Idem in cap. XII. MATTH. *Contuſam a ſe in tentatione prima omnem Zabuli indicat poteſtatem.* AMBROSIUS lib. V. cap. 1. *de Fide* ad GRATIANUM: *Feralem illum cetum, Zabulum ſcilicet, ultimis temporibus venerabili ſui corporis paſſione proſtratum perculit.* Hymnus Eccleſiaſticus de S. MICHAELE:

Michaelem in Virtute conterentem Zabulum.

Vide ROSWEYDUM ad epiſt. VI. PAULLINI pag. 770. & in addendis pag. 893.

ZETARIUS, ut S. CASTULUS 26. Martii, cuſtos & curator diaetarum, quae in domibus erant. Dieta porro & Zeta, unde *Zetarius*, receſſus eſt, ubi commode, ac ferme μοναδικως vivitur. Vide MAZOCHIUM *ad Kal. Neap. Tom. I. pag. 104. ſeqq.* Gloſſarium Camberonenſe Mſ. quod ROSWEYDUS laudat *Onomaſt. pag.* 1044. Zaetas hiemales ab aeſtivalibus diſtin-

diſtinguit, eaſque explicat *domos, quas calefacit ſubductus ignis*; has vero, quas *infrigidat aqua ſubducta*. Eadem fere apud PAPIAM.

ZONA, cingulum. RICULFUS Epiſcopus *Helenenſis* legavit Eccleſiae ſuae A. D. 916. *Zonas quinque, unam cum auro, & gemmis pretioſis, alias quatuor cum auro*. FALCO Judex *Vigilienſis* donavit inter cetera ornamenta ſacra A. D. 1197. Eccleſiae S. MARGARITAE *unam Zonam de Sota rubea*.

Digitized by Google

Digitized by Google

R A T I O
INSTITUENDI STUDII RITUALIS

Onomastici noſtri uſu, Auctorumque, qui indicabuntur, praesidio.

Optarunt nonnulli, *ut huic Onomaſtico rationem adjicerem, qua quis ſtudium Sacrorum Rituum ad mentem, moreſque Romanae Eccleſiae inſtituere facile poſſet. Aequum enimvero viſum mihi eſt eorum deſideriis ſatisfacere; idque eo libentius praeſtabo, quod vocabula aliqua hic licebit addere in Onomaſtico praetermiſſa, quum non tam ad Sacros Ritus, quam ſive ad Theologiam, ſive ad Eccleſiaſtici Juris Prudentiam ſpectare viderentur: ſed antea quid Ritualis Scientia ſit, explicandum. Scientia igitur eſt, quae in Ritibus Eccleſiae Catholicae dignoſcendis, explicandiſque verſatur. Ritus nomen a Romanis Eccleſia, ab Hetruſcis Romani acceperunt* (*adi MAZOCHIUM ad Voſſii Etymologicon* V. Ritus). *Eo autem mores, conſuetudines, caeremonias in ſacris praeſertim adminiſtrandis, jura ipſa, ac leges de nuptiis maxime, & Matrimoniis celebrandis denotabant. Hinc quum Hebraeorum leges aliae eſſent caeremoniales, aliae morales, aut judiciales, eas omnes TACITUS de MOSE agens* ritus *nomine deſignavit*: novos, *inquit*, ritus, contrarioſque caeteris mortalibus indidit. *Nos quoque ritus noſtros appellamus* morès (*ſic AUGUSTINUS librum inſcripſit* de moribus Eccleſiae Catholicae); conſuetudines (*quod nomen ſaepius in Monachorum ritualibus libris occurrit*); caeremonias, *de quo nomine confer ſuo loco Onomaſticon*, & T. III. Biblioth. Ritualis p. I. ſeqq., *MALDONATUM*, *& quae ibi adnotavi. Acceſſit apud nos familiarius nomen* Rubricarum, *quas Juvenalis* Sat. XIV. V. 191. rubras majorum leges *diceret; rubrica enim uti olim legum, ita & rituum ſervandorum tituli diſtinctionis, & ornatus cujuſdam gratia, & ut facilius in oculos incurrant, notari ſolent. Vide & hic Onomaſticon* V. Rubrica.

Jamvero Rituum ſcientia omnis quinque potiſſimum capitibus continetur, Ritibus nempe 1. *ad Hierarchiam Eccleſiaſticam*, 2. *ad cultum Sacrum*, 3. *ad Sacramentorum adminiſtrationem*, 4. *ad Sacramentalia, & Benedictiones*, 5. *ad curam pro mortuis habendam pertinentibus. Ut ergo quae ad haec Scientiae noſtrae capita ſpectant, pernoſci a quolibet facile, utiliterque poſſint, ea omnia, quae a noſtro Onomaſtico ſumi poſſunt, ſer-*

vate

Digitized by Google

*vato accuratiſſimo rerum ordine, diligenter indicabo, nomini, quod occurrerit, aſteriſco * praemiſſo; tum Auctores ſuggeram, ex quibus quae in Onomaſtico deſunt, ſuppleantur. Quum autem Auctores, qui ritualem ſcientiam, vel aliquam ejus partem ſuis libris illuſtrarunt, eorumque opera Tomo II. Bibliothecae meae Ritualis a.* 1778. *editae percenſuerim, nonnullos etiam in ſupplementis cum eidem tomo, tum tertio adjectis; ſatis hic erit compendii cauſſa nomen, cognomenque illorum adſcribere, niſi fortaſſe Auctor quiſpiam ſit, qui ibi fuerit a me praetermiſſus. Qui vero eorum opera, titulos, editiones noſſe voluerit, Bibliothecam Ritualem adeat alphabetico cognominum ordine diſpoſitam, ſtatimque intelliget, quodnam laudati Auctoris opus hic ſpectarim, & cauſſas, cur illud conſulendum propoſuerim.*

CAPUT I.

Fontes, ex quibus potiſſimum Scientia omnis Ritualis petenda eſt.

I. ANtequam de ſingulis Scientiae Ritualis partibus, quas quinque eſſe praefatus ſum, agam, juvabit fontes, unde illa haurienda ſit, aperire. Primum autem, eumque locupletiſſimum dabunt Eccleſiae Patres; EPIPHANIUS in *brevi, & vera Catholicae, & Apoſtolicae Eccleſiae fidei expoſitione* a num. XXI.; S. AMBROSIUS *de officiis, de Virginibus, de Myſteriis, de Sacramentis*; S. AUGUSTINUS *de moribus Eccleſiae Catholicae* lib. 1. praeſertim *cap. XXXI. XXXII. & XXXIII.* & in celeberrimis ad JANUARIUM epiſtolis duabus *LIV. & LV.*, ISIDORUS *Hiſpalenſis de divinis, ſive Eccleſiaſticis officiis*; RHABANUS MAURUS *de Clericorum inſtitutione, & caeremoniis Eccleſiaſticis lib. III.*, *item de ſacris ordinibus, Sacramentis divinis, & veſtimentis Sacerdotalibus*; caeterique, quos a MICHAELE HITTORPIO collectos, & Coloniae editos GEORGIUS FERRARIUS aliquot opuſculis auctiores Romae recudit 1591., quamquam potior quoque hac eſt Pariſienſis editio anno 1610. Vide *Bibl. Rit. Tom. II. p. 3.*

II. Alterum fontem habes in veteribus *Ordinibus Romanis*, Hittorpiano, Mabillonianis, Blanchiniano, Marteniano, aliiſque Caeremonialibus S. R. E. Libris, de quibus accurate, quoad licuit, diſſerui *Tom. I. Bibl. Rit. cap. VII. art. 1. pag. 169. ſeqq.*, ac praeſertim in *Sacrarum Caeremoniarum, ſive Rituum Eccleſiaſticorum* S. R. E. libris tribus *ab* AUGUSTINO PATRICIO *ordinatis, & a* MARCELLO *Corcyrenſi Archiep. primum editis*, deinde a JOSEPHO CATALANO illuſtratis. Huc ſpectant antiqui ejuſdem Romanae Eccleſiae libri Liturgici, * Reſponſoria, & * Antiphonaria a THOMASIO edita, Leonianum, Gelaſianum, & Gregorianum * Sacramentaria, aliique id genus libri eodem *Bibl. Rit. Tom. I.* a me percenſiti.

III.

Digitized by Google

III. Fons tertius, iſque praecipuus a nobis ex recentioribus Romanae Eccleſiae libris petendus eſt. Sunt hi

1. * Pontificale Romanum, quod poſt CLEMENTEM VIII., & URBANUM item VIII. BENEDICTUS XIV. ann. 1752. recognovit. Confer *Bibl. Ritual. Tom. I. pag. 164.*

2. * Caeremoniale Epiſcoporum novis curis a BENEDICTO XIV. reſtitutum, & a CATALANO commentariis auctum. *Bibl. Rit. Tom. I. p. 178.*

3. * Miſſale Romanum, de cujus editionibus, & correctionibus dixi *Tom. I. Bibl. Rit. a pag. 52.* Item * Breviarium, de quo ibidem *pag. 107. ſeqq.* In utrumque autem conferendi cum primis GAVANTI commentarii, ex quibus PROSPER FARAUDUS (vide *Bibl. Rit. Tom. III. pag. 345.*) deprompſit ſuperiore ſaeculo *Manuale Caeremoniarum Eccleſiaſticarum*, & Cl. P. MERATI in illos ampliſſimae animadverſiones. A duobus hiſce libris disjungendum non eſt * Martyrologium Romanum (vide ejuſdem *Bibl. Rit. Tom. I. pag. 103. & Tom. III. pag. 345.*). Curandum autem eſſet Scientiae Ritualis cultori, ut Romanae editioni a BENEDICTO XIV. auctae, & caſtigatae ann. 1748. item Romanam ann. 1584., vel 1586. cum Card. BARONII notationibus, & tractatione *de Martyrologio* ſtudii cauſſa conjungeret. Addere etiam poſſet FRANCISCI MARIAE D'ASTE Hydruntini Archiep. Martyrologium cum *diſceptationibus Chronologico-Geographicis*, uti & quae ad Martyrologia *Hieronymianum*, *Adonianum*, & *Uſuardinum* adnotarunt FRANCISCUS MARIA FLORENTINIUS, DOMINICUS GEORGIUS, & P. JOH. BAPT. SOLLERIUS Bollandianus. Proderit quoque intelligendis, aut illuſtrandis aliquot Martyrologii locis Onomaſticum noſtrum conferre V.

* ARGUMENTOSUS
* BIDUANA
* CATABULUM
* COMMENTARIENSIS
* CORNICULARIUS
* CORONA MARTYRUM
* CRURIFRAGIUM
* CULLEUS
* CUSTODIA MAMERTINI
* DOMINICUM
* DUX AUGUSTALIS
* EQUULEUS
* FIDICULAE
* FORCEPS
* HOMOUSIOS
* INSCRIPTIONE DAMNATI
* KALENDAE JANUARII
* LIMINA APOSTOLORUM
* METALLA
* NATALE GENUINUM
* NATALIS SANCTORUM
* NERVUS
* OFFICIALES
* OLLA FERVENS
* PAGANUS
* PATRICIA DIGNITAS
* PLUMBATAE
* PRIMISCRINIUS
* SARTAGO
* SERVILIBUS NOTIS COMPUNGI
* STUDITA
* TARINCHAE
* TAUREA
* TITULUS CHRISTIANITATIS
* TRADITORES
* VIRGAE
* UNCINI
* UNGULAE
* ZETARIUS.

4 * Rituale Romanum ann. 1614. a PAULLO V. in lucem emiſſum, atque ann. 1752. a BENEDICTO XIV. emendatum, & auctum. Primum illud

illud HIERONYMUS BARUFFALDIUS Venetiis 1731., hoc alterum ann. 1757. JOSEPHUS CATALANUS commentariis illuſtravit. Non omittendum Fr. JOH. MICHAELIS CAVALIERI *Rituale expenſum*, nec quod Lucae 1742. prodiit laudabile opus hoc titulo: *Rituale Romano diſtribuito in due tomi, illuſtrato con comentarj ad uſo de' Parrochi, e Confeſſori*.

IV. Quartus fons eſto * Rituum Sacra Congregatio, ejuſque decreta, eaque potiſſimum, quae MERATIUS deſcripſit, & JOH. MICHAEL CAVALIERI laudatiſſimis commentariis illuſtravit.

V. Hactenus fontes, qui propius ad rem Ritualem ſpectant. Sunt alii duo ſane praeſtantiſſimi, ſed aliis quoque ſacris diſciplinis, ut Theologicis, communes, Romanorum, inquam, Pontificum hiſce de rebus Conſtitutiones (harum plures vel unum BENEDICTI XIV. Bullarium ſuppeditat) & Conciliorum decreta.

CAPUT II.

Alia Scientiae Ritualis praeſidia.

I. PRaeter enumeratos fontes habet Scientia Ritualis alia praeſidia; ac primum quidem ab aliquot antiquioribus Ritualium rerum ſcriptoribus, qui ſaltem diſciplinae ſuorum temporum teſtes ſunt. In his eminent JOHANNES BELETHUS (*Bibl. Rit. T. II.* 81.), Anonymus XII. ſaeculi, cujus *St. Eccleſiae Rituum, divinorumque officiorum explicationem* ex Vaticano Codice primum ann. 1784. eruit Vir eruditus PHILIPPUS ZAZZERA; GUILLELMUS DURANDUS Mimatenſis ab an. 1286. ad 1296. Epiſcopus (*ibid.* 177.), & RADULPHUS DE RIVO (*ibid.* 285.)

II. His addendi Recentiores Auctores, qui ſingulas ſcientiae ritualis partes ſuis commentariis explicaverunt. Indicabimus hic generaliores quoſdam ejuſmodi ſcriptores; ubi ad ſingularia earumdem partium argumenta devenerimus, illos commemorabimus, qui ea ſuis libris peculiariter perſequuti ſunt.

1. De Hierarchia Eccleſiaſtica praeter Theologos, & CATALANUM ad *Pontificale*, & *Caeremoniale ſcripſere* DIONYSIUS PETAVIUS in *diſſertationibus Eccleſiaſticis*, & in libris *de Hierarchia Eccleſiaſtica*, PHILIPPUS BONANNI in Italico opere inſcripto *la Gerarchia*, DOMINICUS GEORGIUS in diſſertatione *de Hierarchia* S. R. E., quae exſtat *Tom. II. operis de Liturgia Romani Pontificis*.

2. De Cultu Sacro conſulantur VICECOMES, MENARDUS, BISSUS, GUYETUS, BAULDRY, a PORTU, atque ad eum SALA, BOCQUILLOT, THOMASIUS, ANDREAS PISCARA, CASTALDUS, MARTENIUS, GRANCOLAS, GERBERT, LEODEGARIUS MAYER, HALDEN, MURATORIUS, BENEDICTUS XIV., JOH. BAPT. GALLICCIOLLIUS in *Iſagoge inſtitutionum Liturgicarum*, quas in Venetam ann. 1772. Gregorianorum operum editionem a ſe curatam intulit *Tom. IX. pag.* 145. & *Tom. X. pag.* 3., FERDINANDUS TETAMO, cujus *Diarium Liturgico-Theologico-Morale*

Digitized by Google

Morale Venetiis hiſce annis prodiit, & EMMANUEL AZEVEDO in ſuis *de divino Officio, & ſacroſancto Miſſae Sacrificio* exercitationibus ſelectis CXXII. e Veneto Zattae typographio vulgatis.

3. De Sacramentorum adminiſtratione agunt, omiſſis Theologis, GASPAR JUENINUS in commentario *de Sacramentis*, NICOLAUS de THOU, GRANCOLAS, & CHARDONIUS.

4. De Benedictionibus uberrime diſſerunt GRETSERUS, QUARTI *de ſacris Benedictionibus*, Neapoli 1659. (hinc corrige quae mihi exciderunt *Bibl. Rit. T. II. pag.* 279.), CHRISTIANUS LUPUS, CLAUDIUS de SAINCTE BEURE, & EUSTACHIUS a S. UBALDO.

5. Curam pro mortuis poſt AUGUSTINUM, qui hac de re egregium ſane librum ſcripſit, illuſtrarunt JOH. FILESACUS, JACOBUS GRETSERUS, MURATORIUS, PANVINIUS, PIAZZA.

III. Prederit etiam illis Auctoribus, qui Antiquitates Chriſtianas explanarunt, familiariter uti. MAMACHIUM, & SELVAGGIUM *in Bibliotheca Rituali* indicavi. Adde his P. FRANCISCUM XAVERIUM MANNHART, cujus librum *ſingularem de antiquitatibus Chriſtianorum* Auguſta Vindelicorum accepimus 1767., & ALEXIUM AURELIUM PELLICCIAM *de Chriſtianae Eccleſiae, primae, mediae, & noviſſimae aetatis politia*. Huc ſpectare poteſt CLAUDIUS FLEURY, cujus *diſciplinam populi Dei* latine redditam, & variorum diſſertationibus a me locupletatam ANTONIUS ZATTA Venetiis anno 1782. tribus tomis in 4. recudit.

IV. Magno quoque ad Romanae Eccleſiae Scientiam Ritualem praeſidio erunt aliarum Eccleſiarum occidentalium ritus, librique liturgici earum [illegible]ſertim, quae a Romanis ritibus diſcrepant. Sunt illae cumprimis

1. Ambro[illegible] de cujus ritibus ANDREUCCIUS, BEROLDUS ann. 1130., MURATORIUS, [illegible]DO EUSTACHIUS, VICECOMES. Confer Onomaſticon V.

* Adventus Domini	* Festum de [illegible]
* Ambrosianus Ritus	* Festum Architriclini
* Arca	* Idaea
* Candela	* Lectio
* Canticum Archiepiscopi	* Litaniae
* Confractorium	* (*Missa*) de Expectato
* Decumanus	* Passio
* Decuria	* Praefatio
* Diaconissa	* Psallenda
* Dominica	* Psalmellus
* Dominica de Passione	* Regia Virga
* Dominica in Albis	* Schola S. Ambroſii
* Epistolella	* Transitorium
* Feria	* Veglones.

2. *Aquilejenſis*, de qua ALTHAN, P. DE RUBEIS, & SALA in BONAM.

3. *Gallicana*. Vide COPETI, MABILLONIUM, MARTENE, MOLEON, SALAM in BONAM. Adde Onomaſticon V.

Digitized by Google

* Accendite
* Adventus Domini
* Catechumeni
* Dominica in Albis
* Eucharistia Legitima
* Exorcismus
* Insufflatio
* Laudes
* Lectio
* Matutinus
* (*Miſſa*) Gallicana
* Parasceve
* Pascha
* Post Pridie
* Praefatio
* Sancta Sanctis
* Symbolum
* Symbolum in Missa.

4. *Hiſpana*, *Gotho-Hiſpana*, *Mozarabica*. Eam copioſe, atque erudite illuſtrarunt EUGENIUS DE ROBLES, JOH. PINIUS, JOSEPHUS BIANCHINI, ALEXANDER LESLEUS. Aliqua de illa attigi & ego *Tom. I. Bibl. Rit. pag. XLVII. 61. 130., & 355.* Non pauca dabit etiam Onomaſticon noſtrum V.

* Acceptio
* Ad Accedentes
* Adventus Domini
* Benedictio
* Biduana
* Bubata
* Catechumeni
* Conceptio Immaculata B. V.
* Corporatio
* Crux
* Dominica in Albis
* Dominica in Carnes Tollendas
* Evangeliarium
* Eucharistia Le[illegible]
* Fu[illegible]
Hymn. ad Salut. Ligni Dominici
* Jejunium
* Inlatio
* Insufflatio
* Lauda
* Lectio
* Liber Omnium Offerentium
* Lucernalis Gratiarum Actio
* Matutinus
* (*Miſſa*) Mozarabum
* Missale Mixtum
* Novus Ignis
* Officium
* Parasceve
* Pausant[illegible]
* [illegible]rtionarius
* Post Pridie
* Praefatio
* Sancta Sanctis
* Symbolum in Missa.

V. Sed & illarum Eccleſiarum, quae in Occidente Romanis quidem moribus utebantur, admixtis tamen ſuis peculiaribus ritibus, Libros evolvi ab illis velim, qui Ritualem ſcientiam penitius adſequi cupiant. Has inter Eccleſias memorandae

1. *Auguſtana*. Vide SALAM in BONAM.
2. *Biſuntina*. Vide JOH. BAPTISTAM FLEURY.
3. *Curienſis*. Vide MURATORIUM, & SALAM.
4. *Germanicae*. Vide Celſiſſimum Imperii Principem D. MARTINUM GERBERT in praeſtanti opere: *Vetus Liturgia Alemannica*, & FRANCISCUM XAVERIUM HOLL in *Statiſtica Eccleſiae Germanicae Tom. I. cap. 16.*
5. *Hamburgenſis*. Vide ALBERTUM CRANTZIUM.
6. *Laudunenſis*. Vide ADAMUM LAUDUNENSEM, & ANTONIUM BELLOTTE.
7. *Luſitana*. Vide FRANCISCUM DE ALMEIDA.

8. *Melſ-*

8. *Melitenſis*. Vide PACIAUDIUM.

9. *Mutinenſis*. Vide MURATORIUM.

10. *Neapolitana*. Vide ALBERICUM OLIVA:

11. *Senenſis*. Vide ODERICUM a TROMBELLIO editum.

12. *Siculae*. Vide D. SALVATOREM BLASI, & JOHANNEM de JOHANNE. Lege etiam *Bibl. Ritual. Tom. I. pag.* 59.

13. *Veneta* S. Marci. Vide FLAMINIUM CORNELIUM in *Eccleſiis Venetis Decade XIII. P. I. pag.* 205.

VI. Nec minus conferet Graecorum, & Orientalium libros, eoſque, qui de illorum ritibus egerunt, conſulere. Et Graecorum quidem libros invenies Tomo I. *Bibliothecae* meae *Ritualis* enumeratos *pag.* 8. 79. 137. *&* 161., Orientalium vero *pag.* 19. 93. 141., *&* 161. cum Auctoribus, qui eos ediderunt, ut RENAUDOTIUS, GOARIUS, HABERTUS, ASSEMANUS. De ritibus porro Graecorum multa praeterea dabunt ALLATIUS, & POMPILIUS RODOTA'. Conferri etiam Onomaſticon noſtrum poterit V.

* ANAPHORA
* BEMA
* CONCEPTIO IMMACULATA B. V.
* CRUX
* DICERION, TRICERION
* DIES ALITURGICI
* DIES LUMINUM
* DIPTYCA
* DOMINICA SANCTARUM
* EZUMENUS
* EPIGONATIUM
* EPIMANICION
* EPINICION
* EPIPHANIA
* EXARCUS
* HYMNUS CHERUBICUS
* HYPAPANTE
* INGRESSUS MAJOR
* INSUFFLATIO
* MENAEA
* MENOLOGIUM
* NAON
* NARTHEX
* PARACLETICE
* PASTOPHORIA
* PATERICON
* PROPHETEUM
* QUADRAGESIMA
* SANCTA SANCTIS
* SEMANTERIA
* SOLEA
* SYMBOLUM
* SYMBOLUM IN MISSA
* TRISAGIUM
* VELA
* XEROPHAGIA.

CAPUT III.

Finis Scientiae Ritualis. Regulae aliquae ad eum facile adſequendum.

I. QUum omnis Scientia ſuum habeat finem, Scientiae quoque Rituali ſuum eſſe, quem potiſſimum ſpectet, finem, nemo dubitaverit. Finis hic alius non eſt, quam Sacrorum Rituum cognitio ad Religionis noſtrae ſervandum, augendumque ſplendorem, & ad exteriorem Eccleſiae diſciplinam, quibus ea partibus ſibi obnoxia eſt, confirmandam, ac perficiendam. Hunc porro praeclariſſimum finem ut hujus utiliſſimae facultatis ſtudioſus facilius adſequa-

ſequatur, illud noſſe potiſſimum debet, quibuſnam regulis ferre de ritibus judicium poſſit, & quos retineri, quos tolerari, quos abrogari oporteat; itemque an, & quaenam ſit eorum interpretandorum ratio. Has igitur regulas hoc capite exponere ſtatim adgredior. Ac primus CANON eſto; qui ad Rituum inſtituendorum pertinet auctoritatem: *Totum hocce Juris Ritualis negocium ad unam ſpectat Eccleſiam, nec quidquam aliud circa illud Laicae poteſtati reliquum eſt, quam obſequii, & tuitionis, quam advocatiam dicunt, officium*. Canonem hunc adverſus BOHEMERUM, & MOSHEMIUM multis confirmavi in mea *de jure Liturgico* diſſertatione, quae prima eſt ex duabus Tomo I. meae *Bibliothecae Ritualis* praemiſſis capite I. Quum autem dixi, jus Ritualium rerum ad unam Eccleſiam ſpectare, intelligo cumprimis Romanum Pontificem; qua de re fuſe a me actum eſt in eadem diſſertatione I. *cap. IV. & V.* In Oriente tamen Patriarcha Conſtantinopolitanus omne fere jus Liturgicum ſibi vindicavit. (*ibid. cap. III. n. 5.*) Concilia quoque apud nos jus Liturgicum, non renuente Romano Pontifice, ſaepe exercuerunt, ut Eliberitanum ann. 301. aut 305., Nicaenum I. ann. 325., Antiochenum ann. 332. Laodicenum, Gangrenſe, Carthaginenſia annorum CCCXCI., CCCCI., & CCCCXIX., Veneticum ann. 461., Agathenſe ann. 506., Epaonenſe ann. 517., Gerundenſe ejuſdem ann. 517., Bracarenſe I. ann. 563., Toletanum IV. ann. 633., de quibus vide dicta citatae diſſertationis I. cap. III. *a num. II.* His Illmus LANGUETUS Senonenſium Archiepiſcopus in praeclariſſima Paſtorali inſtitutione *de novo Miſſali Trecenſi* Pariſiis edita ann. 1737. addit *pag.* 4. Toletanum XI. CANON II. hinc profluit: *In illis Eccleſiis, in quibus Ritualis diſciplina, adnuentibus Romanis Pontificibus, aliquid habet a Romanae Eccleſiae ritibus diſcrepans, non poſſe ullum ſingularem Epiſcopum ſuper ritibus aliquid innovare, aut ſtatuere ſua ipſius auctoritate abſque Metropolitani ſui conſilio, & ſuffragio*. Confer apud eumdem Senonenſem Archiepiſcopum *loc. cit.* Senatus Pariſienſis hac ſuper re ſententiam.

II. CANON III. *Quid* (in Rituali re) *ſit faciendum, ſi divinae Scripturae praeſcribit auctoritas, non eſt dubitandum, quin ita facere debeamus, ut legimus*. S. AUGUSTINUS *ep. LIV. ad JANUAR. cap.* 5. Nonnulla hanc in rem ex PAULLI epiſtolis indicavi cit. diſſ. I. *cap. II. n.* 4. Nec omittenda ſunt *Baptiſmus*, ut ait AUGUSTINUS *ep. eadem LIV. num.* 1., *Trinitatis nomine conſecratus; communicatio corporis, & ſanguinis ipſius, unctio infirmorum*: Praeterea, inquit idem AUGUSTINUS *ep. LV. n. 32. haec de ſcripturis firmiſſime tenemus, id eſt Paſcha, & Pentecoſtes*. Adde manuum impoſitionem Diaconorum inſtitutionem, preces in ſeptem horas diſtributas, ſalutationes illas ſolemnes: *Pax vobis, & Dominus vobiſcum*. Huc refer ritus quoſdam, quos a Synagoga ex ſcripta lege uſurpatos Eccleſia noſtra mutuata eſt: cujuſmodi ſunt concluſiones per verba illa: *in ſaecula ſaeculorum*, thurificationes, lumina, veſtes ſacrae, gazophylacia templi, & pauperum.

III. CANON IV. *Quae ex Apoſtolica traditione cuſtodimus, par eſt religioſe ſervare*. Exempla *diſſ. cit. cap. 2. n.* 2. ex TERTULLIANO in libro *de corona militis*, & BASILIO in libro *de Spiritu Sancto cap. XXVII.* ſuppeditavi, uti & alia *n.* 3. ex aliis Patribus.

Adde-

Accedat CANON V. huic adfinis; quem AUGUSTINI verbis ex *ep. LIV. n. 6.* explicare libet: *Similiter etiam ſi quid horum tota per orbem frequentat Eccleſia. Nam & hinc, quin ita faciendum ſit, diſputare inſolentiſſimae audaciae eſt.* *Illa enim*, ut idem AUGUSTINUS ibidem dixerat num. 1., *quae non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quae quidem toto terrarum orbe ſervantur, datur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel a plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata, atque ſtatuta retineri oportet, ſicuti quod Domini paſſio, & reſurrectio, & adſcenſio in coelum, & adventus de coelo Spiritus Sancti, anniverſaria ſolemnitate celebrantur, & ſiquid aliud tale occurrit, quod ſervatur ab univerſa, quacumque ſe diffundit Eccleſia.* Habes ergo duas illuſtres notas, unde Rituum ſacrorum praeſtantiam, in eoſque reverentiam confirmes: eorum ſcilicet 1. antiquitatem vel ab Apoſtolis, vel a plenariis Conciliis derivatam, 2. obſervationem ab univerſa Eccleſia perpetuo, aut longiſſimo ſaltem ſaeculorum intervallo propoſitam, & cuſtoditam. Sed & tertia hujuſmodi nota ſit, quam CANON VI. exhibebit. *Ritualis quaecumque diſciplina quo propius ad Romanae Eccleſiae mores accedet, eo Sanctior erit, & ſecurius amplexanda; immo & aequior.* Id ſatis oſtendit Romanae Eccleſiae, cui ut ajebat TERTULLIANUS in ſuis *Praeſcriptionibus cap. 36.*, *totam doctrinam Apoſtoli* (PETRUS, & PAULLUS) *cum ſanguine ſuo profuderunt*, majeſtas, dignitas, ſanctitas. Sed & illud adde, aequiſſimum ſane eſſe, ut *unde* Eccleſiae Occidentis *conſecrationis honorem acceperunt, inde legem totius obſervantiae ſumant, &* B. PETRI *Sedes, quae illis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, ſit Eccleſiaſticae magiſtra rationis*, quemadmodum ad univerſos Epiſcopos per *Siciliam* conſtitutos S. LEO M. ſcribebat. Tandem vel unum Romani Pontificis in Occidentis Eccleſias Patriarchicum jus Canonem noſtrum confirmat. Si enim Orientalibus Patriarchis nemo ſuccenſet, quod ſuarum dioeceſium Eccleſias ad ritus principis Eccleſiae traducere conati ſint; an non eodem, quo Orientis Patriarchae, jure Romanus Praeſul in Occidentis Dioeceſes ſibi obnoxias utatur? Confer meam illam Diſſertationem primam *cap. V. num. 4.*

IV. CANON VI. ſit hic ejuſdem S. AUGUSTINI in ſaepe laudata epiſtola ad *JANUAR. LIV. num. 2.* *Quae per loca terrarum, Regioneſque variantur, ſicuti eſt, quod alii jejunant Sabbatho, alii non: alii quotidie communicant corpori, & ſanguini Domini; alii certis diebus accipiunt &c., & ſi quid aliud hujuſmodi animadverti poteſt, totum hoc genus liberas habet obſervationes.* Hanc AUGUSTINI regulam ſequuti ſunt Rom. Pontifices, ut eodem capite quinto citatae diſſertationis primae oſtendi. Animadvertendum tamen eſt (quod Romana Eccleſia ſemper animadvertit) ut variae hae obſervationes, quemadmodum monuit ann. 1742. BENEDICTUS XIV. in Conſtitutione *pro Italo-Graecis*, *nec fidei Catholicae adverſentur, nec periculum generent animarum, nec Eccleſiaſticae derogent honeſtati*. Priora illa duo *fidei*, & *morum* nomine complexus eſt AUGUSTIN., dum ait laudata epiſtola *LIV. num. 6.* *His enim cauſſis, ideſt aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet quod perperam fiebat, vel inſtitui quod non fiebat.* Quod autem, ut ibidem dixerat AUGUSTINUS *num. 2.*, *neque contra fidem, neque contra bonos mores eſſe convincitur, indifferenter eſt habendum, & propter eorum, inter quos* vivi-

Digitized by Google

vivitur, ſocietatem ſervandum eſt. Quin etiam ſi melius ſit, quam quod alibi obtinet, curandum erit, ut in caeteras quoque Regiones introducatur. *Mihi placet,* inquiebat S. GREGORIUS M. in epiſtola ad AUGUSTINUM, quem in Angliam miſerat, *ut ſive in ſancta Romana, ſive in Galliarum, ſive in qualibet Eccleſia aliquid inveniſti, quod plus omnipotenti Deo poſſit placere, ſollicite eligas, & in Anglorum Eccleſia, quae adhuc nova eſt, inſtitutione praecipua, quae de multis Eccleſiis colligere potuiſti, infundas. Non enim pro locis res, ſed pro bonis rebus loca nobis amanda ſunt.*

V. Ad Fidem revocat ep. 55. idem AUGUSTINUS obſervationes, quae & praeter conſuetudinem ſunt, & nullam habent probabilem cauſſam cur fuerint inſtitutae. Itaque ait *num.* 35. *Omnia talia, quae neque ſanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, nec conſuetudine univerſae Eccleſiae roborata ſunt, ſed pro diverſorum locorum diverſis moribus innumerabiliter variantur,* ITA UT VIX, AUT OMNINO NUMQUAM INVENIRI POSSINT CAUSSAE, QUAS IN EIS INSTITUENDIS HOMINES SEQUUTI SUNT, *ubi facultas tribuitur, ſine ulla dubitatione reſecanda exiſtimo. Quamvis enim neque hoc inveniri poſſit, quomodo contra fidem ſint: ipſam tamen religionem.....ſervilibus oneribus premunt.* Praeterea in his ſaepe ſuperſtitionis aliquid latet. Cavendum tamen ne in hujuſmodi vitio receptis quibuſdam conſuetudinibus tribuendo nimis faciles ſimus, ſeu potius audaces, qualem JOH. BAPTISTA THIERS ſe praebuit in Tractatu ſuo Gallico *de ſuperſtitione*, in vetitorum librorum indicem propterea Romae relato.

VI. Tertium quod addidit BENEDICTUS XIV. de non tolerandis ritibus *Eccleſiaſticae derogantibus honeſtati*, dignum eſt tanti Pontificis ſapientia, & religione. Hujuſmodi ſane erant elapſis ſaeculis Feſta, quae dicimus, *Fatuorum* ab ARTIGNY *Tom. IV.* ſuorum *Monumentorum (Memoires) pag.* 279., & MICHAULT *Miſcellaneorum* (MELANGES) *Tom. I. pag.* 234. deſcripta.

VII. CANON VII. *Etſi magna eſt Eccleſiaſticae antiquitatis habenda ratio, non omnis tamen a Rituali Diſciplina novitas avertenda eſt, ſed ea ſolum, quae utilis non eſt.* Dixi primo, non omnem novitatem in Rituali diſciplina vitandam, idque dixi Summorum Pontificum exemplo, qui ſaepe ſaepius Liturgicos libros reformarunt, feſtos dies imminuerunt, trium in omnium Defunctorum commemoratione Sacrorum celebrationem integris Regnis noſtro hoc tempore indulſerunt. Dixi ſecundo, eam tantummodo novitatem arcendam, quae utilis non eſt, idque dixi egregio fretus S. AUGUSTINI monito *ep. LIV. num. 6. Ipſa mutatio conſuetudinis, etiam quae adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quae utilis non eſt, perturbatione infructuoſa conſequenter noxia eſt.* Quae novitatum exempla protuli, AUGUSTINI mentem explicant, atque confirmant. Nam eae novitates aut nullam excitarunt perturbationem, aut non certe Religioni, ipſique ſocietati *infructuoſam*, ut eas recolenti facile conſtabit.

VIII. Hiſce regulis ob oculos poſitis facile jam cuique erit de Ritibus dijudicare, & ubi in quaeſtionem veniat, ſtatuendine aliqui ſint, confirmandi, tolerandi, an potius abolendi, dignam religione ſententiam pronun-

nunciare. Unum reſtat, ut aliquid de ſacrorum Rituum interpretatione dicamus. Quum autem ex iis, quae ſupra poſuimus, tria veluti Rituum genera diſtingui poſſint, Rituum ſcilicet, quos aut e ſacris Litteris accepimus, aut ex Hebraeorum moribus ſumpſimus, aut demum Apoſtoli, Concilia, Pontifices ſtatuerunt, ſtatim intelligitur, interpretationi locum non eſſe, niſi ubi de Ritibus agatur, quos ipſa Eccleſia Apoſtolorum, Conciliorum, & Pontificum auctoritate conſtituit. Quod igitur ad hoſce Ritus pertinet, CANON hic octavus attendatur, quem GALLICCIOLLIUS *Iſagog. cap. IV.* illuſtravit: *Vitandi ſunt, qui omnium Rituum, quotquot ſunt, rationem, & originem a profanis cauſſis quum repetant, nihil illis ineſſe myſterii arbitrantur: ſed ne illis quidem adhaerendum, qui inconſulta quadam pietate in minutiſſimis quibuſque caeremoniis maxima quaedam myſteria videre ſibi videntur.* Utrumque vitium eſt; illud quidem in CLAUDIO DE VERT A SALA in BONAM, a BENEDICTO XIV. praeſertim vero a praeſtantiſſimo LANGUETO caſtigatum (vide *Bibl. Ritual. Tom. II. pag.* 322., & 222.); alterum vero a Ven. Card. THOMASIO his verbis notatum *Tom. VII. Oper. pag.* 185. *Circa poi i ſenſi miſtici, o morali della Meſſa* (idem de caeteris omnibus Ritibus dictum habeto), *abbiſogna andar parcamente* (contra quam ſapientiſſimi Cardinalis regulam DURANDUS, aliique hujuſmodi Ritualis diſciplinae Tractatores fortaſſis peccarunt), *perchè ſebbene molte coſe ſono ſtate iſtituite per ſignificare....... molte altre però, anzi la maggior parte, non ſono ſtate iſtituite per ſignificare, ma per oneſtà, buon ordine, e decoro di Religione.......ed il voler ridurre ogni minima azione a ſenſi miſtici, e ſpirituali, non ſarebbe ſecondo la mente degl' Iſtitutori.*

CAPUT IV.

Quamnam ſtudii rationem inire debeat qui in Scientiam Ritualem incumbere utiliter velit?

I. NUnc tandem illud expediendum, cujus potiſſimum cauſſa haec hactenus expoſuimus; quae ſcilicet utilior ratio ſit Ritualis ſtudii inſtituendi. Qui ergo Rituali ſtudio ſe tradet, ab antiquis Ritualibus Libris initium faciet. Primo autem quae de Ordinibus Romanis dixi *Tom. I. Bibl. Ritual. pag.* 169. *ad* 175. diligenter leget. Leget deinde MABILLONII Commentarium in Ordinem Romanum §. *I.* & *II.* Hac praemiſſa lectione, ad ipſos antiquos Rituales Libros ſe ſe convertet, ordine temporum, quibus ſcripti ſunt, accurate ſervato. Itaque novem Ordines Romanos ab eodem MABILLONIO vulgatos *pag.* 1. *ad* 94. attente ſcrutabitur. Cum his mox conferet Ordines Hittorpianum, & Blanchinianum, itemque AMALARII Metenſis circa annum DCCCXII. Diaconi libros, de quibus vide dicta *Tom. II. ejuſdem Bibliothecae Ritualis pag.* 53. *ſeqq.* Verum quod ad Ordines ſpectat, notandum non ſolum Ordinem Hittorpianum *farraginem potius eſſe diverſorum rituum ſecundum varias conſuetudines*, ut in *Scholiis* ad Antiphonarium Gregorianum monuit THOMASIUS;

ſed

ſed etiam ne ipſos quidem Mabillonianos Ordines eſſe puros Romanos: multis enim eos Francorum additamentis aetate CAROLI M. interpolatos eſſe docuerunt Viri doctiſſimi CHRISTIANUS LUPUS in diſſertatione de *Symbolo Apoſtolico*, & *Nicaeno cap. 3. quaeſt. 3.*, & P. de RUBEIS *Diſſ. II. Hiſtor. & Dogmat.* ad GEORGII CYPRII Vitam *pag.* 197. & 214. Id multo magis dictum volo de Ordine Romano, quem ad uſum Monaſteriorum accommodatum MARTENIUS edidit *Tom. V. Theſ. Anecd. pag.* 102. ex Mſ. Codice Morbacenſi ante nongentos circiter annos exſcripto.

II. Poſtquam aliquid temporis iſtorum Ordinum lectioni impenſum fuerit, ad *librum diurnum Romanorum Pontificum* a GARNERIO evulgatum Rituum ſtudioſus ſe conferet; tum ad caeteros Mabillonianos Ordines tranſibit. Inter XI. vero & XII. Ordinem interponendus eſſet JOHANNIS Diaconi liber *de Eccleſia Lateranenſi* ab eodem MABILLONIO emiſſus in appendice *pag.* 560., ſi (quod titulus praefert in Indice *antiquorum Librorum Ritualium* illi praefixus) datus eſſet ad ALEXANDRUM III., uti PETRI MALLII *Liber de Baſilica* S. PETRI ibidem excuſus revera illi Pontifici inſcriptus fuit. Verum Cl. CENNIUS ex monumentis eidem Libello inſertis, & ex Vallicellano Codice oſtendit *Tom. I. Monumentorum dominationis Pontificiae pag.* 247. fuiſſe Libellum illum quinctodecimo ſaeculo JOHANNI Diacono ſuppoſitum: quod mirum non eſt, neque ab OUDINO, neque a FABRICIO fuiſſe animadverſum; mirum neque PANVINIO, neque RASPONO, neque MABILLONIO perſpectum fuiſſe. Igitur poſt XV. PETRI AMELII Epiſcopi Senegallienſis Ordinem, cui ex Mabilloniana appendice *pag.* 576. jungitur GREGORII XI. Conſtitutiones Lateranenſes, differenda erit opuſculi hujus lectio. Nam etſi JOHANNI diacono falſo tribuitur, multa tamen ex veteribus monumentis deprompta habet ſcitu digna. Hunc excipient 1. *Rituum Eccleſiaſticorum* libri tres ab AUGUSTINO PATRICIO collecti, & a CHRISTOPHORO MARCELLO poſtea vulgati (vide *Bibliothecam Ritualem Tom. I. pag.* 175.); 2. *Acta Caeremonialia* a P. D. JOH. BAPTISTA GATTICO e Mſſ. Diariis ſaeculi XV. XVI. & XVII. eruta, de quibus conſule eamdem *Bibliothecam Tom. I. pag.* 177. & *Tom. II. pag.* 193.

III. Tandem prae manibus ſumet ſtudio Rituali deditus Pontificale Romanum, Caeremoniale Epiſcoporum, & Rituale Romanum. Cavebit autem ne hoſce Libros cum aliis quibuſdam, qui publica Romanae Eccleſiae auctoritate non prodierunt, inconſulto confundat. Nam in hoſce libros nonnulla irrepſere, quae caſtigationem merentur. Sic in Pontificali Venetiis excuſo ann. 1520., itemque in alio ibidem edito ann. 1543. neſcio quae occurrit ordinantis Epiſcopi proteſtatio omnino improbanda, & in Pontificalibus ex Romanorum Praeſulum recognitione in lucem datis ſapientiſſime omiſſa. Confer *Tom. I. Bibl. Ritualis* diſſertationem ſecundam *de jure Liturgico pag. LXIII.* Hinc etiam nullam antea mentionem feci *Caeremonialis* a MARTENIO *de antiqua Eccleſiae diſciplina in divinis celebrandis Officiis cap. XXXIV.* impreſſi, quod hic Libellus a PARIDE de CRASSIS ſcriptus quidem fuit, ſed *privatae tantum informationis cauſſa*, ut ab HOFFMANNO notatum monui ejuſdem *Tom. I. pag.* 177.

IV. Quae hactenus de Ritualibus Libris dicta ſunt, eadem ad Litur-

gicos

Digitized by Google

gicos transferantur. Incipiendum a Leoniano Sacramentario; progrediendum ad Gelaſianum, quod tamen more alicujus Gallicanae Eccleſiae interpolatum fuiſſe, poſt Cardinalem THOMASIUM primum ejus editorem, docet P. de RUBEIS diſſ. II. alias laudata *pag.* 214., ac demum in Gregoriano ſiſtendum. Hujus tamen cum plures nobis praeſto ſint editiones, Muratoriana caeteris antecellit, quam propterea GALLICCIOLLIUS *Tom. X.* Gregorianorum Operum ſequutus eſt, ſuis adjectis animadverſionibus. Dolendum tamen eſt, exquiſitiſſimas MENARDI adnotationes tum a MURATORIO, tum a GALLICCIOLLIO praetermiſſas fuiſſe. Idem GALLICCIOLLIUS *Tom. XI. & XII.* caeteros ad Liturgiam veterem pertinentes libros ex Vezzoſiana THOMASII editione exhibuit, duo *Reſponſorialia*, *Antiphonarium*, *Gradalem*, *Comitem*, *Lectionarium Miſſae*, *& Capitulare Evangeliorum*. Hi tamen libri minus neceſſarii ſunt, niſi quis antiquum cantum, & minutiora quaeque ad Liturgiam Romanam ſpectantia pernoſcere velit: ſed *Capitulare* Evangeliorum negligendum non eſt cum propter ſtationes, Eccleſiaſque in eo notatas, tum propter adſcriptos dies feſtos. Tria ego ejuſmodi *Capitularia* nondum edita dedi in Appendice I. *Tomi I. Biblioth. Ritualis*, cum illiſque Vezzoſiana, ſeu Gallicciolliana editio conferri non inutiliter poterit.

V. Verum non unus temporum, quibus ſcripti ſunt Rituales, & Liturgici libri, attendendus ordo eſt, ſed etiam rerum, de quibus agunt. Quum ergo in quinque partes diſtribuendam eſſe Ritualem Scientiam, atque in illis Hierarchiam Eccleſiaſticam, cultum ſacrum, adminiſtrationem Sacramentorum, Sacramentalia, ac Benedictiones, curam denique pro mortuis comprehendi diximus; qui ad Rituales, Liturgicoſque evolvendos libros animum adjecerit, totidem parabit Libellos harum quinque partium titulis praenotatos, & quae inter legendum occurrerint ad ſingulas pertinentia, paucis in ſuum cujuſque partis Libellum referet, loco adſcripto, ex quo illa excerpſerit. Quae vero potiſſimum adnotanda ſint, ſequentibus capitibus commodius docebimus. Ex hiſce excerptis ad temporum ſeriem, quam legendi libri ſervabunt, incredibile dictu eſt, quantum utilitatis emerget ad noſcendas praeſertim rituum immutationes, cauſſaſque, cur eas inducendas Eccleſia cenſuerit. Ubi vero aliqua ejuſmodi immutatio deprehendatur, diligens lector reliquarum Eccleſiarum Rituales libros conſulet, ut videat, num illae hac in re Romanae Eccleſiae praeiverint, num eam ſequutae fuerint, an potius in priſtinis moribus perſtiterint, & quibus id de cauſſis factum, inquirere ſatager.

VI. Praeterea curandum, ut quae de Ritibus controverſiae emerſerunt, in earum hiſtoriam diligenter inquiratur. Aliquot de hiſce controverſias indicat MALDONATUS a me editus *Tom. III. Bibl. Ritual. pag. XIII. ſeqq.* Sed multo plures exortae ſunt, de Paſchatis celebratione, de poenitentia publica, de Symboli cantu in Miſſa, de Feſto Corporis Chriſti &c. Vitia quoque, quae vel in ſacros Ritus, vel in ipſos Liturgicos Libros paullatim irrepſerunt, eorum cauſſae, illis adlata remedia, ex accuratioribus Hiſtoricis, aut Rituum Expoſitoribus inveſtiganda erunt; id enim ad noſtrorum Rituum ſanctitatem, Eccleſiaeque vigilantiam mirificam comprobandam, at-

que ab heterodoxorum calumniis vindicandam maxime facit. Recoli hac de re nonnulla poſſunt ex mea diſſertatione II. ſaepe indicata *cap. II. num.* 4., *& cap. VII. num.* 5. Has quoque controverſias, haec quoque vitia in quinque libellos, de quibus ſupra actum eſt, pro argumentorum diverſitate referri velim. Sed ne rerum, quae in hiſce libris adnotatae ſunt, oblivione memoria obruatur, quum in aliquam molem iſti excreverint, index earumdem rerum in calce addatur alphabeti ſerie, qui ſaepius recognoſcendus erit memoriae refricandae cauſſa.

VII. Ad S. C. decreta quod adtinet, ea ſane ſi authentica ſint, nec revocata, etſi nec a Romano Pontifice confirmata, nec illo ſpeciatim conſulto edita, magna pollent auctoritate, & cujuſvis privari Auctoris ſententiae multis nominibus ſunt anteferenda, ut oſtendit Card. LAMBERTINIUS, poſtea BENEDICTUS XIV. *Inſtit.* 107. *num.* 6. Dixi *nec revocata*: ſed cave, ne revocata exiſtimes, quod aliqua ſecum confligere videantur. Nam pugna illa, ſi diligentius conſideremus, plerumque oritur, quod ea decreta peculiaribus quibuſdam rationibus, & cauſſis innixa fuerint non ſatis notis, neque ad legem generalem ſtatuendam lata ſint, ſed ad enatam pro loci alicujus conditione, ac plane ſingularibus adjunctis negocio, de quo agebatur, dirimendam dubitationem. Quae univerſalis juris ſunt, prae oculis ut habeantur, revocari ea quoque poterunt ad ſumma illa quinque capita, quibus, ut ſaepe diximus, Scientia Ritualis continetur, & in ſuae quaeque claſſis libellis breviter indicari rerum ordine cum αλφαβητικῶς, tum ubi plura decreta ſuppetant, ad annorum, quibus prodiere, ſeriem diſpoſito.

VIII. Eſſet nunc aliquid dicendum de Auctoribus, quibus in hoc ſtudio uti liceat, eorumque delectu. Sed praeterquamquod plures jam capite II. adnotavi, eoſque ſane praeſtantiſſimos, nonnullos quoque *cap. I.*, in quo de Scientiae noſtrae fontibus Ritualibus libris, ac de illorum Editoribus verba feci; erit nobis apertus ad illos indicandos in ſequentibus capitibus ampliſſimus campus. Duo tantum hac ſuper re ſcientiae noſtrae cultores monitos velim. Primum eſt, plures conferri Auctores poſſe, ſiquid occurrat ſingulari dignum diſquiſitione; ſed (quae Senecae, aliorumque graviſſimorum Magiſtrorum ad quamcumque comparandam diſciplinam inſtitutio fuit) in paucis ſtudii cauſſa ſiſtendum. Alterum eſt, in iis, quae ad morum decreta pertinent, recentioribus Magiſtris eſſe veteres plerumque praeferendos; contra in Rituali Scientia, exceptis fontibus, recentes Doctores ob majorem eruditionis copiam, atque excellentiorem in colligendis, dijudicandis, & explicandis ſacrae vetuſtatis monumentis critices vim antiquioribus eſſe anteponendos.

CAPUT.

Digitized by Google

CAPUT V.

Qua ratione Ritualis Scientia in Eccleſiaſtica Hierarchia verſetur, & quaenam de ea potiſſimum inquirat.

Hierarchiam ex Graeci nominis etymologia, vel *ſacrum Principatum*, vel *Sacrorum Principatum* deſignare, eamque in Eccleſia fuiſſe a Chriſto Domino ita conſtitutam, ut alia *juriſdictionis* ſit, *ordinis* alia, decreta fidei noſtrae ſunt a Theologis firmiſſime comprobata. Utramque Hierarchiam Ritualis quoque Scientia conſiderat; ſed ſolummodo quod ad ea pertinet, quae exterioris ſunt cultus & diſciplinae. Quemadmodum vero varii ſunt in ipſa Hierarchia gradus, & Sacrorum praefecturae pro diverſitate poteſtatum, & jurium, neque ad eam tantum ſpectant Epiſcopi, & Presbyteri, ſed etiam Miniſtri quantulacumque praediti ſint poteſtate; ita Rituum Scientia omnes hujuſmodi Sacrorum curationes, in Miniſtris quoque, nedum in Principibus diligenter attendit. Ordiemur ab Hierarchiae ſupremo capite Romano Pontifice, ad Epiſcopos deinde, caeteroſque, qui de Clero ſunt, minores Hierarchas dicendo pergemus.

ARTICULUS I.

DE ROMANO PONTIFICE

Rituales quae poſſint poni Quaeſtiones?

§. I.

Quaeſtiones de Sede vacante, caeteroque ad Romani Pontificis electionem apparatu.

Q. I. Quid, ut mors Pontificis nunciata eſt, fieri conſuevit? Lege Equitis LUNADORO librum inſcriptum: *Lo ſtato preſente, o ſia la relazione della Corte di Roma*, & a me ann. 1774 in Urbe iterum excuſum P. *I. cap. 6.*, & NOVAES in Libro, cui titulus: *Il Sacro rito antico, e moderno della elezione, coronazione, e ſolenne poſſeſſo del Sommo Ponteſice, Lect. I. num. 42. ſeqq.* Vide etiam Onomaſticon V. * Benedictio in auro, & * Interpontificium.

Q. II. Qui ritus in funere Pontificis ſerventur? Vide LUNADORO *cap. 7.* & NOVAES *lect. I. num. 50. ſeqq.*

Q. III. Quid a Cardinalibus antequam Conclave ingrediantur? Vide NOVAES *l. c. num. 53.*, LUNADORO *cap. 8.*, & CAMARDA *Diſſ. XXIX. & XXX.*

Q. IV. De conclavi quinam agunt? R. Praeter LUNADORO *cap. 9.*, & NOVAES *l. c. num. 1. ſeqq.* legi poſſunt JULIUS LAVORIUS, & Card. BRANCATIUS *Diſſ. 3.* Quae ad ingreſſum in Conclave pertinent, vide

Cc 2 apud

apud eoſdem LUNADORO *cap.* 10., & NOVAES *l. c. num.* 60. *ſeqq.* Quae vero ad clauſuram Conclavis, ad ejus cuſtodiam, & furtivum ex illo egreſſum ſpectant, expendit CAMARDA *Diſſ. XIX. ad XXVIII.* Vide Onomaſticon V. CONCLAVE.

§. II.

Quaeſtiones de Electione, Ordinatione, & Coronatione Summi Pontificis, aliiſque ad ejus veſtes, inſignia, honorificas appellationes ſpectantibus.

Q. I. Quae vetus fuit forma eligendi Summi Pontificis? R. Praeter Onomaſticon V. * PONTIFEX vide GARNERIUM *ad Librum Diurnum*, CANTELIUM *in Metropolitanarum Urbium hiſtoria P. II. Diſſ. IV. cap.* 1. 2. 3. 4. & 5., ac MABILLONIUM *Comm. in Ordin. Rom.* §. 17.

Q. II. Quae ratio ſit eligendi Pontificis a tempore Lateranenſis I. Synodi ad noſtram aetatem? R. conſuli poſſe CANTELIUM ibid. *cap. VI.*, LUNADORO *a cap. XI. ad XVII.*, NOVAES *num.* 65. *ſeqq.*, BIGNON, BONACINA, BUSENELLI, CAMARDA, INGOLI, LOTTINI, C. DE LUCA, ex cujus Libro 1 *Il Dottor volgare* Veronae excerptum, editumque fuit 1758. opuſculum praenotatum *Caeremonial del Conclave* (*Bibl. Rit. Tom. II. pag.* 108.) PAPEBROCHIUM, & PASSERINUM.

Q. III. Quid de nominis mutatione apud Romanos Pontifices recens electos? R. adeundos ANGELINI, NICOLAUM, & NOVAES *num.* 102. *ſeqq.* Vide etiam Onomaſticon V. * NOMEN, & inter Proteſtantes JOH. FRIDERICUM KRAUSIUM.

Q. IV. Peracta Electione, quid agendum? R. Confer NOVAES *num.* 105., qui etiam *num.* 106. erudite de Sella geſtatoria agit.

Q. V. Quibuſnam honorificis nominibus Pontifex ab ipſa ſua electione appellari ſoleat? R. Docebunt id CAMARDA *Diſſ. VI.*, CANTELIUS *P. II. diſſ.* 1. *cap.* 8., NOVAES *n.* 107. *ſeqq.*, praeſertim vero RAYNAUDUS *in Corona aurea ſuper Mitram Romani Pontificis. Selectorum titulorum &c.* Romae 1647. 4. De nomine * PAPAE, & * DOMNI vide etiam Onomaſticon. Dicti ibidem Pontifices * PROCERES, & VATES.

Q. VI. Eſtne improbandus uſus oſculandi pedes electi Romani Pontificis? R. Improbant Proteſtantes ut JOH. FRIDERICUS MAYER in Tractatu *de oſculo pedum Pontificis Romani*. Sed vide JOSEPHUM STEVANUM in praeclaro opere *de adoratione, & oſculatione pedum Summi Pontificis*, ubi antiquitas, & aequitas hujus ritus oſtenditur. Vide etiam LUNADORO *cap. XXI.*, & MAZZARONIUM in libro, quem infra indicabo *quaeſt. X.*

Q. VII. De electi Pontificis conſecratione qui ſcripſerint? R. ſcripſiſſe cumprimis GARNERIUM *ad librum diurnum*, & MABILLONIUM *Comment. in Ordin. Roman.* §. 18. Conferatur etiam NOVAES a *num.* 121.

Q. VIII. Quaenam Pontificis nondum Coronati auctoritas ſit? R. legendum hac de re eumdem NOVAES a *num. CXI.*

Q. IX. Quaenam ſunt Pontificia indumenta? R. Alia ſunt domeſtica ut

Digitized by Google

ut * Camelaucium; alia ſacra; alia aliis ſui muneris functionibus accommodata. Haec omnia *cap. XVIII.* percenſet LUNADORO. De ſacris, inter quae * Fanon, de quo vide etiam V. * Mappula, * Orale, * Praecinctorium, agit DOMINICUS GEORGIUS *Tom. I. de Liturgia R. P. lib. I. cap. XII. ſeqq.*, & in peculiari Italico libro: *Gli abiti ſacri del Romano Pontefice &c.*, de quo *Bibl. Rit. Tom. II. pag.* 197. Vide & Anonymum, de quo *ibid. pag.* 116. Nec omittendus Cl. PAPEBROCHIUS. *De manicis ceratis*, quas Pontifex baptizaturus induebat, vide hic * Brachiale.

Q. X. De R. P. Mitra, Tiara, Regno exſtantne peculiares diſſertationes? R. Utique: exſtat nempe MARCI ANTONII MAZZARONI tractatus *de tribus Coronis Pont. Max. necnon de oſculo ſanctiſſimorum ejus pedum*. Item ANGELI ROCCHAE *de Tiara* Tractatus. Conſule etiam LUNADORO *cap. XIX. pag.* 161., NOVAES Lect. II. *a num.* 3., Eminent. JOSEPHUM GARAMPIUM in eruditiſſimis de quodam *Feroniani* (*Garfagnana*) ſigillo obſervationibus, & GEORGIUM *de Liturgia R. P. Lib. I. cap.* 26., & 27. Vide etiam hic * Tiara, & * Titulus in Mitra Pontificia.

Q. XI. Undenam ritus Pontificiae Coronationis peti poſſunt? R. Ex LUNADORO *cap. XIX.*, & NOVAES *Lect. II. a num.* 10. Aliqua huc ſpectantia habes in Onomaſtico V. * Faldistorium, * Flabellum, * Presbyterium (de quo vide etiam PETRUM MORETTUM) * Stuppae Combustio.

Q. XII. Ritus praeferendae Crucis ante Romanos Pontifices eſtne antiquus? R. Ne dubites. Vide AUGUSTINUM FIVIZZANI, & GEORGIUM *lib. cit. cap.* 5. Immo idem GEORGIUS *cap. IV.* docet, Chriſmatis ampullam ante Pontificem fuiſſe delatam.

Q. XIII. Quo ritu Pontifex Baſilicae Lateranenſis poſſeſſionem init? R. Longe ſolemniſſimo, quem deſcribunt LUNADORO *cap. XX.*, & NOVAES *Lect. III.* Huc ex Onomaſtico pertinent * Addextro, * Banda, * Bandorenses, * Draconarius, * Naccus, * Stercoraria Sedes.

Q. XIV. Celebratne Pontifex annuam adſumpti Pontificatus memoriam? R. Celebrare, idque ex veteri more. Vide Onomaſticon V. Natalis Episcoporum, & * Coronae Festum.

Q. XV. Quid ſentiendum de ritu ſanctiſſimae Euchariſtiae ante Romanos Pontifices itinerantes deferendae? R. Legitimum, & aequiſſimum eſſe, ut oſtendit ANGELUS ROCCA; quocum conferri poteſt GEORGIUS *lib. cit. cap.* 4.

§. III.

Quaeſtiones Rituales de Sacris functionibus, & Benedictionibus Romani Pontificis propriis.

Q. I. Quaenam princeps eſt Sacrarum Pontificiarum functionum? R. Liturgia eſt, de qua paucis LUNADORO *cap. XXII.*, multis MABILLONIUS *Comment. in Ord. Rom. §. 6. ſeqq.*, & GEORGIUS in citato opere *de Liturg. R. P.*, cujus excerpta exſtant, ut dixi *Tom. III. Bibl. Rit. pag.* 351. *in Mercurio* Gallico ann. 1737. & 1738. Vide ANGELUM

ROC-

Digitized by Google

ROCCHAM, & hic * FERMENTUM, * FLABELLUM, * LEVARE CALICEM, * MAGISTRI OSTIARII, * SACRA.

Q. II. Quinam Romano Pontifici in ſacra Liturgia miniſtrent? R. varios fuiſſe pro diverſis Saeculorum moribus hujuſmodi Miniſtrorum gradus, varium numerum. Vide GEORGIUM *lib. III. de Liturg. R. P. cap.* 5. Ad hoſce Miniſtros ſpectant, quae in noſtro Onomaſtico invenies V. * ACOLYTHUS, * ARCHIACOLYTHUS, * ARCHISUBDIACONUS, qui & *Prior Subdiaconorum*, * BASILICARIUS, * DIACONUS, * LECTORES, * MAGISTRI OSTIARII, * OBLATIONARIUS.

Q. III. Eſtne aliquid peculiare, quod ad Cantores ſpectet? R. Spectat enimvero * SCHOLA CANTORUM, dicta etiam * SCHOLA VIRGANORUM, qui & ſuum habebant * PRIMICERIUM. Vide hic etiam * ARCHIPARAPHONISTA, * PARAPHONISTA. De his omnibus plura dabit GEORGIUS *Tom. II. diſſ.* 1. *cap.* 7.

Q. IV. Praeter Liturgiam ſuntne aliquae *benedictiones* Romanorum Pontificum propriae, ac memoratu dignae? R. Quatuor cumprimis praeter ſolemniores illas, quibus ſtatis diebus ſolent Pontifices populo bene precari, iis fere geminas, quas poſſeſſionem Baſilicae Lateranenſis capturi (Vide * MENIANUM) ſolent populo impertiri: ſunt autem

1. Benedictio Roſae aureae, de qua BALDASSARRI, BENEDICTUS XIV., BUSENELLI, CARTARI, CENNI in opuſculo, quod inter Anonyma recenſui *Tom. II. Bibl. Rit. pag.* 110., LUNADORO *cap. XXIII. pag.* 213., RAYNAUDUS, RICCI, ROCCA. V. hic * ROSA AUREA.

2. Enſis cum pileo in nocte Nativitatis Domini, de qua iidem RAYNAUDUS, RICCI, ROCCA, & LUNADORO *cap. XXIII. pag.* 209.

3. Palliorum. Vide LUNADORO eodem *cap. XXIII. pag.* 215.

4. Agnorum Dei, de quibus hic vide * AGNUS DEI. Legantur ſi placet, Auctores *Tom. II. Bibl. Rit.* a me percenſi, ANTONIUS BALDASSARRI, VINCENTIUS BONARDI, STEPHANUS BORGIA, AUGUSTINUS CAESTANUS, JOHANNES MOLANUS, STEPHANUS NICOLINI, ONUPHRIUS PANVINIUS, RAYNAUDUS, RICCI, SUAREZ, CARD. AUGUSTINUS VALERIUS; illiſque addatur LUNADORO *cap. XXIV.*

Q. V. Nihilne de pedilavio, quod in Coena Domini fieri a Summo Pontifice ſolet, & convivio, quod tredecim Sacerdotibus pauperibus, eodem illis Pontifice miniſtrante, inſtruitur? R. Satis fore, ſi FRESCOBALDUM ORLENDIS, SARNELLIUM legeris, aut ſaltem LUNADORO *cap. XXV.*

Q. VI. Quinam legendi de ſolemni in die Corporis Chriſti ſupplicatione? R. CATALANUM adi, qui & in caeteris hactenus dictis conſulendus erit. Pauca, ſed ſcitu digna dabit LUNADORO *Tom. II. pag.* 330.

Q. VII. Olim ad ſtationes procedebant Pontifices. Quaeritur qua pompa, quo ritu? R. 1. Indicebantur ſtationes antiquiore aevo ab Archidiacono, abſoluta Pontificis communione. Vide MABILLONIUM *Comm. in Ord. Rom. pag. LVII.* Saeculo vero XII. ante communionem a Subdiacono regionario. GEORGIUS *Tom. III. pag.* 119. Quod ad caetera adtinet, praeter Onomaſticon V. * STATIO, * SCHOLA CRUCIS, * MINISTERIALES,

Digitized by Google

les, * Crux Stationalis, * Pugillares, confer MABILLONIUM *loc. cit. pag. XXXI. ſeqq.*, ALBASPINAEUM, CIAMPINIUM, PANIGAROLAM, PANVINIUM, PIAZZA, UGONIUM..

Q. VIII. De ritibus Beatificationis Servorum Dei, Beatorumque Canonizationis, quos Auctores conferre licet? R. Prae omnibus conſules harum rerum magiſtrum praeſtantiſſimum BENEDICTUM XIV. Paucis hoſce ritus complexus eſt LUNADORO *T. I. cap.* 26. Legi poſſunt etiam AGNELLUS ONORATO, & JOH. BAPT. MEMMIUS. Adde JUSTINIANUM CHIAPPONI, & JOH. BAPT. MARUM *de Myſteriis oblationum in Miſſa canonizationis* differentes.

Q. IX. Age tandem, quinam ritum enarrant, quo in annis Jubilaeis Porta Sancta a Romano Pontifice aperitur, & clauditur? R. Quotquot de iſtiuſmodi Annis Sanctis poſt ALEXANDRUM VI. hiſtorice egerunt. Eos vide indicatos *Bibl. Ritual. Tom. II. pag.* 441., ut ALFANUM, BALDASSARRI, LONIGO, PHOEBAEUM, QUARTI, ROCCAM, THEODORUM a SPIRITU SANCTO, VICTORELLUM. Ego quoque in Opere inſcripto *dell' Anno Santo* hoc de ritu, uti & de caeteris, qui ad Jubilaei indictionem, idque genus alia ſpectant, copioſe diſſerui. Qui brevitatem amat, adeat LUNADORUM *Tom. I. cap.* 27. Vide & hic V. * Jubilaeus.

§. IV.

Quaeſtiones Rituales de iis, quae in adminiſtranda Eccleſia univerſali ſervare Pontifex conſuevit, occupantur.

Tria potiſſimum conſiderati hic poſſunt, quae amplam quaeſtionum materiem ſuppeditant.

Primum ad Conſiſtorium ſpectat, quod Pontifex in gravibus Eccleſiae negociis Cardinalium ſententias rogaturus per * Cursorem indicere ſolet. Vide Onomaſticon V. * Consistorium. Plura invenies apud LUNADORO *Tom. II. cap. V.* Operae tamen pretium erit Cardinalis GABRIELIS PALAEOTTI *de ſacro Conciſtorio* tractatum evolvere.

Alterum ad epiſtolas pertinet, eas praeſertim, quas ad Eccleſias, earumque Clerum, Epiſcopos, Synodos, vel etiam ad Principes, aut alios Magiſtratus in negociis fidei, morum, diſciplinae ſive reſcripta, ſive leges daturus Romanus Pontifex mittit. Sunt autem hae recepto a non paucis ſaeculis nomine, aliae *Bullae*, aliae *Brevia*, inter quae quid interſit, habes ex MABILLONIO *de re diplom. lib. II. cap.* 14., apud NOVAES *lect.* 1. *n.* 47. Ac de his quidem epiſtolis, quae paſſim * Apostolicae vocantur, & * Auctoritas, ut *privatas* Pontificis litteras, quae tertium quoddam genus ſunt ejuſmodi epiſtolarum, nunc omittam, quaeri poteſt

1. Quando Romani Pontificis nomen nomini eorum, quibus ſcribit, praeponi coeptum eſt? Qua de quaeſtione conſule cumprimis GARNERIUM in appendice *ad Librum Diurnum Diſſ.* 1., & CANTELIUM *in Metropolitanarum Urbium hiſtoria P. II. Diſſ.* 1. *cap.* 1.

2. An, quod ajebat FEBRONIUS, *ſub praeſidio Epiſtolarum* ISIDORI

coepe-

coeperint Pontifices *ſe ſimpliciter* Epiſcopos ſcribere; quum antea nonniſi *Epiſcopos Urbis* ſe inſcriberent? Videbis autem hac ſuper re, quae in *Antifebronio vindicato Tom. II. Diſſ. IV. cap.* 4. *num.* 4. ſunt a me diſputata.

3. Quae alia cognomina ſibi adſciverint Romani Pontifices? Confer CANTELIUM *loc. cit. cap.* 2., ubi & de appellatione *Servus Servorum Dei*, de qua praeter Onomaſticon V. * SERVUS *&c.* legendus etiam NOVAES *lect.* 1. *num.* 109.

4. De ſolemni formula: *Salutem, & Apoſtolicam benedictionem*. Agit de ea CANTELIUS *loc. cit. cap. VII.*, item NOVAES *lect.* 1. *num.* 48. & Onomaſticon V. SALUTEM &c.

5. Quae notae temporis Romanorum Pontificum epiſtolis apponantur, earumque antiquitas? De omnibus diſputat CANTELIUS *loc. cit. cap.* 8. De uſu anni ab Incarnatione, deque ſtylo Romanae Cancellariae vide PAPEBROCHIUM *in Conatu Diſſ.* 38. *&* 47., & NOVAES *lect.* 1. *a num.* 114.

6. De Sigillo, vide Onomaſticon V. * ANNULUS PISCATORIUS, * BULLAE PLUMBEAE, * FORMATAE, * SIGILLUM; PAPEBROCHIUM *cit. Diſſ.* 38., NOVAES *lect.* 1. *a num.* 43. *& Tom. XXVII.* Operis inſcripti: *Nuova Raccolta d'opuſcoli ſcientifici, e Filologici* Paſtoris Arcadis Cenetenſis Syntagma *de' Piombi diplomatici Pontificj* ad doctiſſimum Praeſulem, nunc vero (quod boni omnes optabant) Eminentiſſimum S. R. E. Cardinalem GARAMPIUM.

7. Tandem apud exteras gentes Apoſtolicae Sedis, atque univerſae Eccleſiae negocia Romani Pontifices tractant

1. Per ſuos Nuncios, quos antiqua aetas * APOCRISARIOS nominabat. (De his adi MATHIAM A CORONA in *Tractatu poſtumo de poteſtate, & dignitate Legatorum Apoſtolicorum &c.* Leodii 1672., LEURENIUM *in Foro Eccleſiaſtico*, BARBOSAM *I. E. V. lib.* 1. *cap.* 5. *ſeqq.*, & quae adverſus FEBRONIUM de his diſſerui cum *in Antifebronio*, tum in *Antifebronio Vindicato.*)

2. Per Vicarios Apoſtolicos, de quibus praeter PETRUM de MARCA in *Concordia*, & THOMASSINUM, diſputatum a me fuit in FEBRONIUM in iiſdem *Antifebronii*, & *Antifebronii vindicati Libris*.

3. Per Legatos a Latere, quorum origines, variaſque epochas copioſe diſcutit idem THOMASSINUS *P. I. lib. II.* Conferri quoque de illis poterunt, ut alios praeteream, THOMAS DE LA TORRE *de auctoritate, gradu, & terminis Legatorum a Latere*, Romae 1667., & FRANCISCUS XAVERIUS HOLL *in Statiſtica Eccleſiae Germanicae P. I. cap.* 6. Adde his * MANIPULARES.

§. V.

Officia domus Pontificiae a Panvinio explicata in interpretatione Vocum Eccleſiaſticarum, & in Mabillonianis Ordinibus Romanis indicata, quo ordine in Onomaſtico recenſentur.

* ADMINICULATOR
* ARCARIUS, cujus officium * ARCARIA
* BIBLIOTHECARIUS
* CAME-

* Camerarius
* Cancellarius
* Cappellani
* Cursor
* Datarius
* Defensores. De his vide etiam GEORGIUM *Tom. I. de Liturg. R. P. pag. 31.* Defenſoribus cura Patrimoniorum S. R. E. a Romano Pontifice demandabatur, ut oſtendi *Tom. II. mearum de rebus ad Hiſtoriam, atque antiquitates Eccleſiae pertinentibus* Diſſertationum Diſſ. X. *de Patrimoniis S. R. E. cap. V.* §. 2.
* Judices, quos inter hodie eminent XII. Viri Stlitibus judicandis, vulgo *Auditores Sacrae Rotae, vel Auditores S. P. A.* Vide Onomaſticon V. * Rota
* Magistri Caeremoniarum
* Magister Sacri Hoſpitii
* Major domus
* Nomenclator. Lege GEORGIUM *Tom. I. pag. 36.*
* Notarii
* Paracellarius
* Primicerius
* Primicerius Defenſorum, de quo idem GEORGIUS *ibid. p. 31. & 33.*
* Primicerius Judicum
* Primicerius Lectorum
* Primicerius Notariorum
* Protonotarius
* Protoscriniarius
* Saccellarius. Conſule etiam GEORGIUM *Tom. I. pag. 37.*
* Sacrista. Vide eumdem GEORGIUM *Tom. I. pag. LII.*
* Scriniarii XII.
* Secundicerius
* Superista
* Vestiarius } De utroq. GEORGIUS *T. I. p. 35.*
* Vicedominus }

§. VI.

Scholae ſacris Romani Pontificis functionibus addictae.

* Schola Baſilicae
* Schola Cantorum
* Schola Crucis
* Schola Lectorum
* Shola Virgariorum.

ARTICULUS II.

DE S. R. E. CARDINALIBUS

Quaeſtiones.

Plures ſunt, qui de S R. E. Cardinalibus commentarios vulgarunt, ut JOH. HIERONYMUS ALBANI, P. ANDREUCCI, BLASIUS BAGNI e Canonicis Regularibus in Libro *de praecipuis S. R. E. dignitatibus* Bononiae 1625. & 1649., COHELLIUS, PAULLUS CORTESIUS, Card. DE LUCA, HIERONYMUS MANFREDUS, P. PIATTI, alias PLATUS, CAROLUS BARTHOLOMAEUS PIAZZA, & GUNDISALVUS DE VILLADIEGO. Verum in proponendis, quae ad Eminentiſſimorum Patrum Senatum ſpectant, quaeſtionibus, tres potiſſimum ſequar eruditiſſimos Scriptores P. CANTELIUM *P. II. Diſſ. V.*, DOMINICUM GEORGIUM *Tom. II. de*

Liturg. R. P. Diſſ. 1.; & P. JOSEPHUM KLEINER duplici diſſertatione ann. 1767. & 1768. Heidelbergae edita, & a Cl. ANTONIO SCHIMIDT recuſa *Tom. II. ſui Theſauri Juris Eccleſiaſtici pag.* 443. *ſeqq.* Vide interea Onomaſticon V. * CARDINALES.

§. I

De Cardinalium origine, & antiquitate, numero, titulis.

INſtitui poteſt hic quaeſt. I. De origine, & antiquitate *Muneris* Cardinalium. De hac KLEINER *D. I. cap.* 2. & CANTELIUS *cap.* 1. Quibus addi poſſunt SANTINELLI, BARTHOLOMAEUS CARRARA, MURATORIUS in Antiquitatibus Italicis medii aevi *Diſſ. LXI.*, a qua tamen CAJETANI CENNII in eam animadverſiones disjungendae non ſunt, & MAZOCHIUS *in Diſſ. de Cathedralis Eccleſiae Neapolitanae ...... vicibus pag.* 251. *ſeqq.*

Quaeſtio II. de origine, & antiquitate *nominis* Cardinalium. V. KLEINER *cap.* 3., & CANTELIUM *loc. cit.* Fuit autem multis ſaeculis, non diffitentibus ipſis Pontificibus Romanis, id nomen aliis Eccleſiis commune. Hinc Mediolanenſes, Ravennates, Neapolitani (de his MAZOCHIUS *loc. cit. pag.* 255.), Cremonenſes &c. *Cardinales*; neque in Italia ſolum, ſed & in Galliis (vide Conc. Meldenſe ann. 845., ac VANESPEN *P. I. Tit.* 22. *cap.* 1.), & in Germania, ut conſtat ex ZACHARIAE epiſtola ad PIPINUM, ex BENEDICTO VII. apud HONTHEIM *T. I. Hiſt. Trevir. diplom. fol.* 313., & ex JOHANNIS XIII. epiſtola ad ADELBERTUM Magdeburgenſium Archiepiſcopum. PIUS tandem V. ſolos Romanae Eccleſiae a Summo Pontifice creatos Cardinales hoc nomine decorandos eſſe ſancivit, ut docet C. PETRA *Tom. IV. ad Conſtit. XV.* EUGENII IV. *num.* 6. & 7.

Quaeſtio III. de tribus Cardinalium Claſſibus, antiquiore Presbyterorum, tum altera Diaconorum, ac tandem Epiſcoporum. Ac de Presbyteris quidem GEORGIUS *cap.* 2., & CANTELIUS *cap.* 2.; de Diaconis uterque *cap.* 3., & MAZOCHIUS *pag.* 274.; de * EPISCOPIS Cardinalibus, qui & * VICARII *Papae*, praeter GEORGIUM *cap.* 1., & CANTELIUM *cap.* 4., PAPEBROCHIUS in *Conatu* ad HADRIANUM IV., qui in ejus Catalogo CLXXI. Pontifex eſt, & ANDREUCCIUS in ſingulari de Cardinalibus ſuburbicariis diſſertatione. Vide & KLEINERUM *Diſſ. I.* §. 25. *ſeqq.* In Onomaſtico * PRIMUS *Sedis Apoſtolicae Presbyter*, primus eſt inter Cardinales Presbyteros.

Quaeſtio IV. An Subdiaconi fuerint umquam Cardinales? Negat CENNIUS; ajunt KLEINER §. 27., & GEORGIUS *cap. IV. num.* 3. Vide etiam Onomaſticon V. * CARDINALES.

Quaeſtio V. De numero Cardinalium. Legendi KLEINER *cap.* 4.; CANTELIUS *cap.* 7., & LUNADORO *P. II. cap.* 2.

Quaeſtio VI. De Titulis, & Sedibus Cardinalium. De Titulis Presbyterorum praeter KLEINERUM *cap. V.* §. 37. *ſeqq.*, & GEORGIUM *cap.* 2. le-

2. legito MABILLONIUM *Comm. in Ord. Rom. pag. XII. ſeqq.* De Diaconis idem MABILLONIUS poſt PANVINIUM agit *pag. XVII.*, uti & GEORGIUS *cap. 3. a num. 3.*, & KLEINERUS *cap. V.* §. 40. *ſeqq.* V. etiam Onomaſticon V. * Diaconiae. Demum de Sede Epiſcoporum Cardinalium confer GEORGIUM *cap. 1.*, CANTELIUM *cap. V.*, & LUNADORO *P. II. cap. 1.*

Quaeſtio VII. *De varia Tituli, vel Diaconiae &c. permutandae ratione.* Vide CANTELIUM *cap. 6.*, BRANCATIUM *de optione ſex Epiſcopatuum S. R. E. Cardinalium*, & LUNADORO *P. II. cap. 4.*

§. II.

De S. R. E. Cardinalium creatione, muneribus, praerogativis, & praecellentia.

Suae & hic quaeſtiones occurrunt. Ac prima quaeſtio eſſe poteſt, quo ritu Cardinales a Pontifice creari ſoleant? Eum habes a LUNADORO deſcriptum *P. II. cap. 2. pag. 15. ſeqq.* Adde ex Onomaſtico * Consilia *auricularia*. In illis vero deligendis Summi Pontifices ea, ſive vitam, ſive aetatem, ſive doctrinam, aliaſve qualitates conſideres, ſpectare debent, quae in Cardinalium creatione Tridentinum Concilium *Seſſ. XXIV. cap. 1. de reform.* optabat. Vide KLEINERUM *Diſſ. II. cap. 3.* Interdum tamen contingit, ut nullam aetatis rationem in eis ſibi adſciſcendis Pontifex habere debeat. Hinc JO. GEORGII ESTOR diatriba *de Cardinale impubere*, occaſione LUDOVICI filii Regis Hiſpaniarum a CLEMENTE XII. Cardinalium Collegio adlecti. In Cardinalium creatione nonnulla FEBRONIUS reprehendit; ſed vide quid ejus criminationibus repoſuerim *Tom. IV. Antifebr. vindic. Diſſ. X. pag. 62. ſeqq.*

Quaeſtio II. ſit de primo Cardinalium munere, ac jure praecipuo eligendi ſupremum Eccleſiae Caput. Ad hanc vero quaeſtionem adhibendus praeter KLEINERUM *cap. II.* erit NOVAES in Diſſertatione praevia ad ſuas de ritu eligendi &c. Pontificis lectiones *num. 20. ſeqq.*, uti & CAMARDA. Conſule etiam PAPEBROCHIUM in Conatu ad NICOLAUM II. *num. 5. ſeqq.*, & ibidem ad MARTINUM V. in Compendio Chronologico rerum ad Decreta Conſtantienſia ſpectantium *num. 20.*

Quaeſtio III. De munere, quod Cardinales habent, adminiſtrandi cum Pontifice, aut vicario nomine, Eccleſiam. Hac de re KLEINERUS *cap. 3.* Quum autem ad hoc munus maxime pertineant Cardinalium Congregationes, eas ibidem §. 22. *ſeqq.* idem KLEINERUS recenſet: ſed de his conſulatur LUNADORO *P. II. cap. VI. ſeqq.*

Quaeſtio IV. Quae Cardinalium inſignia ſint, quae appellationes? Redeundum hic ad CANTELIUM *Diſſ. V. cap.* 8., cui junges KLEINERUM *cap. V.* § 39. Praeterea de veſtibus Cardinalium confer BONANNI (PHILIPPUM), LONIGO (MICHAELEM), SUARESIUM (JOSEPHUM MARIAM), & qui de rubro Cardinalium birreto diſſeruerunt, HIERONYMUM CATENAM, & ANTONIUM SCAPPO. De *Eminentiſſimi* appellatione omnium honorificentiſſima vide Onomaſticon V. * Eminentissimus.

Quaeſtio V. De aliis Eminentiſſimorum Patrum privilegiis? Ea paucis complexus eſt KLEINERUS *cit. cap. V.* §. 39. *&* 42. Plura invenies apud ANDREUCCIUM. Legendus quoque BRANCATIUS *Diſſ.* 1. *de privilegiis, quibus gaudent Cardinales in propriis Cappellis*. Adde & DOMINICI MACRI diſſertatiunculam Romae excuſam 1668. *An Diaconus Cardinalis poſſit ſolemniter benedicere in ſua Diaconia?*

Quaeſtio VI. Quanta ſit Cardinalium dignitas cum Epiſcopis comparata? Ad hanc invidioſam quaeſtionem habes quid reſpondeas *in Antifebronio Tom. IV. lib. V. cap.* 2. *num.* 2., *& in Antifebronio vindicato Tom. IV. diſſ. X. cap.* 1. *num.* 2. Lege etiam CANTELIUM *Diſſ. V. cap.* 9., & KLEINERUM *Diſſ. II. cap.* 4. De Cardinalium vero cum S. R. I. Electoribus collatorum proedria, & ut ajunt, praecedentia vide HOLL P. *I. Statiſticae Eccleſiae Germanicae cap. VII. art.* 1. §. 50.

Quaeſtio VII. De Cardinalium funere. Adi LUNADORO P. *II. cap.* 3.

ARTICULUS III.

DE EPISCOPIS.

§. I.

Epiſcoporum nomen, honorificae appellationes, Chriſtianorum in eos obſequia.

1. DE nomine Epiſcopi vide hic V. * Episcopus. Hinc Epiſcopi aedes * Episcopium dicta.

2. Epiſcopatus dictus etiam fuit *Apoſtolatus*. Vide hic V. * Apostolatus.

3. Aliis perhonorificis appellationibus decorati Epiſcopi fuerunt. Vide hic V. * Apostolicus, * Episcopus, * Papa, * Sacerdos, * Vates. Plura dabunt MAMACHIUS *Origin.*, *& Antiquit. Chriſtian. Tom. IV. pag.* 284. *ſeqq.*, & SELVAGGIUS *lib.* 1. *Antiquit. Chriſtian. cap.* 12. §. 4.

4. Quaedam obſervantiae indicia, quibus Epiſcopi a Fidelibus colebantur, ab iiſdem MAMACHIO *ibid. pag.* 541., & SELVAGGIO *ibid.* §. 5. recenſentur. Vide hic V. Osculum.

§. II.

Variae Epiſcoporum claſſes.

HAS invenies hic V.

* Patriarcha
* Exarchus
* Primas
* Archiepiscopus
* Metropolita
* Autocephalia
* Episcopus, abſque alio ullo additamento
* Forensis, qui & *vagans*, & *regionum* Epiſcopus dictus
* Suffraganeus
* Titularis, V. Suffraganeus

Si de

Si de his plura volueris, legito THOMASSINUM, CANTELIUM *P. I. Diſſ. I. cap. 2. ſeqq.*, & SELVAGGIUM *lib. I. Ant. Chriſtian. cap. 16. ſeqq.* Adde de Primatibus PETRUM DE MARCA in diſſ. *de Primatibus*; JOH. MORINUM Exercit. Eccl. de *origine Primatum*, & de Primatibus Germaniae Auctores ab HOLL *in Statiſtica Eccleſ. German. P. I. cap. VII. art. 2.* §. 54. indicatos; de Titularibus vero Epiſcopis ANDREUCCIUM *in Hierarchia Eccleſiaſtica lib. I. Tract. I. de Epiſcopo Titulari*. Frequentior eſt in Germania horum Titularium Epiſcoporum ad ferendas majoribus Archiepiſcopis in Epiſcopali munere ſuppetias uſus; ac non modo Suffraganei appellantur, ſed etiam *Vicarii in Pontificalibus*.

§. III.

Epiſcoporum Electio, & Conſecratio.

1. DE Electione Epiſcoporum praeter LUCAM CASTELLINUM legendi GARNERIUS *ad librum diurnum*, HALLIER *de ſacris electionibus &c.*, THOMASSINUS, SELVAGGIUS *loc. cit. cap. XXI.*, & ut Juris Canonici peritos omittam, Cl. HOLL *Tom. I. Statiſticae nuper citatae cap. X. de modis deveniendi ad Praelaturas Eccleſiaſticas in Germania*. An per ſortes Epiſcopi eligi poſſint, vide hic V. * SORTES.

2. Extat CHRISTIANI LUPI *diſſertatio de conſecratione Epiſcoporum per Romanum Pontificem*; de qua adeundi iidem GARNERIUS, & HALLIERUS. Ritus conſecrationis Epiſcopi edidit STANISLAUS SOCOLOVIUS; illuſtravitque EDMUNDUS MARTENE. Vide etiam SELVAGGIUM *cap. XXI.* §. 5., hic vero V. * CAPITERGIUM.

3. Formam Juramenti Epiſcoporum, quam GARNERIUS illuſtravit, vindicavi ego *Tom. II.* mearum Latinarum Diſſertationum Fulginei editarum *Diſſ. XIII. de jurejurando, quo Archiepiſcopi Pallio donati, & Epiſcopi in ſacra ipſorum ordinatione obedientiam Romano Pontifici pollicentur, pag.* 264. Vide etiam HALLIERUM *P. I. cap. IV. Sect. VI.* ubi & de * CAUTIONE, ſeu Fidei profeſſione, quam ordinandus Epiſcopus emittere debet, §. 8. Adde Card. BONAM in epiſtola, de qua *Bibl. Rit. Tom. II. pag.* 140.

4. Quod ad orientales Epiſcopos adtinet, duo ſuper eorum conſecratione dubia ſoluta habes a Card. BONA in ſuis epiſtolis: alterum, *utrum ſit valida conſecratio Epiſcopi ſine auctoritate Patriarchae, vel Metropolitani facta in Eccleſia Orientali?* Alterum erat, *an Epiſcopus Graeci ritus ab uno tantum Epiſcopo conſecratus ſit valide conſecratus?*

5. Idem Card. BONA quaeſito reſpondit, *utrum Miſſa, in qua conſecratur Epiſcopus, vel conferuntur ordines, dicenda ſit ſolemnis, licet ſine cantu celebretur.*

6. Solebant porro Epiſcopi diem ſuae Conſecrationis anniverſaria celebritate recolere. Vide hic V. * NATALIS EPISCOPORUM.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Inſignia, & veſtes Epiſcoporum; ſingularia alia.

1. PRaecipua Epiſcoporum inſignia extra ſacra ſunt 1. * ANNULUS, de quo POMPEJUS SARNELLI, 2. * CRUX PECTORALIS, quae & * ENCOLPIUM in ſacris, * MITRA, quae etiam * APEX, * CORONA, * CUPHIA, & * INFULA dicitur; tum * BACULUS PASTORALIS, ſeu, ut alii ajunt, * CAMBUTTA, CROCIA, CROSSA, FERULA, GAMBUCA, VIRGA, & * PEDUM; unde qui Baculum Epiſcopo defert, * PEDIFER appellatur. Vide JOH. CIAMPINI.

2. Archiepiſcopi duo praeterea habent inſignia. Primum eſt * PALLIUM, quod Graeci * OMOPHORION vocant. De eo plures diſſeruerunt, M. PAULLUS LEO, PEREGRINUS MASERUS, FRANC. MARIA PHOEBAEUS, NICOLAUS DE BRAULION, JOH. LAURENTIUS BERTI; cum primis vero legendi DANIEL PAPEBROCHIUS, P. GARNERIUS, P. CANTELIUS *in Metropolitanarum Urbium hiſtoria P. I. Diſſ. III. cap. 1. ſeqq.*, D. THEODORICUS RUINARTIUS, quibuſcum confer PETRUM DE MARCA *lib. VI. cap. 6. ſeqq.*, & ad eum CARMINUM FIMIANUM nuperum Neapoli *Concordiae* editorem, alioſque apud HOLL *Statiſt. cap. VII. art. 3. §. 60.* Monet autem idem HOLL §. 62., in Germania (quod & alibi factum ſingulari quadam Romanorum Pontificum indulgentia) eſſe Epiſcopos quoſdam, quibus haec utendi pallio facultas conceſſa eſt, Epiſcopos nimirum Bambergenſem, Paſſavienſem, & Würceburgenſem. Pallio affine eſt * RATIONALE, ſingularis formae ornamentum, quod geſtant Euſtettenſes Epiſcopi, de quibus GRETSERUS in *obſervationibus* ad Vitam S. WILLIBALDI, & P. ZECH *in Hierarchia Eccleſ. Tit. XVII. §. 186.*

3. Alterum Archiepiſcoporum inſigne Crux eſt, ubique intra Provinciam illis praeferenda, etiam in locis exemptis, modo praeſens non ſit Legatus Romani Pontificis inſignibus utens Apoſtolicae dignitatis. C. I. *ut lite pendente nihil innov. C. 23. de privileg. & exceſſ. privileg. Clement. 2. eod.* Confer SAUSSAJI Librum apologeticum *de Sacro ritu praeferendi Crucem Majoribus Praelatis* a me in ſupplementis *ad Bibliothecam Ritualem Tom. III. pag. 359.* memoratum, & CANTELIUM cit. *diſſ. 3. cap.* 7. Illud autem diſcrimen eſt inter Patriarchas, & Archiepiſcopos, quod ante Patriarchas Crux geſtetur ubique, etiam extra ſui Patriarchatus ditiones, excepta ſola urbe Romana; Metropolitanis vero praeferatur intra ſuae Provinciae limites. Item Crux Patriarcharum *duplici* conſtat tranſverſo ligno, uno tantum Crux Metropolitanorum. Vid. GONZALEZ *in cap. 1. ut lite pendente*. Caeterum BENEDICTUS XIV. ann. 1745. *Conſtit. 133. Tom. I.* ſingulari hoc ornamento Epiſcopos Euſtettenſes decoravit, ut ad inſtar Archiepiſcoporum in Civitate, & Dioeceſi Crux ante illos, ſalvo tamen Metropolitae jure, deferatur.

4. Veſtes quoque Epiſcoporum Pontificales ſunt ab univerſi Cleri indumentis diſtinctae. Apud Graecos celebria ſunt * AMPHIMALUM, * EPIGONATIUM, * PHAELONIUM: apud nos * CALIGAE, * SANDALIA, quae & * COMPAGI, & * PEDULES dicuntur, * CHIROTHECAE, de quibus JO. BAPT. PA-

CICHEL-

Digitized by Google

CICHELLI, vocatae etiam * Manicae, * Manualia, & * Wanti. Utitur interdum Epiſcopus * Crocea; aliquando * Gremiali, ejuſque pluviale * Formali connectitur. * Rocchettum adde, quod etiam * Zinea, * Subumilis, & * Succa dicitur, adde * Subtile, Mozzettam, de qua V. * Birrus. De hujuſmodi veſtibus BULENGERUS, ANDREAS DE SAUSSAY, BONA, aliique agunt, hoſque inter DINUARTIUS in Pariſienſi Diario Eccleſiaſtico *Tom. LXVIII. pag.* 17. Nec veſtes tantum habent Epiſcopi proprias; habent * Bugiam, habent * Faldistorium, ſeu * Sellam; habent Cathedras in templis plane diſtinctas, de quibus MAMACHIUS *Tom. IV. Origin. & Ant. Chriſtian. pag.* 545., ANSELMUS COSTADONI, ubi de *Templo Torcellano*, & PASSERI *in Theſauro Goriano Gemmarum Aſtriferarum*, & nos hic V. * Cathedra, cui addes * Baldachinum.

5. Praeterea Epiſcopus etiam privatim celebrans ſuos peculiares ritus depoſcit, a POMPEJO SARNELLI expoſitos; immo & in modo Miſſam celebrandi coram Epiſcopo ſingularia aliqua ſervanda ſunt, ut docet LUDOVICUS GHERARDI olim Cortonenſis Epiſcopus.

6. Habet quoque Epiſcopus, ſi concionetur, certas quaſdam caeremonias, de quibus qui de ſacris veterum Concionibus ſcripſere conſulantur, ut FRANC. BERNARDINUS FERRARIUS, & CAROLUS REGIUS; praeſertim vero Card. FRIDERICUS BORROMAEUS in opere *de concionante Epiſcopo*. Sermones Epiſcoporum dicuntur paſſim * Homiliae; interdum etiam * Allocutio.

7. Demum jus notandum, quod habent Epiſcopi benedictionis populo impertiendae, illumque verbis illis Chriſti Domini: *Pax vobis* ſalutandi; Vide hic verba * Episcopalis Salutatio, * Pax Vobis, & * Salutare.

ARTICULUS IV.

DE CLERO SAECULARI.

§. I.

Clerus Saecularis ſecundum ordines ſpectatus.

Vide hic V. * Clerici
* Tonsura, * Abrasio capitis, * Corona
* Lectores
* Exorcistae
* Acolythi. Vide etiam * Ceroferarius, * Sequens
* Ostiarii. Vide etiam *Aedituus*
* Levitae, quorum propria in ſacris veſtis eſt * Dalmatica
* Subdiaconi
* Diaconi
* Presbyteri, qui & * Sacerdotes, & * Seniores.

Adde de Tonſura GASTONEM CHAMILLARD, SARNELLI, & PROSPERUM STELLARTIUM, SIRMONDUM AD SIDONII *ep.* 3. *Lib. VI.*, THOMASSINUM, PACIAUDIUM *de Sacris Chriſtianorum balneis cap.* 8., qui & de Subdiaconis nonnulla habet *cap. XV.* Extat *de Acolythorum diſciplina* praeclarus Card. VALERII liber. *De priſco eligendi eos, qui ad Sacros ordines*

ordines initiandi erant, *ritu* Diſſertationem edidit JOH. CABASSUTIUS. De caeteris Ordinibus lege Theologos, praeſertim MORINUM; item eos, qui ſacras antiquitates ſcrutati ſunt, MARTENIUM, SELVAGGIUM, RUPPRECHT *ad lib. I. Decretal. Tit. XI.*

Olim etiam * DIACONISSAE conſecrabantur, de quibus praeter laudatos MORINUM, MARTENIUM, & SELVAGGIUM agunt CABASSUTIUS, AGNELLUS ONORATO, RUPPRECHT, & omnium eruditiſſime JOH. PINIUS BOLLANDIANUS.

§. II.

Clerus Saecularis ſecundum Canonicam vitam, & diſciplinam.

Canonici praecipue hic conſiderandi ſunt. Principio ita vocabantur, qui Eccleſiae inſerviebant, & univerſim Clerici omnes, vel quod in Eccleſiae Canonem relati eſſent, vel quod Canonicam, ideſt ad Canones exactam vitam agerent; atque ob alteram hanc rationem potiſſimum Canonici dicti ſunt Clerici, qui accepta a S. CRODOGANGO Metenſi Epiſcopo regula communem vitam ſaeculo VIII. adulto agere coeperunt. De Canonicis legendi MOLANUS in Tract. *de Canonicis*, AUBERTUS MIRAEUS *de Collegiis Canonicorum*, RAYMUNDUS CHAPONELL *hiſtoire des Chanoines*, AMORT *de antiqua & nova Canonicorum diſciplina*, MURATORIUS *Antiquit. Italic. diſſ. LXII.*, Eminentiſſ. GARAMPIUS diſſ. IX. inſignis operis inſcripti: *Memorie della B. Chiara di Rimini*.

Porro dividuntur Canonici in Canonicos Eccleſiae Cathedralis, & Collegiatae; (de origine, & conditione Eccleſiarum Collegiatarum, ut id obiter moneam, Cl. DITTERICH Bambergae 1768. diſſertationem emiſit.) Apud Germanos porro utrique Canonici in *Capitulares*, *& Domicellares* tribuuntur, ac de his conſule BENEDICTUM XIV. *de Synod. Dioeceſ. lib. XI. cap. 3. n. 4.* Alias Canonicorum diviſiones in Germania vigentes indicant HOLL *Statiſt. cap. XI.* §. 166., & ANTONIUS SCHMIDT in diſſertatione *de varietate Praebendarum in Eccleſiis Germanicis* §. 4.

Ex Canonicis exſurgunt Capitula, de quorum nomine, & origine idem HOLL *ibid.* § 167. *ſeqq.* Exſtat L. B. de INSTADT *Tom. II. oper. Juridic. diſquiſitio de Capitulorum Metropolitanorum, Cathedralium &c. origine, progreſſu, juribus*, Amſtaelodami 1764.

In Germania celebris eſt diviſio Capitulorum in *clauſa*, in quibus certus dumtaxat numerus ad *vocem*, *& ſuffragium* in Capitulo admittitur, excluſis reliquis; & in *non clauſa*, in quibus Canonici omnes, qualitatibus requiſitis inſtructi, ad Capitulum recipiuntur. Luculentam diſquiſitionem FRANCISCI ANTONII DURR *de Capitulis clauſis Eccleſiarum tam Cathedralium, quam Collegiatarum* Moguntiae editam 1763. ANTONIUS SCHMIDT intulit ann. 1774. in Tomum III. ſui *Theſauri Juris Eccleſiaſtici*.

Unum e praecipuis Canonicorum Juribus eſt jus Stalli in Choro.
Vide

Digitized by Google

Vide hic * Stallum. Alterum Praebenda eſt. Vide * Canonia.

Infra Canonicos Beneficiarii ſunt, qui etiam * Portionarii dicuntur; * Cappellani, * Hebdomadarii, * Mansionarii.

De habitu Eccleſiaſtico Canonicorum, & caeterorum, qui in Choro pſallant, confer BONAM *cap.* 24., & SAUSSAYUM. Vide hic etiam (iis omiſſis, quae ad ſacras veſtes pertinent alibi indicanda) V. * Almutia, * Biretum, * Birrus, * Cappa, * Superpelliceum, * Suppelliceum, * Vestis Camisialis. Univerſim vero *de ſacrorum hominum diſciplina* luculentiſſimum opus edidit LUDOVICUS CRESSOLIUS. Addatur ex Onomaſtico * Barba, * Cellulani, * Coma Brevis.

§. III.

Clerus Saecularis ſecundum varia cum Eccleſiarum, tum Capitulorum Officia.

* Aedituus. V. infra: *Sacriſta*

* Altarerius, qui & Altariſta

* Archidiaconus. De Archidiaconis CANGIUS V. *Archidiaconus*, THOMASSINUS *T. II. l.* 2. *cap.* 17. *ſeqq.*, VAN-ESPEN *P. I. Tit. XII. cap.* 1., ZALLWEIN *Tom IV. Principior. Jur. p.* 251., SELVAGGIUS *l.* 1. *P. II. cap. II.* §. 4.

* Archichorus

* Archiclavus

* Archipresbyter. V. THOMASSINUM, caeteroſque antea laudatos.

* Armarius. V. *Caeremoniarum Magiſter*.

* Assisii

* Atriarius

* Bajuli

* Cabiscola

* Caeremoniarum Magister

* Campanarii

* Cantores

* Cerarius

* Chartophylax

* Chartularii

* Cimeliarcha. V. *Theſaurarius*.

* Copiatae

* Decanus

* Decumanus

* Defensores

* Exceptores

* Fossarii

* Horrearius

* Mansionarius

* Martyrarii

* Matricularii

* Notarii

* Oeconomus

* Parabolani, de quibus exſtat AGNELLI ONORATO diſſertatio.

* Poenitentiarii

* Praepositus

* Primicerius

* Prior

* Protopapa. V. SELVAGGIUM.

* Protopresbyter, idem qui *Archipresbyter*.

* Psalmista

* Sacrista. In Eccleſiis Germanicis conſuetudo obtinet, ut Cuſtodi (qui etiam *Cuſtos ſummus* dicitur) incumbat ſuprema cura cuſtodiendi pretioſa vaſa, & reliquum Theſaurum Eccleſiae: cui eum in finem ſubordinati ſunt alii ſive Clerici, ſive laici, quos *Aedituos*, aut *Sacriſtas* dicimus. Ita HOLL *Statiſt. cap. XI.* §. 180.

* Scholasticus

* Sportulantes

Theologus, Canonicus. V. VAN-ESPEN *P. I. Tit. XI. cap. 6.*

* THESAURARIUS

* VICEDOMINUS. V. MURATORIUM *Antiquit. Italic. diſſ. LXIII.*

Inter enumerata officia, ſi ESPENIUM ſequimur, aliqua dignitates ſunt Capitulorum, ut *Praepoſitus*, *Decanus*, *Cantor*, *Scholaſticus*, *Theſaurarius*, Canonicus *Theologus*; aliqua dignitates ſunt Eccleſiarum Cathedralium, ut *Archidiaconus*, *Archipresbyter*, *Poenitentiarius*. Verum HOLL *loc. cit.* ad dignitates Capitulorum refert *Archipresbyterum*, additque *Primicerium*, *Sacriſtam*, *&* *Cuſtodem*.

ARTICULUS V.

CLERUS REGULARIS.

Hierarchiae Eccleſiaſticae inſigne ornamentum, & ſubſidium conferunt Ordines Regulares. Non ego hic Monachorum a prima fere Chriſtianae Eccleſiae aetate antiquitatem, a BELLARMINO, MURATORIO *Ant. Italic. differt. LXV.*, aliiſque vindicatam; non varias eorum claſſes, de quibus BONANNIUS, HELYOT, aliique abunde ſcripſerunt; non denique eorum immunitates, ac privilegia, quae potius ad Eccleſiaſticam Juriſprudentiam pertinent, longiore ſermone recolam. Ea primum ob oculos ponam, quae de illis in Onomaſtico habentur; deinde de illorum ritibus nonnulla indicabo alibi quaerenda.

§. I.

Quaenam in Onomaſtico ad Monachos pertineant.

1. AD Monaſtici ordinis antiquitatem referri poſſunt * ANACHORETAE, & * ASCETAE, de quibus Cl. ANTONELLIUS egregiam diſſertationem Sermonibus S. JACOBI NISIBENI a ſe editis intexuit.

2. * ASCETERIUM, * COENOBIUM, * EGUMENARCHIUM, & * MONASTERIUM, quae verba ad loca, in quibus Monachi verſantur, pertinent. Huc ſpectant etiam * CAPITULUM, & * GALILAEA, quae partes duae ſunt Coenobiorum.

3. Ad ipſos quod attinet Monachos, de religioſa, quam emittunt, profeſſione, intelligendus * TEXTUS *promiſſionis*. Deinde attendendi praecipue ſunt, 1. qui auctoritatem in Monachos exercent, * ABBAS, de quo vide etiam * DASIUM, * ARCHIMANDRITA, * COENOBIARCHA, * EGUMENUS; 2. qui illis obtemperant, * OBEDIENTIALES, atque in his * CONVERSI, qui & * LAICI.

4. De Monachorum habitu ſunt verba * ANALABUS, * CAPPA, * CASULA, * CUCULLA. Monaſticae vero diſciplinae particula eſt * ABSCONSA.

5. Aliqua de Monaſtica Pſalmodia, ac Liturgia indicabunt verba * CANONARCHA, * COLOR, * GALLICINIUM, * HEBDOMADARIUS, * INTERSTARE, * PONTIFICALIA, * VIGILIAE *nocturnae*.

6. Non praetereundae Sanctimoniales, de quibus ſunt verba * ABBATISSA, * ANCILLA DEI, * CONVERSAE.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

De Monachorum, ac Regularium Ritibus.

1. GEneratim de Monachorum ritibus copioſe MARTENIUS diſſeruit quinque Libris, qui Tomum quartum magni Operis *de antiquis Eccleſiae ritibus* conſtituunt. Huic vero auctor ſum, ut jungatur *vetus diſciplina Monaſtica*, quae ſtudio Monachi Benedictini e Congregatione ſancti Blaſii in Silva nigra prodiit Pariſiis 1726. 4.

2. Animadverti deinde velim, pleroſque fere Monachorum, ac Regularium Ordines ſuos habere proprios Liturgicos libros, ſua Breviaria, ſua Caeremonialia. De Liturgicis hujuſmodi libris egi *Tom. I. Bibl. Ritual. lib. 1. cap. 3. artic. 7. pag. 72. ſeqq.* Breviaria vero, & Officia Religioſorum Ordinum propria recenſui *ibid. cap. IV. art. VI. pag.* 131., ubi *pag.* 134. addi velim, quae ad inclytum ordinem SS. Trinitatis ſpectantia poſtea ſuerunt mihi ab amico indicata. Sunt autem

Breviarium Anglicanum hujus Ordinis, Londini apud Thomam Kollet anno 1496. Breviar. edit. Pariſ. 1514. Breviarium pro Prov. Hiſpaniae, Valentiae in Edetanis 1519., & Hiſpali 1545. Aliud Barcinone impreſſum ann. 1595. Breviar. reformatum, ad formam Brev. Rom. redactum, Matriti 1616., & Ulyſſipone 1621. Adde Officia Ss. Ord. SS. Trinit. Redempt. Captivorum, quae prodierunt Romae 1641., & iterum Matriti apud Matthaeum Fernandez 1659., & pro Hiſpan. Prov. Matriti 1717., itemque 1743. apud Antonium Marin. Exſtant etiam officia propria Ss. & Feſtorum Ord. SS. Trinitatis ad uſum PP. Diſcalceatorum, juſſu R. P. PETRI a S. MICHAELE Min. Gener., Matriti in 4. 1689. apud Bernardum de Villadiego ſanctae Cruciatae typographum; Pragae 1727., & cum novis acceſſionibus Matriti apud Antonium Marin 1743., ac tandem Viennae Auſtriae 1752. ex Typographio Trattoeriano.

Ibidem *lib. 1. cap. VII. art. II. num. 4. pag.* 179. Caeremonialia Monaſtica, quae a MERATIO indicata fuerant, enumeravi. Alia addi poſſent. Paucis ero contentus. Caeremoniali Clericorum Regularium adjice *Rituale Congregationis Clericorum Regularium*, Romae 1655. auctore P. ANDREA SOTTANI Genuenſi ex iiſdem Clericis, qui deinde ibidem vita defunctus eſt VI. nonas Octobris 1668. Sub finem vero *pag.* 180. Ritualibus PP. Ord. SS. Trinitatis, antiquioribus quibuſdam praetermiſſis, Caeremoniale ejus Ordinis Granatae apud Antonium Torrubia edidit P. PETRUS BRAVO, recuſum poſtea ibidem curante P. EMMANUELE DE LARA ejuſdem Ordinis 1715. Deinde P. ANTONIUS a SS. SACRAMENTO Luſitanus, cujus meminit Bibliotheca Luſitana *Tom. I.*, tribus Tomis in 4., novum *Rituale*, *ſeu Manuale* ejuſd. Ordinis Ulyſſipone evulgavit ann. 1730., & 1731. Duo tandem eodem anno 1780. Matriti apud Joachim Ibarra ejuſmodi libri prodierunt; alter curante P. LUDOVICO PEREZ S. R. C. Conſultore, atque ejuſdem Ordinis Miniſtro Provinc., inſcriptus: *Novum Caeremoniale Ord. SS. Trinitat. juxta Caeremoniale Romanum, ac noviſſima S. R. C. decreta; opus poſthumum* P. ANDREAE JULIANI REOYO *ejuſdem Ordinis*: alter

Ee 2 prae-

Digitized by Google

praenotatus: *Manuale, ſeu Rituale pro ſui Ordinis Religioſis, cui ultimam appoſuit manum* P. SIMON SUESCUN *ejuſdem ordinis alumnus*.

Etiam Patres SS. Trinitatis Diſcalceati ſua ediderunt Ritualia. Primum Ven. P. JOH. BAPTISTA A CONCEPTIONE ejus Congregationis inſtitutor, cujus virtutes *in gradu*, ut ajunt, *heroico* adprobavit ann. 1760. nunquam interiturae memoriae CLEMENS XIII., imprimendum curavit anno 1606. in 4. *Caeremonialis* titulo ad uſum ſuae Congregationis; illudque a ſe compoſitum fuiſſe teſtatur ipſe in epiſtola ad ſui Ordinis Alumnos. Deinde ann. 1645. P. DIDACUS A JESU *Caeremoniale* ſui Ordinis vulgavit Matriti in 8. Tertius *novum Caeremoniale accuratum ad uſum ſui Ordinis* publici juris fecit Salmanticae 1683. ex officina Lucae Perez in 4. P. JOSEPH A JESU MARIA Hiſpanus Bletiſſenſis, ille ipſe qui Burgis apud Matthaeum Perez typis dederat *Manuale, ſeu Rituale in ſacris functionibus obſervandum*.

3. Regularibus inculcanda ſunt, quae ad ipſos adtinent, S. R. C. Decreta. Ea uti in Florentina ann. 1743. editione ſunt, quae ad Rubricas Miſſalis, aliaſque Functiones pertinent, pleraque Abbates adficiunt, uſumque ipſis conceſſum Pontificalium. Vide ibi illa V. *Abbas*, *&* *Praelatus*. Pauca tamen invenies V. *Monachi*, *Moniales*, *Proceſſio*, *Regulares*. Pauciora ſunt, quae ad Rubricas Breviarii ſpectant V. *Monachi*, *Moniales*, *Regulares*.

4. De Virginibus aliqua addam in Onomaſtico praetermiſſa. A primis Eccleſiae ſaeculis fuere mulieres, quae Virginitatem ſtudioſe colerent. Hae tunc Virgines Eccleſiaſticae, & Canonicae vocabantur, eo quod ab Epiſcopis in Canonem Eccleſiae relatae eſſent, atque ab Eccleſia, ſi a ſuis in quorum domibus, ſejunctae tamen a viris manebant, minime poſſent, alebantur ex diurnis Fidelium oblationibus. Sed de antiquioribus hiſce Virginibus, quae tamen nullatenus *a propoſito regredi* poterant, & certis ritibus ab Epiſcopo velabantur, & conſecrabantur, legendi SELVAGGIUS *lib. I. P. II. cap.* 14., & ALEXIUS AURELIUS PELLICCIA *de Chriſtianae Eccleſiae, primae, mediae, & noviſſimae aetatis politia lib.* 1. *ſect.* 3. *cap.* 3. §. 1. Sanctimoniales, quarum coenobia in Oriente primum, mox in Occidente quarto ipſo ſaeculo increbuere, Regulis S. BASILII in Oriente uſae ſunt; in Occidente ad IX. uſque ſaeculum varias regulas habuerunt; deinceps dum Ordines Mendicantium exorti ſunt, univerſae regulam S. BENEDICTI profitebantur. Ubi vero Ordines illi inſtituti fuerunt, quemadmodum Virorum, ita & Mulierum coenobia ſub iiſdem S. DOMINICI, S. FRANCISCI, caeterorumque regulis prodiere. Non eadem tamen diſciplina etiam in iis, quae ſingulorum Ordinum propria erant, Moniales vixere; aliae enim vitam communem amplexae ſunt, uti olim in Africa AUGUSTINI aevo; ſecus aliae: aliis praeerant *in ſpiritualibus* ejuſdem ordinis Praeſides; aliae in omnibus juri Epiſcoporum obnoxiae erant. Paullatim quoque Abbatiſſae jus proprias Moniales velandi uſurparunt. Verum ſaeculo XIII. Romanus Pontifex (vide RAYNALDUM *ad ann.* 1244. *num.* 57.), & XVI. ſaeculo Concilia, ut Turonenſe ann. 1583. *can.* 12., & Mediolanenſe IV. Epiſcopis antiquum jus hac in re reſtituerunt. Sed de Monialium conſecratione conſule praeter MARTENIUM,

NIUM, BENEDICTUM BUOMMATTEI, JOH. BAPTISTAM MACCHI; & D. JOSEPHI ANTONII MEGE Benedictini Gallicam diſſertationem *de origine, excellentia, utilitatibus &c. Virginitatis ann.* 1689. Pariſiis editam.

ARTICULUS VI.

REGIMEN ECCLESIASTICUM.

§. I.

Magiſtratus antiqui, & novi, quorum ope Eccleſiae ſingulae reguntur.

I. Quemadmodum in Eccleſia univerſa regenda Romanus Pontifex ſuos habet adminiſtros, Cardinales, Praeſuleſque pro rerum tractandarum diverſitate variis muneribus, aut etiam tribunalibus praefectos; ita & Epiſcopi pro ſuarum quique dioeceſium gubernatione ſuos ſibi, ſuiſque Vicarios, & Miniſtros praeſtituunt.

II. Olim Chorepiſcopi praecipui erant Vicarii Epiſcoporum, dictique erant *Chorepiſcopi*, veluti ruris Epiſcopi, etſi eorum potior eſſe videtur ſententia, qui illos non Epiſcopos, ſed Presbyteros fuiſſe docent. Vide hic V. CHOREPISCOPUS, ac praeterea THOMASSINUM *P. I. lib. II. cap.* 1. *&* 2., DUGUET *diſſ. XLI. in Can. XIII. Ancyran.*, CHARDON *hiſt. des Sacram.*, de MARCA *lib. II. de Conc. cap.* 13. *&* 14., JOH. HYACINTHUM SBARAGLIA in quaeſtionibus additis diſputationi *de Sacris pravorum hominum Ordinationibus*, NATALEM ALEXANDRUM, cujus *de Chorepiſcopis* diſſertationem *Tom. XII. mei Theſauri Theologici inſerui*, P. ZECH *Hierarch. pag.* 288., RUPPRECHT *ad lib. I. Decret. Tit.* 26. §. 2., & BENEDICTUM XIV. *de Syn. Dioeceſ. lib. III. cap.* 3. In Occidente poſt Metenſe Concilium ann. 888. vix ulla *Chorepiſcoporum* mentio occurrit. In Germania tamen etiamnum aliqui ſunt in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, quos honoris cauſſa *Chorepiſcoporum* nomine paſſim appellant. Vide HOLL *in Statiſtica Eccleſiae German. P. I. cap. IX.* §. 129. His ſucceſſiſſe videntur apud nos Vicarii Foranei, de quibus THOMASSINUS *P. I. lib.* 2. *cap.* 6., BENEDICTUS XIV. *lib. III. de Synodo Dioeceſ. cap.* 3. *num.* 7. *ſeqq.*, ANDREUCCIUS *Hierarch. Eccl. lib. I. Tract.* 7. *P. V.*, apud Germanos, & Belgas Decani Rurales, ſeu Chriſtianitatis, de quibus VAN-ESPENIUS *Jur. Eccl. Univ. P. I. Tit.* 6., & GEORGIUS CHRISTOPHORUS NELLER in diſſertatione *de Plebium Archipresbyteris in communi*, Treviris 1771. & Tom. III. *Theſauri Schmidtiani pag.* 290. *ſeqq.*

III. Praeter Chorepiſcopos Epiſcoporum Vicarii, & quidem *nati* fuere Archidiaconi, dicti propterea in Jure *oculi Epiſcopi*, *& Vicarii in omnibus*. Saeculo IX. imminuta aliquantulum fuit ampliſſima eorum juriſdictio. Magnae tamen auctoritatis erant etiam Saeculo XIII., quo Decretalium libri a GREGORIO IX. editi ſunt. Paullatim tamen delata ad Vicarios Generales ab Epiſcopis omni juriſdictione, in multis Eccleſiis ipſum Archidiaconi

nomen

nomen exolevit, vel ſaltem remanſit Archidiaconus cum ſola, & ſimplici praeeminentia Sedis, ſine aliquo Juriſdictionis exercitio, ut ait ZECH *de Hierarch. Tit. XXVII.* §. *309.* Vide de Archidiaconis, eorumque antiqua Juriſdictione CANGIUM V. *Archidiaconus*, THOMASSINUM *Tom. II. lib. II. cap. 17. ſeqq.*, ESPENIUM *P. I. Tit. XII. cap. 7.*, ZALWEIN *Tom. IV. Princip. Jur. pag. 251.*, SELVAGGIUM *lib. I. P. II. cap. 2.* §. *4.*, RUPPRECHT *ad lib. I. Decret. Tit. XXIV.* In Germania tamen nonnullae, eaeque illuſtres Eccleſiae ſunt, in quibus plures Archidiaconi Dioeceſim in certos diſtrictus diſtributam gubernant, ut Leodienſis, Hildeſienſis, Moguntina, Trevirenſis, aliaeque ab HOLL indicatae in ſua *Statiſtica Tom. I.* §. *134.*

IV. His temporibus apud pleraſque Eccleſias juriſdictio Epiſcopalis potiſſimum eſt penes Vicarios Generales, qui & Officiales dicuntur, quamquam in aliquibus locis Vicarii Generalis, & Officialis munera diſtinguuntur, diviſa ſcilicet in plures negociorum mole. De Vicariis conſule JACOBUM SBROZZIUM, PETRUM LEURENIUM in libro, cui titulus: *Vicarius Epiſcopalis*, Coloniae 1707., ANDREUCCIUM *Hier. lib. I. Tract. VII. P. III.*, THOMASSINUM *P. I. lib. 2. cap. 7. ſeqq.*, ESPENIUM *P. I. Jur. univ. Tit. XII. cap. 4. & 5.*, ac BENEDICTUM XIV. *de Syn. Dioeceſ. lib. II. cap. 8. & lib. III. cap. 3.*

V. Vicariis Epiſcoporum jure adcenſentur Coadjutores, qui Epiſcopis ob ſenium, infirmitatem, aliamve cauſſam ad regimen Epiſcopatus adjunguntur, vel ſine, vel cum jure ſucceſſionis. De his agunt THOMASSINUS *P. II. lib. II. a cap. 55.*, FILOSACUS *de ſacra Epiſcoporum auctoritate cap. 14.* ZECH. *Hierarch. Tit. XXVI. pag. 278. ſeqq.* qui & alios laudat *pag. 287.*, & BENEDICTUS XIV. *de Synod. Dioeceſ. lib. XIII. cap. 10. num. 22. ſeqq.*

VI. Praeter Vicarios habent Epiſcopi quos in multis Eccleſiae negociis conſulant, nempe Canonicos, ſeu Capitulum. Succeſſit Capitulum magna ex parte veteri Presbyterio, ſine cujus conſilio nihil olim Epiſcopi agebant. Vide de hoc Presbyterio CABASSUTIUM *diſſ. XVIII.*, COUSTANT *Praeſ. in Tom. I. epiſtolar. Roman. Pont.*, & BENEDICTUM XIV. *de Syn. Dioeceſ. lib. XIII. cap. 1. num. 2.*

VII. Hi, de quibus hactenus, Epiſcopo in totius Dioeceſis regimine adſiſtunt. Alii vero minores fidelium coetus, quos * PAROECIAS, & * PLEBES nominamus, in rebus ad ſalutem animarum pertinentibus curant. Sunt autem Parochi, de quibus, praeter Onomaſticon V. * PAROCHUS, ex Canoniſtis conſule ZECH *in Hierarchia Tit. XXXI.*, MARANGONIUM *in Theſauro Parochorum*, THOMASSINUM *P. I. lib. II. cap. 21. ſeqq.*, BENEDICTUM XIV. *de Syn. Dioeceſ. lib. IV. cap. 7. & 8.* itemque *lib. XIII. cap. IX. num. 18. ſeqq.*, HOLL *in Statiſtica Eccleſiae Germanicae cap. 12.*

§. II.

Viſitatio Dioeceſis.

I. DE hac adeundi FONTANA JOH., GAVANTUS, DE PAVINIS JOH. FRANC., & BENEDICTUS XIV. *de Syn. Dioec.*

II. Hanc

Digitized by Google

II. Hanc ſequitur Viſitatio ſacrorum liminum, & relatio ſtatus Eccleſiae a quolibet Epiſcopo Sedi Apoſtolicae facienda. De prima PETRUS LAZERI; de utraque idem BENEDICTUS XIV. *lib. XIII. cap. 6. ſeqq.*

§. III.

Synodi.

I. De Conciliis generatim confer ALPHONSUM GUERRERO, MATTHIAM HUGONIUM, Card. DOMINICUM JACOBATIUM, MARCUM MANTUA, & Onomaſticon V. * Concilium, & * Plenarium.

II. De Concilio generali vide GUILLIELMUM DURANDUM.

III. De Provinciali MICHAELEM THOMASIUM TAKAQUET, & ESPENIUM *T. I. Jur. Eccl. P. I. Tit. XX.*

IV. De Synodo Dioeceſana ANTONIUM ASTORIUM, HENRICUM DE BOTTIS, GAVANTUM, JOSEPHUM M. MARAVIGLIA, JOH. ANTONIUM MASSOBRIUM, cumprimis vero BENEDICTUM XIV.

V. Aliquid Synodis Dioeceſanis affine habent Congregationes Paſtorum, Archipresbyterorum, & Archidiaconorum in Germania, & Belgio, uti & apud nos Congregationes Cleri pro caſuum conſcientiae, & ſacrorum Rituum diſceptatione. De illis legendus ESPENIUS *l. c. Tit. VI. cap.* 4., cumprimis vero Cl. ANTONIUS SCHMIDT *T. III.* ſui *Theſauri Jur. Eccl.*, ubi *p.* 314. *ſeqq.* Diſſertationem ſuam exhibet jam a. 1773. Heidelbergae excuſam *de Synodis Archidiaconalibus, & Archipresbyteralibus in Germania*. De his vero ſatis erit adire P. FERRARIS *Bibliothecam T. II.* nuperrimae Romanae locupletiſſimae editionis *p.* 362. *ſeqq.*: praeſtabit tamen etiam conſulere Tarracinenſem Illuſtriſs. BENEDICTI PUCILLI Synodum *P. I. cap.* 5., & in appendice *n. VIII.*

§. IV.

Leges.

Vide hic * Constitutum facere, & * Decretale; ſed adde BENEDICTUM XIV. *de Syn. Dioec. lib. XIII. cap.* 3. 4. & 5.

§. V.

Reditus, & bona Eccleſiae.

I. Ad reditus ſpectant Cathedraticum ſolvendum Epiſcopo; item quarta Epiſcopalis. Confer BENEDICTUM XIV. *de Syn. Dioec. lib. V. cap. VI. & VII.* Vide praeterea Onomaſticon V. * Annatae, * Decimae, & * Nonae & Decimae. Adde hic quoque V. * Arca, & * Gazophylacium.

II. De Bonis Eccleſiae, & Cleri vide hic V. Beneficium, * Praebenda,

BENDA, & * HEBDOMADA. Quidquid porro ad hoc argumentum pertinet, exhauſit THOMASSINUS *T. III.*, cui addes MURATORII Diſſ. 71. & 72. inter Italicas Antiquitates. Nec praetereundus P. DESING in aureo Libro, cui titulus: *le Ricchezze del Clero*, Ferrariae Italice edito. Conſule etiam Juris Canonici Interpretes ad librum III. Decretalium, & Auctores, qui noſtris praeſertim temporibus, *de amortizatione*, ut ajunt, diſputarunt. Haec enim ad ſacram Juriſprudentiam potius, quam ad Scientiam Ritualem ſpectant.

§. VI.

Forum Eccleſiaſticum, Judicia, Poenae, idque genus caetera.

HAec etiam Jus Canonicum propius attingunt, quam Scientiam Ritualem. Nihilominus

I. Quod ſpectat ad Fori Eccleſiaſtici *interni*, & *externi* diſcrimen, ac tempus, quo primum coepit utriuſque hujus fori diſjunctio, expenditur a doctiſſimo P. BIANCHI *T. IV.* praeclari operis, quod GIANNONII hiſtoriae oppoſuit *p.* 584. *ſeqq.* Si liber, adire poteris meum libellum Fulginei a. 1784. vulgatum hoc titulo: *Le ſtorte idee raddirizzate, cap. V. p.* 169.

II. Huc ſpectant * ADVOCATI *Eccleſiae*. Item * PURGATIO *Canonica*, de qua praeter Canoniſtas MURATORIUS agit *Diſſ.* 38.

III. Plura in Onomaſtico invenies de poenis in * ACANONISTAS, ſeu violatores Canonum. In his primum locum habet Poenitentia *publica*, de qua praeter hoc vocabulum legito idem Onomaſticon V. * AUDIENTIA, * AUDIENTES, * AUDITIO, * CARENA, * CINERES, * DISCIPLINA, * EXOMOLOGESIS, * IMPOSITIO *manuum*, * INDULGENTIAE, * RECONCILIATIO *Poenitentium*. Praeterea confer ALBASPINAEUM *lib. I.*, BONAM *lib. II. rer. Liturgicar. cap.* 19. § 3. & 5., CABASSUTIUM, & SIRMONDUM.

IV. Sequuntur quae proprie *poenae* ſunt. De his Onomaſticon V. * ABSTENTIO, * ABSTENTUS, * ANATHEMA, * COMMUNIO LAICA, & * PEREGRINA, * DEGRADATIO, * EXCOMMUNICATIO (de hac confer Libellum inſcriptum: *Le ſtorte idee raddirizzate, cap.* 5. *pag.* 200. *ſeqq.*, & GRANCOLAS *L'Ancien Sacramentaire de l'Egliſe T. I. pag.* 550. *ſeqq.*) * INTERDICTUM, * MALEDICTIO, * PROCESSUS. De multis pecuniariis vide BENEDICTUM XIV. *de S. D. libro X. cap.* 9. & 10.; de aliis vero poenis, quae corpus adfligunt, conſule indicatum Libellum: *Le ſtorte idee raddirizzate, cap. V. pag.* 190.

§. VII.

Communio Eccleſiaſtica Epiſcoporum cum Clericis, aliiſque ſibi obnoxiis; item cum aliis Eccleſiis.

I. EX veteri diſciplina communio per * EULOGIAS fovebatur, de quibus legi poſſunt GABRIEL ALBASPINAEUS, BONA *lib. II. cap. XIX.* §. 8.,

JOH.

JOH. CABASSUTIUS, FRANC. ANTONIUS VITALE *in diſſertationibus Liturgicis Tom. II. Bibl. Ritual. pag.* 468. indicatis, & DINUARTIUS *Tom. LXXVI.* Diarii Eccleſiaſtici Pariſiis editi *pag.* 68. Ad Eulogias ſpectat 1. * Fuscina, qua utebantur Chriſtiani, ne eas manibus adtingerent: 2. * Cultellus, dictus etiam * Canistra, * Gabata, * Missorium ad eas rite ſcindendas.

II. Praeſertim vero per epiſtolas communio aut dabatur, aut ſervabatur. Multiplex harum epiſtolarum genus erat, cujuſmodi * Absolutoriae *litterae*, * Captivorum, Circulares, quae & *Encyclicae*, * Clericae, * Commendatoriae, * Communicatoriae, * Confessoriae, * Dimissoriae, dictae etiam * Apostoli, * Formatae, * Pacificae. Agunt de his FRANC. DOMINICUS BENCINI, JOH. CABASSUTIUS, FRANC. BERNARDINUS FERRARIUS, PHILIPPUS PRIORIUS, &, quem inter Hereticos, quum praeclarum ejus de litteris Canonicis Libellum Coloniae excuſum ann. 1582. nondum vidiſſem, magna ſane injuria a me commemoratum doleo *Bibl. Ritual. Tom. II. pag.* 361., GERARDUS RODOLPHUS Gravienſis Collegio Colonienſium Juriſtarum adſcriptus. Latores harum epiſtolarum * Cursores *Dominici* appellabantur: eas autem deferebant arculae, quae * Locellus dicebatur, incluſas.

III. Communio cum Romana Eccleſia praeter hujuſmodi epiſtolas * Fermento, de quo aliquid ſupra indicavi, deſignabatur: apud Graecos vero, alioſque Orientales commemoratione Romani Pontificis in publicis ſupplicationibus, & ſacroſancto Miſſae ſacrificio ſignificabatur; qua de re exſtat egregium Mſ. Archiepiſcopi Tipaldi commentariolum, & eruditiſſima Eminent. ANTONELLII *Conſultatio*, in Appendicibus ad *vetus Miſſale Romanum Monaſticum Lateranenſe* Romae 1752. excuſum. Aliqua huc pertinentia invenies tum in *Antifebronio Italico Tom. II. Diſſ. III. cap.* 2., tum in *Antifebronio vindicato Tom. III. Diſſ. VI. cap.* 5.

CAPUT VI.

Cultus ſacer, & quae in eo illuſtrando Ritualis Scientiae ſint partes.

§. I.

Quibuſnam ſacer cultus ſit deferendus?

I. DEO cumprimis, quis dubitet? Vide hic * Adoratio. Sed quod ad Trinitatis Sanctiſſimae imagines, utique colendas, pertinet, prae oculis habenda erit BENEDICTI XIV. Conſtitutio CXLI. Tom. I. ſui Bullarii, ubi de Virgine Creſcentia.

II. Deo homini, JESU CHRISTO. Vide hic * Monogramma, de quo tamen conſules DOMINICI GEORGII *de Monogrammate Chriſti Domini* adverſus JACOBI BASNAGII calumnias diſſertationem Romae editam 1738. & Canonici JOH. DOMINICI BERTOLI *Tom. I. Societatis Columbariae* Florenti-

rentinae *pag.* 127. Italicam diſſertationem in antiquum monumentum, in quo idem exſtat *Monogramma*. Addenda *de vetuſtate, & forma Monogrammatis Sanctiſſimi Nominis JESU* diſſertatio Cl. Equitis VICTORII, Romae 1747. Ad cultum Jeſu Chriſti ſpectat nimbus, quo ſacrum ejus caput inſignitur. Habes autem *de mitrato capite Jeſu Chriſti Crucifixi* praeclarum ANTONII FRANCISCI GORII commentarium Florentinarum ejuſdem GORII *Symbolarum Litterariarum Vol. III. pag.* 71. Inter Dominicae Paſſionis inſtrumenta eminet Crux. Quae ad eam, ejuſque cultum pertinent, GRETSERUS *de Cruce* copioſe, eruditeque diſſeruit. Habes & hic nonnulla V. * CRUX *Dominica*, & * HYMNUS *ad ſalutationem Ligni Dominici*. Lectu digniſſimae ſunt *in Graecam pervetuſtam Iconem Ligni SS. Crucis* ANSELMI COSTADONI *inter Camaldulenſes Monachos Viri ornatiſſimi obſervationes* ibidem a GORIO exhibitae *pag.* 1. 70.

III. Immacnlatae Deiparenti MARIAE Virgini. Vide hic * ANGELUS DOMINI, * AVE MARIA, * IGNITEGIUM, * LITANIAE B. M. V., * OFFICIUM S. M. *in Sabbatho*, * OFFICIUM *parvum B. V.*, * ROSARIUM, * SALVE REGINA. Adde quae hoc ipſo paragrapho de Imaginibus, & infra de Feſtis dicturi ſumus.

IV. Angelis, de quibus exſtant egregii Libri duo Italici, alter Canonici MARANGONII, alter P. JOH. CHRYSOSTOMI TROMBELLII. Inter Cl. Praeſulis FRANCISCI BLANCHINI Opuſcula *Tom. II. Romae* 1753. *pag.* 17. legitur ejus Italica ad CLEMENTEM XI. *Epiſtola ſopra alcuni nomi di VII. Angeli eſpoſti in un quadro d' Altare della Chieſa di S. Maria della Pietà di Roma.*

V. Sanctis. Vide hic 1. V. * BEATIFICATIO, & * CANONIZATIO, quarum ritus explicant AGNELLUS ONORATO, & JOH. BAPTISTA MEMMI. 2. * ACTA *Martyrum*, * ACTA *Sanctorum*. 3. * AURIFLAMMA, * CONFESSOR, * DOMINUS, * MASSA *Candida*, * NIMBUS, * OSCULUM, * PALMA, * ROSA. Caeterum *de cultu Sanctorum* inſigne opus edidit Cl. TROMBELLIUS omnino, ubi de hoc argumento agitur, legendus. De Beatorum cultu plura tulit Decreta S. R. Congregatio, quae vide. De cultu Sanctorum ignotorum adi MABILLONIUM; neque MURATORIUM omittas *Diſſ. LVIII.* inter Italicas Antiquitates *de veneratione Chriſtianorum in Sanctos*.

VI. Sacris Reliquiis. De his etiam vide S. C. Rituum Decreta, & TROMBELLIUM; hic vero V. * BENEDICTIO, quo nomine Reliquias ipſas denotatas novimus, * BENEDICTIO *cum Reliquiis*, * BENEFICIA, * BRANDEUM, * CLAVES *S. Petri*, * LIPSANA, * PATROCINIA, * RELIQUIAE. Vide etiam, quae hic diximus de ſacrarum Reliquiarum arca, thecis, linteis V. * APOPHORETA, * BUXA, * CAPSA, * CATARACTA, * CINERARIUM, * MAFORIUM, * PERTICA, * PHYLACTERIA, * QUASELLA, * SACELLUM. De authentica ſacrarum Reliquiarum deſignatione ab Epiſcopo facienda confer P. ANDREUCCIUM; de Caeremoniis in earum translatione, PETRUM HALLOIXIUM; de ritu oſtenſionis earumdem, PETRUM MORETTUM.

VII. Sacris Imaginibus, de quibus praeter S. R. C. Decreta conſulere poteris JOH. FILESACUM, JOH. FRONTONEM, & JOH. MOLANUM, uti & TROMBELLIUM. Hic de illis aliqua habes V. * ACHEROPITA, * BE-

NEDICTIO

Digitized by Google

NEDICTIO cum *Imaginibus*, * ICON, * ICONICA, * IDAEA, * IMAGINES, * VULTUS *Sanctorum*.

§. II.

De locis ſacro cultui ſpeciatim ſacris.

I. ETſi a Chriſto Domino docti ſumus, ubique *in ſpiritu, & veritate* Deum a nobis eſſe colendum; ſunt tamen loca quaedam, quae divino cultui ſunt potiſſimum conſecrata, eaque paſſim *templa* dicimus, licet & aliis àppellata ſint, atque etiamnum appellentur nominibus.

II. Quaeres ergo 1. Quam antiqua fuerint apud Chriſtianos Templa? De hac porro quaeſtione conſules CIAMPINUM *in veteribus monumentis*, GERBERTUM *in principiis Theologiae Liturgicae Sect. III. cap. 1. §. 60.*, CALLIXTUM MARINUM nunc Illuſtriſſimum Reatinorum Epiſcopum in ea diſſertatione, quam indicavi *Tom. II. Bibl. Ritual. pag. 243.*, & PETRUM GALLADE *Tom. III. ejuſdem Bibl. Ritual. pag. 347.*

III. Quaeres 2. Quibus ſacrae hae aedes appellarentur nominibus? Generaliora ſunt * CYRIACA, * DOMINICUM, * ECCLESIA, * TEMPLA, * TITULI, quos illuſtrant Card. NICOLAUS ANTONELLI, JOH. LAURENTIUS BERTI, & ONUPHRIUS PANVINIUS; peculiaria pro Sanctorum cultu, quorum nomini inſcribebantur, * APOSTOLICUM, * CONCILIA *Martyrum*, * MARTYRIUM, * MEMORIAE, * PROPHETEUM. Addantur * CANTARIA, & * MANSIONARIA.

IV. Quaeres 3. Quot Templorum claſſes diſtingui poſſint? Reſp. Aliae majores ſunt, ut praeter Cathedrales Eccleſias (exſtat *de Eccleſiis Cathedralibus* liber Chriſtiani ZINDEL Erlangae 1763.) * BASILICAE, de quibus SARNELLIUS, ut ſeptem Urbis Baſilicae ab eodem PANVINIO, & SEVERANO enarratae, * BAPTISMALIS *Eccleſia*, * CAPPELLA, * ORACULUM, * ORATORIUM (de Oratoriis conſules JOH. BAPT. GATTICO, FORTUNATUM A BRIXIA, JOSEPHUM DE BONIS), * SACELLUM.

V. Quaeres 4. Quae Eccleſiarum forma, quis ſitus, quae illarum partes? De forma vide hic V. * ECCLESIA. De hac praeterea, ac de caeteris adeundi Anonymi duo, de quibus *Tom. II. Bibl. Ritual. pag. 109. num. XII. & XV.*, ASSEMANUS, BALLET, BENEDICTUS XIV. *de Sacrif. Miſſae*, BONA, JULIUS CAESAR BULENGERUS, CABASSUTIUS, CIAMPINI, CORONA, DARTES, GALLICCIOLIUS *Iſagogis Liturgicae cap. 6. Tom. IX. Oper.* S. GREGORII M. *pag. 179.*, GERBERT *loc. cit. pag. 288.*, LOBBETIUS, MABILLONIUS, MAMACHI, MARANGONI, MARTENE. Adde de caeremoniis, quibus primus in Templorum fundamentis lapis ponitur, ANCILLONII diſſertationem. Quod ad Onomaſticon noſtrum ſpectat, partes templorum internas habes V.

* ABSIS
* AMBO, qui & * DICTERIUM,
* PULPITUM, & Graecis *Analogium*
* ANDRONA
* AULA
* BEMA
* CAMERA
* CANCELLI, qui & * PECTORALIA
* CATHEDRA
* CHORUS

* CIBORIUM, de quo vide etiam * ARMARIULUM
* CAPSELA, * FENESTRA, * PERISTERIUM, * PROPITIATORIUM, * TABERNACULUM
* CONCHA
* CONFESSIO, dicta etiam * SCURULUM, * SOLIUM, * SUBFICTORIUM; cujus centrum * BILICUS
* EMBOLUS
* GREMIUM
* MATRONAEUM
* MEDIANA *porta*
* NAON
* NARTEX
* NAVIS
* PARS *mulierum*
* PAVIMENTUM
* PERGULA
* SACRISTIA, ubi etiam * BIBLIOTHECA. Quaere etiam V. * DIACONICON, * PARATORIUM, * PASTOPHORIUM, * RECEPTORIUM, * REVESTIARIUM, * SACRARIUM, * SALUTATORIUM, * SECRETARIUM. Apud Sacriſtiam exſtabat
* ABLUTORIUM
* SANCTA SANCTORUM
* SANCTUARIUM, ſeu Presbyterium
* SENATORIUM
* SOLEA
* SPECULA
* TABULATUM
* TRIBUNA, quae & * FASTIGIUM
* TRICHORUM.

Adde * PISCINAM, quae & * INFUSORIUM.

Ad externas Templorum partes ſpectant
* ATRIUM
* EXEDRA
* FONTES, qui & *Lacus*: Vide etiam * RECEPTACULUM, & * VASCULUM
* PARADISUS
* PORTICUS, unde * PORTICANUS
* VESTIBULUM.

Ex his partes aliquae ſingularibus doctorum virorum diſquiſitionibus illuſtrantur, ut * NARTHEX, & * SOLEA a LEONE ALLATIO; Cathedrae Epiſcopales a P. COSTADONI, ubi de Templo *Torcellano*, & a PASSERIO in Theſauro Goriano *Gemmarum Aſtriferarum*; * PORTICUS, & * VESTIBULUM a THIERS; vaſa aquae Luſtralis a DOMINICO MARIA MANNIO.

VI. Quaeres 5. de ornatibus Templorum quinam egerint; quid Onomaſticon doceat? Praeter Auctores jam indicatos de Templis conſulendus GALLADE *Diſſ. III.* Heidelbergae ann. 1762. edita, cui titulus: *Sanctitas Templorum Catholicorum dotata, & ornata*. De animalibus vero marmori inſculptis, atque ad Gothicorum, quae dicimus, Templorum oſtia collocatis diſputat P. JOSEPHUS ALLEGRANZA. Onomaſticon porro adibis V.

* ABACUS
* APPALAREA
* ARCUS
* BANCALIA
* CIRCULUS PORPHYRETICUS
* CORTINA
* DORSALE
* FORMAE
* LECTORIUM
* LILIA
* MENSA
* MURENAE
* MUSIVUM
* OSTIOLA
* PERGULA
* PLATONIA
* PULVILLUS
* RASTRUM
* ROTA PORPHYRETICA
* TRIPODIUM
* TRIPETIAE
* VELA.

VII. Quaeres 6. de praecipua Templorum parte; quae Altare eſt; quaenam notatu digniora tradunt Auctores, & Onomaſticon? Ad Auctores quod adtinet, praecipui, quos conferas, erunt BENEDICTUS XIV., BONA, GERBERT *loc. cit. pag.* 131., GALLICCIOLIUS *Iſagog. Liturg. cap.* 7., MABILLONIUS, THIERS. Da pallio Altaris ſingularia dabit CAJETANUS MARIA CAPECE; de luminibus vide infra §. 5. Tranſeo ad Onomaſticon.

Digitized by Google

ſticon. Hic primum quod ad ipſum Altare adtinet, vide V. * ALTARE *authenticum*, * ALTARE *Capitaneum*, * ALTARE *Unigenum*, * ALTARE *Privilegiatum*, * ALTARE *Portatile*, pro quo Graecis *antimenſia* ſunt, * ARA; * GRADUS ARAE, * LECTUS, * MENSA. Quod vero ad ornatus Templorum, vide * CIRCITORIA, * ENDOTIS, * FLORES, * FRONTALIA, * MAFORIUM, * RUGA, * SUBSTRATORIUM, * TABULA *Conſecrata*, * TABULAE *Aureae*, & *Argenteae*, * TETRAVELA, * TOALEA, * TRANSENNAE, * TUILLA, * VELA. Altarium lotionem habes * V. LIQUOR, & * LOTIO *Altarium*; ſed de hac conſule cumprimis JOSEPHUM MARIAM SUARES, & JOH. CHRISTOPHORUM BATTELLUM.

VIII. Quaeres VII., num aliqua in Onomaſtico ſint, quae ſacram Templorum ſupellectilem, & vaſa ad eorum uſum deſignent? Sunt enimvero. Vide * ACETABULUM, * BIBERES, * BOCALE, * BUTICULA, * CERVI, * COLUMBA, * FASTERLA, * FUNDATUM, * GAMMADIAE, * GAMULAE, * JUGULUM, * METRETAE, * STAURACIN. Alia huc transfer ex §. V. ubi de miniſterio, ejuſque vaſis.

IX. Quaeres VIII. Unde Templorum Sanctitas? Utique ex conſecratione, de qua hic V. * ALPHABETUM, * CONSECRATIO ECCLESIARUM, * ENCOENIA; pluribus autem agunt BENEDICTUS XIV., FRANCISCUS FERRARIO, FRANC. MARIA GALLUZZI, Ven. Card. THOMASIUS, AZEVEDO *Exercit. P. I. Exercit. 69.*, & GALLADE *Diſſ. I.* inſcripta: *Templorum Catholicorum antiquitas, & conſecratio*, & *Diſſ. II.* praenotata: *Sanctitas Templi ritibus Catholicis conſecrati*; quibus adde de conſecratione Altaris BRANCATIUM. Ex hac porro Templorum noſtrorum Sanctitate facile intelligitur, quantae reverentiae argumentis illa proſequi debeamus. Atque haec ipſa, quae illis deferenda eſt, reverentia immunitatis, & aſyli privilegio frui ea debere palam facit: de quo privilegio ne Canonici Juris Tractatores huc transferam ſane multos ac doctiſſimos, unum adnotabo, qui illud ita vindicavit, ut plura ad inſtitutum noſtrum facientia attigerit, JOSEPHUM ALOYSIUM ASSEMANNUM in Commentario *de Eccleſiis, earum reverentia, & aſylo*, Romae 1766. fol.

§. III.

De Sacris Chriſtianorum Conventibus.

I. PRiſcis Eccleſiae ſaeculis, ubicunque Perſequutionum tempore licebat, conventus ſuos habebant Chriſtiani; in privatis praeſertim domibus, & in coemeteriis. Vide VINCENTIUM FASSINI *de priſcorum Chriſtianorum ſynaxibus extra aedes ſacras*, MAMACHIUM, GERBERT *principior. Theol. Liturg. pag. 265.*

II. In aedes ſacras & illis quoque temporibus, & multo magis poſt pacem Eccleſiae datam a CONSTANTINO conveniebant, qua de re conſule AZEVEDO, BONAM, FLEURY *in diſciplina populi Dei*.

III. Hujuſmodi conventus appellabatur * COLLECTA, * CONGREGATIO, * SYNAXIS.

IV.

IV. At quo tempore, quota hora, ſive ad Miſſam, ſive ad Officium coibant Fideles? Vide hac de re AZEVEDIUM, BONAM *lib.* 1. *cap.* 21. §. 3. *ſeqq.*, laudatum FASSINIUM, GRANCOLAS *in Breviar. lib.* I. *cap.* 22. Caeterum nocturnae Vigiliae frequentes fuere apud antiquos Chriſtianos. Confer Onomaſticon V. * VIGILIAE *Nocturnae*.

V. Varia fuere olim ſignorum genera, quibus Fideles, & poſtea Monachi ad ſacros conventus vocabantur. Adi Onomaſticon V. * BACINUS, * CLAMASTERII, * CLASSICUM, * CREPITACULUM, * CROTALUM, * CYMBALUM, * MALLEUS, * SEMANTERIUM, * SYMANDRUM, * TYMPANA, * TINTINNABULUM, * TONNITUS, * TUBA. His tamen ſignis a multis retro ſaeculis campanae ſucceſſerunt. Vide hic * CAMPANA, * CLOCCA, (unde turris campanaria * CLOCHERIUM), * GLOCCA, * NOLA, * SKILLA, * VAS FUSILE. Adde ex *Bibliotb. Ritual. Tom. II. Anonymum XLI. pag.* 114., GRIMAUD, PACIAUDI, PACICHELLI, ROCCHAM, & THIERS.

VI. Antequam Chriſtiani ſacrorum conventuum loca ingrederentur, arma deponere conſueverunt. Vide D. SALVATOREM DI BLASI. Utrum vero ſtantes, an ſedentes ſacris conventibus Fideles olim adeſſent, ſi de officii tempore quaeſieris, lege GRANCOLAS, & AZEVEDO: ſin autem de ſacrificii tempore, lege RAYNAUDUM, & DINUARTII Diarium Eccleſiaſticum *Tom. VII. Maji pag.* 143.

§. IV.

De Tempore, cui univerſus ſacrorum conventuum ritus accommodatur.

I. DE Calendario, & Computo, cui omnis innititur temporis Eccleſiaſtici ratio, Auctores indicavi *Tom. II. Bibl. Ritual. pag.* 390., quibus addendi ex eodem Tomo *pag.* 465. PAULLUS CASTELLI, & ex Tomo III. *pag.* 338. BARTHOLOMAEUS CREMONA, *pag.* 340. DINUARTIUS in Diario Eccleſiaſtico Pariſino *Tom. L. pag.* 3. & 195. *Tom. LIV. pag.* 3. & *Tom. LVI. pag.* 99., *p.* 350. JOHANNES LEBEUF, & *pag.* 361. FRANCISCUS VINCENTIUS TORNAMIRA, & JOHANNES VASQUEZ DEL MALMOL. Onomaſticon plura de hoc argumento ſuppeditabit V. * AERA, * ANNI *circulus*, * AUREUS *numerus*, * COMPUTUM, * EMBOLISMUS, * EPACTA, * FASTI, * INDICTIO, * TERMINUS *Paſchalis*. Adde de tabula Litterarum Dominicalium D. BASTIDE, de quo dixi *Tom. II. Bibl. Ritual. pag.* 127.

II. Nunc ad dies ſacro cultui deſtinatos quod attinet, generatim haec habeto. 1. De diebus Dominicis vide hic V. * DOMINICA, LEONEM ALLATIUM, & DIONYSIUM DE RIVES: de Feria V. * FERIA, & ANGELUM ROCCHAM: de Sabbatho V. * SABBATHUM, * SABBATHUM *in XII. Lectiones*, * SABBATHI *Jejunium*. 2. De caeteris feſtis praeter Scriptores de hujuſmodi dierum origine, ratione, hiſtoria, imminutione *Tom. II. Bibl. Ritual. indicatos pag.* 392. vide hic 1. V. * FESTORUM *Denunciationes*, de quibus quae ad Aquilejenſem Eccleſiam ſpectant, luculenter exponit P. DE RUBEIS. 2. Feſto-

Digitized by Google

Feſtorum mobilium diſpoſitionem apud FRANCISCUM BORDONI, ANTONIUM DULCIATUM, LUCAM GAURICUM, & P. DE REBECQUE. Confer §. VI.

III. Proprium de tempore jam expendamus: Ab Adventu initium duco. Vide autem hic V. * ADVENTUS *Domini*, ubi & de Dominicis Adventus. Etiam in Adventu occurrit jejunium quatuor temporum, de quo MURATORIUS, & P. SBARAGLIA, Onomaſticon quoque noſtrum V. * QUATUOR *Tempora*. Porro Nativitatis Dominicae ſolemnitas, quae in quamcumque diem ſive Veneris, ſive Saturni inciderit, uſu carnium celebratur (hujus conſuetudinis origines, cauſſaſque D. GRAPPIN *Benedictinus* inquirit in DINUARTII Diario Eccleſiaſtico *Tom. LIX. pag. 166.*) hic ſatis illuſtratur V. * NATIVITAS *Domini*. Nativitatem excipiunt 1. * CIRCUMCISIO *Domini*, quae etiam * OCTAVA *Domini*. 2. * EPIPHANIA, de cujus Vigilia MABILLONIUS, & celebritate SEBASTIANUS PAULLUS, alias * ACCEPTIO, * APPARITIO *Domini*, & * DIES *Luminum*. De omnibus hactenus indicatis inter alios vide AZEVEDO *Exercit.* 41. & 42.

IV. Dominicae ante Quadrageſimam celebriores ſunt 1. apud Ambroſianos Dominica II. poſt Epiphaniam, quae *Feſtum Architriclini* inſcribitur. 2. * SEPTUAGESIMA, * SEXAGESIMA, & * QUINQUAGESIMA, quae etiam * CARNISPRIVIUM, & * DOMINICA *Excarnaliorum* appellatur. De tribus porro his Dominicis legendus ALCUINUS, & P. PICHLER in *Auguſta quinque Carolorum hiſtoria lib. I.* de CAROLO magno a *num.* 600. De tempore autem ante Quadrageſimam conſules AZEVEDO *Exercit.* 43.

V. De * QUADRAGESIMA praeter Auctores, qui de jejuniis agunt, generatim diſſerunt MICHAEL AMATUS, JOHANNES FILESACUS, & laudatus amicus meus Cl. AZEVEDO *Exercit.* 44. De feria IV. in capite jejunii, quae & * CAPUT *Jejunii*, & * CINERES dicitur, Ven. THOMASIUS legendus. Dominica I. Quadrageſimae dicebatur * DOMINICA *in brandonibus* (vide etiam * BRANDONES), item * DOMINICA *in carnes tollendas*. Ad ferias Quadrageſimae ſpectat * ORATIO *ſuper populum*. Peculiaria aliqua ſibi vindicat tum Dominica IV. Quadrageſimae, quae etiam vocatur * DOMINICA *Laetare*, * DOMINICA *media*, & *Dominica Panis*; tum * DOMINICA *de Paſſione*, quae & * DOMINICA *Judica me*, *ac Dominica mediana*. Praecipue vero attendenda * HEBDOMADA *ultima Quadrageſimae*, ſeu * AUTHENTICA, de qua multi ſcripſere, ut Anonymi duo *Tomo II. Biblioth. Ritual. p.* 114. & 115. indicati *num. XXXVII.*, & *XLIII.*, JOH. GUIDETTI, MICHAEL DE MAROLLES, ALEXANDER MAZZINELLI, CAROLUS MARIA DEL RAHO e Clericis Regularibus apud VEZZOSIUM de Scriptoribus ſui ordinis, & AZEVEDO *Exercit. XLV.* Atque in hac Hebdomada primum occurrit * DOMINICA *Palmarum* dicta etiam * DIES *Ramolivae*, * DOMINICA *Indulgentiae*, & * PASCHA *petitum*, & * CAPITILAVIUM. Vide * FERETRUM, * PALMARUM *benedictio*, * PASSIO. Sequitur * FERIA V. *in Coena Domini*, ſeu COENA, & * NATALIS *Calicis*. Ad hunc diem ſpectat * LOTIO *pedum*, de qua vide etiam V. * CLERICI *pauperes*, & * MANDATUM. Ab hoc die ſilent campanae, & pulſatur * CROTALUM. De Biduo antepaſchali quaere V. * BIDUANA. Prima hujus Bidui dies eſt * PARASCEVE, ad quam diem pertinet

tinet * Hymnus *ad ſalutationem ligni Dominici*, & vox * Confessor in oratione *pro Acolythis*. Altera dies * Sabbathum *Sanctum*, de quo aliqua etiam invenies V. * Cereus *Paſchalis*, * Novus *ignis*, * Hasta, * Triangulare, * Triangulum, * Trisagium.

VI. De * Paschate, quod * Resurrectio etiam appellatur, legendi JOH. MORINUS, P. NICOLAUS COLLIN in epiſtola de feſto Paſchatis *Tom. LXXII.* Pariſienſis Diarii Eccleſiaſtici *pag.* 82. & AZEVEDO *Exercit. XLVI.*, ubi & de Paſchatis octava, cujus praecipui dies ſunt Sabbathum in Albis, alias * Pascha *clauſum*, & * Dominica *in Albis*. Antiquiſſimum Veſperarum Paſchalium in Vaticana Baſilica ritum expoſuit PHILIPPUS LAURENTIUS DIONISI in opuſculo, cujus memini *Tom. III. Biblioth. Ritual. pag.* 344.

VII. Tempus Paſchale ab AZEVEDO illuſtratur *Exercit. XLVII.* Incidunt in hoc tempus * Rogationes, & * Litaniae, de quibus vide praeter Onomaſticon ad haec verba D. ASSELINE de Rogationum proceſſionibus apud DINUART *Diarii Pariſ. Eccleſiaſt. Tom. LVII. pag.* 151., *&* *LVIII. pag.* 84. Has ſequitur 1. * Ascensio *Domini:* 2. quae tempus Paſchale claudit, * Pentecostes. De utraque adi Onomaſticon ſuis locis, & AZEVEDO *Exercit. XLVIII.* His addamus 1. * SS. Trinitatis *Feſtum*; cujus occaſione ſi quaeſieris, cur nullum Deo Patri feſtum dicatum fuerit, legito JOSEPHUM MARIAM THOMASIUM piiſſimum, & doctiſſimum Cardinalem. 2. Feſtum Corporis Chriſti, V. * Corpus *Domini*, & quos *Tom. II. Bibl. Rit. pag.* 395. laudavi, de hoc Feſto Scriptores; item *Tom. III. ejuſdem Bibliot. pag.* 361. DIDACUM DE VILLEGAS. Utrumque Feſtum erudite expendit *Exercit. XLIX.* AZEVEDO, qui Exercitatione ſequente caeteras Domini ad Adventum Feſtivitates percenſet, illuſtratque. Sunt autem * Crux *Dominica*, & * Transfiguratio *Domini*.

VIII. Proprium Sanctorum nunc paucis expediendum. Ordiemur autem, uti decet, a Beatiſſimae Deiparentis Feſtis, de quibus inter italicas meas diſſertationes, quae *Tomo II.* quincta eſt, diſputat, fuſiuſque agit AZEVEDO *Exercit. LI. ad LX.* Occurrunt illae in Onomaſtico alphabeti ordine hoc modo: * Annunciatio, * Assumptionis *Feſtum*; * Candelaria; * Conceptio; * Dedicatio *S. M. ad Nives*; * Desponsatio *B. M. V.*; * Dolores *B. M. V.*; * Expectatio *Partus*; * Dies *Luminum*, * Festum *Luminum*, ſeu * Purificatio *B. M. V.*, S. Maria *de Mercede*; * S. Maria *de Monte Carmelo*; * S. Mariae *Nomen*, ubi & S. Maria *in Sabbatho*; Nativitas *B. V.* * Patrocinium *B. V.*, * Praesentatio *B. M. V.*; * Translatio *S. Domus Lauretanae*; * Visitatio *B. V.* Unum addo, quod ad immaculatam B. Mariae Conceptionem ſpectat, quaeſitum olim apud Hiſpanos fuiſſe, an ſi illius Feſtum incidat in ſecundam Dominicam Adventus, ipſa illa Dominica celebrandum ſit, an transferendum. Vide *Tom. III. Bibl. Ritual. pag.* 361. SEBASTIANI VINCENTII DE VILLEGAS opuſculum hac de re editum Hiſpali 1619.

IX. Caetera Sanctorum Feſta, quae generatim dici poſſunt * Natalis *Sanctorum*, non vacat praecurrere. Unum tamen aut alterum indicabo. Vide igitur hic V. * Cathedra *S. Petri*, qui & * Claviger appellatur; itemque V.

* Nata-

* Natalis *Cathedrae*, & * Commemoratio *S. Paulli*. Feſtum Apoſtolorum generale, num debeat inſtitui, apud DINUARTIUM differitur. De S. MICHAELE ARCHANGELO, ejuſque apparitione, ac Feſtis agunt copioſe BOLLANDIANI, & STEPHANUS BORGIA eruditiſſimus Praeſul in praeclaro opere Italico de rebus Beneventanis. De octavis, de quibus hic pauca V. * Octava, confer AZEVEDO *P. I. Exercit.* 17., *& P. II. Exercit.* 3., ubi de octava S. FRANCISCI XAVERII incidentis in Dominicam Adventus.

§. V.

De Sacra Liturgia.

I. Graecum Liturgiae nomen de omnibus ſacris ritibus, atque univerſo Divini cultus miniſterio generatim dicitur; hincque Epheſina Synodus in epiſtola ſynodica *ad Imp.* veſpertinas, & matutinas Liturgias commemorat. Ubi tamen ad Miſſae ſacrificium, quo de acturi nunc ſumus, ea vox refertur, Graeci epithetum *ſacrae*, vel *myſticae* ſemper adjungunt: quem morem & nos ſequuti ſumus. Caeterum quum pluribus Miſſa nominibus appellari poſſit, vulgatius eſt *Miſſae*, & *Miſſarum* nomen, de cujus etymo vide BELLARMINUM *de Euch. lib. V. cap.* 1., SCORTIAM, BONAM, BENEDICTUM XIV., GERBERTUM *principior. Theol. Liturg. pag.* 37. & CALLICCIOLIUM *Iſagog. Liturg. cap.* 2.

II. Convenientiam veteris, & novi Sacrificii illuſtrant IVO, BELLARMINUS *lib. V. cap.* 8., BECANUS *in Analogia Veteris, ac Novi Teſtamenti cap. XIII. num.* 40. *ſeqq.* Valorem autem Miſſae expendunt JOHANNES BERTRAM, & JACOBUS JUNTERBEEHK. Quibus olim diebus ſacra celebraretur Liturgia, habes hic V. * Dies *Aliturgici*, & apud SCORTIAM *lib. II. cap.* 15. *&* 16., BONAM *lib. I. cap.* 18., MARTENE *lib. I. cap.* 3. *art.* 3. & BENEDICTUM XIV. *de ſacrific. lib. III. cap.* 4. *&* 5. Primae autem Miſſae praerogativas in medium adfert THEOPHILUS RAYNAUDUS. Huc refer 1. de Miſſis privatis, & quotidianis BELLARMINUM diſputantem *lib. VI. cap.* 9., JOH. GRANCOLAS diſſertationem, EMMANUELEM A SCHELESTRATE, & ALEXIUM AURELIUM PELLICCIA *de Chriſtianae Eccleſiae politia Tom. I. lib. II. Sect. II. cap.* 10. idem argumentum enarrantes. 2. De frequenti Miſſarum celebratione *Tom. II. Bibliot. Ritual. pag.* 113. Anonymum XXXII., & Trivultianos in Ephemeridibus ann. 1708. *Art. CI.*, ubi Anonymum in eadem *Bibliotheca Rituali XXX.* ſolide refellunt. 3. De pluribus Miſſis in eodem Templo celebrandis, NICOLAUM SANDERUM; immo & ab eodem Sacerdote, Onomaſticon V. * Dies *polyturgici*, BONAM, GERBERTUM *Sect. I. cap.* 2. §. 23., praeſertim vero EMMANUELEM de AZEVEDO in praeſtantiſſimo opere *De Catholicae Eccleſiae pietate erga animas in Purgatorio detentas lib. II. Tract. I.* ubi decem priorum ſaeculorum Sacerdotibus liberum fuiſſe oſtendit unam pluresve Miſſas eodem die celebrare, nec ſolum in die Nativitatis Domini, qua de re idem agit *Tract. IV. cap.* 3.; quia etiam ex Romanorum Ponti-

Digitized by Google

ſicum indulgentia ſaeculis proximioribus; quod *Tract. II. cap. 7. 8. & 9.* diligenter illuſtrat; ut mirum non ſit, BENEDICTUM XIV. hoc doctiſſimo commentario permotum, Hiſpanis conceſſiſſe, ut in die Commemorationis omnium Defunctorum omnibus Regi Catholico obnoxiis Sacerdotibus liceret tres Miſſas celebrare.

III. De praecepto, & modo celebrandi Miſſam confer eumdem BENEDICTUM XIV. *lib. III. cap. 1. 2. & 3.* Idem lib. eodem III. *cap. 21. ſeqq.* de Miſſae ſtipendio agit, quemadmodum & SCORTIA *lib. II. cap. 10.* multa hac de re congeſſerat. Vide etiam GERBERTUM *l. c.* §. *XXIV. pag.* 109., & ANTONIUM GUJARD, qui tamen magna cautione legendus.

IV. Libros Liturgicos *Tom. I. Bibl. Ritual.* percenſos habes. Quaeri ſolum hic poteſt, quanta ſit Liturgiarum, quae ſcriptae ſint, antiquitas. P. LE BRUN *Diſſ. I.*, BOLLANDIANUS PINIUS *Tract. de Liturgia antiqua Hiſpanica cap.* 1. & SELVAGGIUS *Antiquit. Chriſtian. lib. II. cap.* 7. §. 2. nullam exiſtimant Liturgiam fuiſſe prioribus quatuor Eccleſiae ſaeculis ſcripto conſignatam. Hos tamen refellunt, & mea quidem ſententia graviſſimis monumentis MERATIUS IN GAVANTUM *Tom. I.*, SALA ad BONAE *res Liturgicas Tom. I. pag. 123. ſeqq.*, MURATORIUS *Diſſ. de Liturg. Rom. cap.* 1., ASSEMANNUS *Codic. Liturg. Lib. IV. P. I. pag. 137. ſeqq.* Vide etiam AZEVEDO *P. II. Exercit. I.*, *& meam de uſu Librorum Liturgicorum in rebus Theologicis Diſſertationem cap. VII. Tomo eodem primo Biblioth. Ritual. pag. LXXXV.* Caeterum idem SELVAGGIUS *loc. cit.* documenta ſcite collegit *de uſu ſtatarum formularum* prioribus quatuor Eccleſiae ſaeculis.

V. De lingua vulgari in ſacris non adhibenda, contra quam ANTONIO ARNALDO, ejuſque gregalibus placuit, legendi BELLARMINUS *lib. VI. cap. II.*, BENEDICTUS XIV. *lib. II. de Sacrif. Miſſae cap.* 2., Cleri Gallicani collectio, JOH. BAPT. DANTECOURT, JACOBUS LEDESMA, HONORATUS A S. MARIA, EDMUNDUS MARTENE *lib. I. cap. 3. art.* 2., ANGELUS A NUCE, DANIEL PAPEBROCHIUS, SALA in BONAM, P. JOHANNES SCORTIA, & GERBERTUS *Sect. I. cap. 3.* §. 31.

VI. Porro varia ſunt Miſſarum genera, de quibus ex MERATIO, aliiſque abunde dictum V. * MISSA. Vide etiam quod ad Graecorum caeterorumque Orientalium Liturgias ſpectat, ALLATIUM, RENAUDOTIUM, & ASSEMANNUM; quod vero ad Occidentalium Eccleſiarum Liturgias pertinet, BONAM *lib. I. cap. 13. ſeqq.*, MARTENE *lib. I. cap. 3. art.* 1., & BENEDICTUM XIV.

VII. Jamvero requiſita ad celebrandum expendamus. Ac primum aliqua requiruntur ex parte vaſorum ſacrorum, & linae ſupellectilis. Vide hic V. * MINISTERIUM, (de quo praeclaras habemus DOMINICI GEORGII *diſquiſitiones Tom. I. de Liturg. Rom. Pont.*, & legi praeterea poſſunt DOMINICUS AULISIUS, BENEDICTUS XIV. *lib. I. cap. 4. & 5.*, JOHANNES PASTRITIUS, & SEBASTIANUS PAULLI, & GALLICCIOLIUS *Iſagog. Liturg. cap.* 10.) * CALIX, * PATENA, * CORPORALE, * PALLA, * PURIFICATORIUM, * COOPERTORIUM &c.

VIII.

Digitized by Google

VIII. Alia requiruntur ex parte materiae. Huc potiſſimum ſpectat gravis de azymo controverſia Graecos inter, & Latinos. Atque ea quidem ad Polemicas diſputationes pertinet. Erudita praeterea eſt de uſu azymi apud Latinos ipſos controverſia, de qua vide *Bibliothecam Ritualem Tom. II. pag.* 104. *& pag.* 402. De Hoſtiarum porro quantitate, pondere, figura &c. praeter ELDEPHONSUM a MABILLONIO editum conſulatur BONA, MARTENE *lib. I. cap. 3. art.* 7., BENEDICTUS XIV., iique qui de oblationibus egerunt, idem MABILLONIUS, SPIRIDIO POUPART, & FRANCISCUS DE BERLENDIS.

IX. Requiruntur alia ex parte altaris, ubi ſacrificandum; nempe 1. Crucifixi Domini ſculpta effigies. Vide hic * CRUX *ad aram*, GEORGIUM *de Miniſterio cap.* 32., praeſertim vero BENEDICTI XIV. hac de re Conſtitutionem. 2. Lumina. Vide eumdem GEORGIUM *cap. XI.*, hic vero * CANDELABRA, * CEROSTATA, * CICINDELA, * STANTAREUM, * LAMPADARIUM, * LAMPAS &c. Quod autem D. DE VERT commentus eſt, lumina nonniſi ad iſpellendas uocturnarum vigiliarum tenebras adhibita fuiſſe, nec propterea extra uocturuum tempus neceſſaria eſſe, egregie confutavit Illuſtriſſ. Sueſſionenſium Epiſcopus in opuſculo *de vero Eccleſiae ſenſu circa ſacrarum caeremoniarum uſum* Romae 1757. latine edito §. 26. *ſeqq.*

X. Sunt quoque nonnulla illos ſpectantia, pro quibus offerendum. Videſis SCORTIAM *lib. II. cap.* 2.

XI. Plura requiruntur ex parte Sacerdotis ſive animam ſpectes, ſive corpus, ſive cultum externum. Ad cultum externum pertinent ſacrae veſtes, quas ſuis locis iu Onomaſtico iuveuies, ut V. * AMICTUS, * HUMERALE, * MANIPULUS &c. De his porro ſi plura cupis, legito BENEDICTUM XIV. *lib. I. de Sacr. cap.* 7. *ad* 10., BONAM *lib. I. cap.* 24., SERAPHINUM CAPPONI, TOBIAM CORONA, JOH. BAPT. DONI, GERBERTUM *loc. cit.* §. 28., GALLICCIOLIUM *Iſagog. Liturg. cap. XI.*, MABILLONIUM, HONORATUM A S. MARIA, PELLICCIAM *lib. 2. Sect. 1. cap.* 8., ANDREAM DU SAUSSAY, SELVAGGIUM *lib. II. cap.* 8. §. 1, JOHANNEM DU TOUR, & quod ad Germanicas Eccleſias adtinet, FRANC. XAVERIUM HOLL *in Statiſtica Eccleſiae Germanicae* §. 303. Has porro veſtes a D. DE VERT commentitiis interpretationibus vindicavit Sueſſioneuſis Antiſtes in laudato opuſculo §. 33. *ſeqq.* Citatis Auctoribus nonnullos adde, qui de Sacerdotalium veſtium coloribus ſingulatim diſputarunt, ut CAROLUS BARTHOLOMAEUS PIAZZA. Huc pertinet quae de colore in S. ELIAE officio, Miſſaque adhibendo ante nou multos anuos exorta eſt controverſia. Vido *in Bibliotheca Rituali Tom. II. pag.* 246. JOSEPHUM MAZZUOLI. Ad cultum externum illa praeterea quaeſtio referri poteſt, quam ſingulari epiſtola BENEDICTUS XIV. expendit, num ſcilicet Sacerdos celebrare ſedendo poſſit? Caetera, quae ad animam, corpuſque Sacerdotis pertineut (haec iuter jejunium), quaere apud BENEDICTUM XIV. *lib. I. de Sacr. cap.* 12., *& lib. III. cap.* 12., BONAM *lib. I. cap.* 21. §. 1. *&* 2. item *lib. II. cap.* 1., MARTENE *lib. I. cap.* 4. *art.* 1., SCORTIAM *lib. II. cap.* 6. *&* 7., quibus adde AZEVEDIUM *P. II. Exercit.* 12. *de praeparatione ad Miſſam*, *& Exerc.* 13. *de gratiarum actione*.

Digitized by Google

XII. Tandem alii ad Miniſtros ſpectant. Hi autem alii celebrantes ſunt, & conſecrantes ex veteri concelebrandi ritu, de quo MARTENE *lib. I. cap. 3. artic. 8.*, BENEDICTUS XIV. *lib. III. cap. 16.*, PELLICCIA *lib. II. Sect. 2. cap. 7.* & praeſertim DOMINICUS GEORGIUS *Tom. III. de Liturg. R. P. Diſſ. 1.* Alii vero adſtantes ſunt, & inſervientes; de quibus GABRIEL DELL' ANNUNZIATA, BENEDICTUS XIV. *lib. III. cap. 2.* ANGELUS CAJETANUS, STEPHANUS DOMINICUS, FRANCISCUS GERVASIUS, & GALLICCIOLIUS *Iſagog. cap. 9.*

XIII. Celebrationem ipſam nunc conſideremus. Ac primum partes ipſas Miſſae adgrediamur. De his Onomaſticon ſuis locis, ut V. * INTROIBO AD ALTARE DEI, * INTROITUS &c. Praeterea ſingulas Miſſae partes illuſtrant BELLARMINUS *lib. VI. cap. XV. ſeqq.*, BENEDICTUS XIV. *lib. II. cap. 3. ad 24.* BONA *lib. II. cap. 2. ad libri finem*, PETRUS LE BRUN, GAVANTUS, in eumque MERATIUS, GALLICCIOLIUS *Iſagog. cap. 16.* GEORGIUS, GERBERTUS *Sect. I. cap. 2.* GRANCOLAS, GRIMAULD, MALDONATUS a me primum editus *Tom. III. Bibl. Ritual.*, MARTENE *lib. I. cap. IV. art. 3. ſeqq.*, & PELLICCIA *loc. cit. cap. 9. pag. 286. ſeqq.* Accedant ad hos, qui peculiaribus aut diſſertationibus, aut libris partem quampiam Sacrae Liturgiae illuſtrarunt; ſequentias JOH. ADELPHUS, HERMANNUS TORRENTINUS, JACOBUS WIMPHELINGIUS; Symbolum Conſtantinopolitano-Nicaenum P. GARNERIUS, & P. DE RUBEIS in diſſertationibus ad Vitam GEORGII CYPRII; Praefationes DOMINICUS GEORGIUS *Tom. III. diſſ. 2.*; acclamationem *Hoſanna Anonymus X. de quo Biblioth. Ritual. Tom. II. pag.* 109. Canonem GEORGIUS *Tom. III. diſſ. 3.* aliique, quos indicatos habes eodem *Tom. II. Bibl. Rit. pag.* 405., & qui eumdem Canonem ſecreto eſſe recitandum oſtendit, VALLEMONT; diptycha olim intra Canonem recitata, CABASSUTIUS, DONATI, ROSWEYDUS in Onomaſtico *ad Vitas Patrum*; & de invocatione SPIRITUS S., an ea (quod ſenſit PETRUS LE BRUN) ad Euchariſtici Sacrificii formam pertineat? controverſiam P. BOUGEANT, P. DE BENEDICTIS ad S. EPHRAEMI opera, JUSTUS FONTANINI, Card. ORSI, & AZEVEDO *P. II. Exercit.* 22.

XIV. In ipſa porro ſingularum harum Miſſae partium exequutione Rubricas, & ritus ab Eccleſia praeſcriptos ſervari a Sacerdote debere quis neſciat? Enimvero Rubricas Miſſae generatim exponunt JOH. MARIA ALBINI, *Anonymus XIII. Biblioth. Ritual. Tom. II. pag.* 109. indicatus, JOH. BURCHARDUS, HIERONYMUS FRANZONI, TOBIAS LOHNER, LEODEGARIUS MAYER, SALVATOR FELIX DE MARCO, JOH. PAULLUS MONCI, JOH. MARIA TURRINUS. Communes quoſdam omnis Miſſae ritus nonnulli explicarunt, aut vindicarunt. Sic de fractione hoſtiae egit JOSEPH ANTONIUS SASSI; communionis Sacerdotalis ſingularem ritum, quem Pariſienſis Eccleſia ſervat, Anonymus XVI. expoſuit; communionem populi, quam GUERRERUS, JOSEPH MARIA ELEPHANTE, MICHAEL MARIA NANNARONI, & TRAVERSARI neceſſariam eſſe, nequid ſacrificio deſit, auſi ſunt propugnare, non ſolum P. GATTICO, & PASCHALIS COPETI Canonicus ſalva omnimoda ſacrificii integritate omitti poſſe oſten-

Digitized by Google

oſtenderunt; ſed BENEDICTUS quoque XIV. luculentiſſimam hoc de argumento encyclicam epiſtolam edidit, cui repugnare inſignis cujuſdam eſt temeritatis, ac pervicaciae. Quum vero Miſſa alia *ſolemnis* ſit, alia *privata*; Miſſae *ſolemnis* ritus enarrant Anonymus V. *pag.* 108. *Tom. II. Bibl. Ritual.*, CAESAR BENVENUTI, BARTHOLOMAEUS CORSETTI, & quod ad oſculum pacis adtinet, de quo etiam Onomaſticon V. * Pax, * Asser ad pacem, * Tabula pacis, conferri poterunt ALBASPINAEUS *Obſervat. lib. I.*, BONA *lib. II. cap.* 16. §. 6. & DOMINICUS GEORGIUS. Miſſae autem *privatae* caeremonias interpretantur, vindicantque PHILIPPUS ANGELI, CAESAR BENVENUTI, JACOBUS CANTELMUS, JOH. PHILIPPUS CERTANI, FRANCISCUS GERVASIUS, SPLENDIANUS ANDREAS PENNAZZI, POMPEJUS SARNELLI, & HIPPOLYTUS TONELLI. Utriuſque tandem cum *ſolemnis*, tum *privatae* caeremonias complexus eſt ANGELUS SERAPHINUS A FLORENTIA.

XV. Non omittam dubia quaedam, quae propoſita video, ac ſoluta ab AZEVEDIO *T. II. Exercit. XIV.* circa Praefationem, & colorem paramentorum ad Miſſam Sanctiſſimi Cordis JESU. Eadem quoque Exercitatione explicata habes nonnulla dubia *de Miſſis Defunctorum occaſione Orationis XL. Horarum*. Alia dubia circa Miſſas defunctorum ſolvunt CAESAR BENVENUTI, & PAULLUS FRAXINELLUS. Sed nefas ſit praeterire praeclarum opuſculum ann. 1781. Lucae vulgatum a Viro rerum Liturgicarum peritiſſimo. Hic illius titulus: *Lettera ad un Eccleſiaſtico, nella quale ſi dimoſtra, che non è lecito ad ogni Sacerdote celebrare la Meſſa privata nella notte del Santo Natale, del* P. GIUSEPPE MARIA MANSI *della Madre di Dio*.

XVI. Adde his Auctores, qui de caſibus quibuſdam in Miſſa interdum occurrentibus, itemque de defectibus ſcripſere. Et caſus quidem, qui in Miſſa occurrere poſſunt, percenſet, explicatque BERNARDUS GUIDONIS: de defectibus vero agunt PETRUS MATTHAEUS DE RUBEIS, & BENEDICTUS XIV. *lib. III. de Sacr. cap.* 14. *ſeqq.* Tandem nequid praeteream, ſingulare dubium, num Sacerdoti poſt ſumptam Euchariſtiam ſputi ejectione longo tempore abſtinendum ſit, propoſuit, expenditque ſaeculo IX. AMALARIUS METENSIS in epiſtola ad GUNTARDUM.

XVII. Reſtat, ut, qui de ſacri auditione Auctores aliqua tradidere, eos hic indicem. Sunt autem CAMILLUS JELMI, MICHAEL LOCHMAYR, MARTENE *lib. I. cap.* 3. *art.* 9. RONDET, & P. SCORTIA *lib. I. cap.* 20. Moneo tamen aliquibus non licuiſſe Miſſam Fidelium audire. Vide de his Onomaſticon V. * Catechumenus, & * Energumenus, & GALLICCIOLIUM *Iſagog. Liturg. cap.* 8.

§. VI.

De Divino officio, ſeu Pſalmodia.

I. A Sacra Liturgia ad Pſalmodiam progredior, quam praeter alios BONA, MARTENIUS, PIANACCI, MACCHIETTA, GRANCOLAS, GAL-

GALLICCIOLIUS, PELLICCIA, SELVAGGIUS, & quem potiſſimum hic ſequar, AZEVEDO, illuſtrarunt. Pluribus autem nominibus Pſalmodia appellari ſolet. Vide hic * BREVIARIUM, * CURSUS, * HORAE CANONICAE, * OFFICIUM, OPUS DEI, & AZEVEDO *Exercit.* 1.

II. Non uniuſmodi priſcis temporibus fuit Horarum ad pſallendum ſtatutarum diſtributio, neque eadem ſive in Oriente, ſive in Occidente perſolvendi Officii Divini diſciplina. Confer AZEVEDO *Exercit.* 3. 5. 8 *&* 9.

III. Nunc vero a multis ſaeculis Horae Canonicae in ſeptem dividuntur, quibus pars quaedam divini Officii reſpondet. De his in Onomaſtico ſuis locis V. * MATUTINUM, * NOCTURNUM, * LAUDES &c. & praeter alios, quos num. I. indicabam, conſule AZEVEDO *Exercit.* 21. *ad* 30.

IV. Sequamur jam ſingulas, quibus Horae ipſae Canonicae conſtant, partes. AZEVEDO ſuas hac de re Exercitationes orditur *Exer.* 31. a divini Officii principio uſque ad * INVITATORIUM. De Hymnis poſtea agit & Antiphonis *Exercit.* 32. De utriſque vide etiam Onomaſticon V. * ANTIPHONA, * HYMNUS, * HYMNARIUM, * HYMNODIA. Ac de antiphonis nihil habeo ſingulare quod moneam, praeter RAYNAUDI *O Paraſcevaſticum ſeptiduanis Antiphonis* Majoribus *Natale Chriſti antecurrentibus praefixum*. De hymnis porro confer *Bibliot. Ritual. T. II. p.* 416. Quod tamen ad Hymnum *Te Deum* ſpectat, de eo AZEVEDO diſſerit *Exercit.* 38., *& P. II. Exercit.* 2., quae tamen FABII DANZETTAE eſt Viri doctiſſimi, & AZEVEDIO olim ut profeſſione, ita & amicitia conjunctiſſimi: conferre autem poteris EUSTACHIUM a S. UBALDO, & Onomaſticon V. * TE DEUM. Pſalmos, & Cantica illuſtrat AZEVEDII *Exercitatio* 33. Vide etiam Onomaſticon V. * PSALMI, * PSALTERIUM, * CANTICUM; neque de Pſalterio, quod juxta duplicem Editionem vulgavit THOMASIUS, ANTONII MARTINETTI, & JOSEPHI M. SUARESII diſſertationes omittas. *Exercitatio* 34. de verſibus, abſolutionibus, & Benedictionibus diſſerit, de quibus aliqua in Onomaſtico ſuis verbis invenies: quo ſpectat ANGELI ROCCHAE diſſertatio *de precatione, qua lectiones in Matutino praevenimus, nec non de fine, quo eas claudimus*. In Lectionibus, & Reſponſoriis verſatur *Exercitatio* 35. Vide & in Onomaſtico V. * LECTIO, * ACTA MARTYRUM, * ACTA SANCTORUM, * LEGENDA, * RESPONSORIUM. *De reſponſoriis brevibus, & capitulis* inſcribitur ſequens *Exercitatio* 36. Vide in Onomaſtico * CAPITULUM *poſt Primam*. De oratione Officii, & Salutatione Angelica *Exercitatio XXXVII.*; de Symbolis Apoſtolorum, & S. ATHANASII *Exercitatio XXXVIII.*; de precibus, & commemorationibus, ſeu ſuffragiis Sanctorum *Exercitatio XXXIX.*, tandem *XL.* de Antiphonis B. M. V. in fine Officii diſputat. Ad haſce *Exercitationes* tres aliae ejuſdem AZEVEDII *Exercitationes ſpectant*, 20., 27., *&* 28. Partis ſecundae, quarum altera de eodem Symbolo S. ATHANASII, altera de Fidei formula, tertia de Salutatione Angelica copioſius pertractat. De eadem Salutatione Angelica, ejuſque *in S. Eccleſia uſu* JOSEPHUS HEYRENBRACH an. 1773. Vindobonae Diſſertationem edidit; aliam ego *Tom. II.* mearum Italicarum diſſertationum, *Diſſ. VI.* Huc etiam pertinet D. ASSELINE ſolutio quaeſtionis, an dicenda ſit antiphona *Regina Coeli* poſt Completorium Sabbathi Sancti? Extat autem iſthaec ſolutio apud DINUARTIUM

TIUM *Tom. LVI.* ſui Diarii Eccleſiaſtici *pag.* 161.

V. Varii ſunt Officii Divini ritus. Vide hic * V. ALTITUDO RITUS, * DUPLEX, * ANNALE, * SEMIDUPLEX, * SIMPLEX, & AZEVEDIUM *Exercit. XI. XII. XIII. XIV.* Idem agit *Exercit. XVII. de Octavis*, de quibus praeter GAVANTUM conſulere poteris JOH. BAPTISTAM PITTONUM; *Exercit. XVIII.* de commemorationibus, & IX. Lectione, *Exercit. XIX. de Translatione Feſtorum*, de qua adi etiam BONAM, THOMASIUM, & PETRUM CONTI; denique *Exercit. XX. de concurrentia officii* (vide etiam laudatum CONTI) *& de eo ex ſuperioribus Rubricis ordinando*. Adde ejuſdem CONTI opuſculum *de privilegiorum ad hebdomaticum, menſtruumque officium ſpectantium communicatione*.

VI. Gravis incumbit obligatio recitandi Horas Canonicas Clericis conſtitutis in majoribus, ac Beneficiariis, qui alias fructus beneficiorum ſuos facere minime poſſunt. Confer GERBERT *Sect. III. Theol. Liturg.* §. 83. Haec autem Officii Divini recitatio alia publica eſt in Choro, alia privata. De hac exſtat Ven. THOMASII opuſculum, & BENEDICTI XIV. Inſtitutio XXIV.; de illa ob quam conſtituuntur * PUNCTATORES, dicti etiam * OBEDIENTIALES, ejuſdem Inſtitutio CVII., & Gallica Anonymi XXIX. *in Bibliothecae Ritualis Tomo II.* indicati epiſtola, in qua quaeritur, poſſitne Canonicus in Choro Officium aliud ab eo, quod publice canitur, recitare? Ad utramque pertinet ordo perpetuus recitandi Officii, quem GAVANTUS, GUYETUS, LABORANTI, PITTONUS, ac TUMBA illuſtrarunt. Praeſertim vero de utraque conſulendus erit FRANC. MARIA MAGIUS e Clericis Regularibus.

VI. Rubricas Breviarli generatim exponunt iidem GAVANTUS, & GUYETUS; item HALDEN, TAURELLUS FOLA, & Fr. HIERONYMUS CARELLUS. Quod vero ſpectat ad quaedam dubia de primis Veſperis Officii Sanctiſſimi Cordis JESU a CLEMENTE XIII. probati, & de concluſione in hymnis horarum ejuſdem Officii, ſolvit AZEVEDO *P. II. Exercit. XIV.*

VII. Fuerunt etiam, qui Breviarii accuratam lectionem juvare conati ſunt, ut GAVANTUS *in notula quorumdam verborum dubiorum in Breviario Romano, nimirum qua ratione ſint legenda*, & JOHANNES DE ROBLES *in copia accentuum in Breviarium Romanum*.

§. VII.

De Ritibus, & Formulis quibuſdam Sacrae Liturgiae, & Officio Divino communibus.

I. ORdiemur a Ritibus, qui Sacrae Liturgiae, & Officio Divino communes ſunt. Cantus Eccleſiaſticus primum in his obtinet locum, de quo praeter Auctores *Bibliothecae Ritualis Tom. II. pag.* 397. *ſeqq.* indicatos aliqua dabunt THOMASIUS, GERBERTUS §. 78. & AZEVEDO *P. I. Exercit. II.*, ubi etiam de * ORGANIS. Sequitur ſignum Crucis, de quo Onomaſticon V. * FACERE SIGNACULA, * CRUCEM SIBI DEPINGERE &c., GRET-

GRETSERUS, & NICOLAUS COLLIN agunt in Gallico *de ſigno Crucis Tractatu*. (*Vide Bibl. Ritual. Tom. III. pag.* 337. *& Tom. LXVII. Diarii Dinuartiani Eccleſiaſtici pag.* 231. Gallicam de eodem ſigno epiſtolam.) Adde thurificationem, de qua Onomaſticon V. * Thus, * Incensum, * In Cruce incensare, * Thymiamaterium, Facere incensum, BONA, GEORGIUS, MALDONATUS, SCORTIA, GERBERTUS §. 68. & LANGUETUS Sueſſionenſium Epiſcopus in opuſculo contra D. DE VERT. Huc etiam ſpectat * Genuflexio, de qua etiam V. * Geniculatio, * Venia, * Inclinationes, * Altius inclinare, * Facere ante, et retro.

II. Formulae precum communes hae ſunt:

1. Oratio Dominica, de qua AZEVEDO *Exercit.* 37., GEORGIUS, GRANCOLAS, MALDONATUS, BENEDICTUS XIV.

2. Confiteor. Vide V. * Confessio.

3. * Doxologia minor. Vide * Gloria Patri, AZEVEDO *Exercitat.* 31., GEORGIUM *lib.* 3. *cap.* 6. *&* 17., GRANCOLAS in Breviar. *lib. I. cap.* 26., SCORTIAM, *lib.* 3. *cap.* 9., SELVAGGIUM *lib. II. cap.* 10. §. 4.

4. * Dominus vobiscum, de qua ſalutatione exſtat S. PETRI DAMIANI opuſculum, ac legi praeterea poſſunt ROCCHA, & MALDONATUS.

5. * Oremus. Vide etiam * Orationem dare.

6. Collectae. Vide * Collecta, & * Oratio, quae etiam dicta * Rogus Dei.

7. * Kyrie eleison.

8. * Sabaoth.

9. * Alleluja, unde * Allelujare, & Allelujatice. Hanc formulam illuſtrarunt CECCONI, DINUARTIUS, SELVAGGIUS *loc. cit.* §. 7. Vide etiam *Tom. XI.* Pariſienſis Diarii Eccleſiaſtici *pag.* 90. *Enterrement ſolemne de l'Alleluja.*

10. * Accendite.

11. * Amen.

§. VIII.

Aliae Sacri Cultus rationes.

I. Vetera, atque abrogata omittamus, quae inter convivia ad ſepulcra Martyrum. De his conſule BONARROTII obſervationes ad vitra coemeteralia, & GERBERTUM §. 75. *pag.* 33. Unum moneo, hujuſmodi convivia diſtincta fuiſſe ab agapis antiquo aevo uſitatis, de quibus praeter Auctores *Tom. II. Bibl. Rit. pag.* 427. indicatos adi, ſi placet, eoſdem BONARROTIUM, & GERBERTUM §. 26. *pag.* 114. *ſeqq.*

II. Ad ea me converto, quae moris noſtri ſunt, ſtationibus tamen, & jejuniis omiſſis, de quibus alibi dixi. Prima igitur ſacri cultus ratio erit Oratio XL. horarum, de qua vide FRANCISCUM CORNEUM *T. III. Bibliot. Ritual. p.* 338., JORLANDUM MASCARDI, *ibid. p.* 352., BENEDICTUM XIV. *Inſtit. XXX.* & DINUARTII Pariſienſe Diarium Eccleſiaſticum *T. LX. p.* 175.

III.

III. Secunda ſupplicationibus, & Proceſſionibus continetur. Vide hic V. * PROCESSIO, * PROCESSUS, * SUPPLICATIO. Confer Auctores *Tom. II. Bibl. Rit. pag.* 430. laudatos, & GERBERTUM §. 73. *pag.* 323.

IV. Tertia in flagellationibus ſita eſt. Vide hic * V. DISCIPLINA, & GRETSERUM.

V. Peregrinationes Religioſae, de quibus idem GRETSERUS, & TROMBELLIUS *de cultu Sanctorum*, quartam ſuppeditabunt.

VI. Adde his novemdiales ſupplicationes, quas vulgo *Novenas* dicimus. Vide hic V. * NOVEMDIALES *feriae*, * NOVENA, & DINUARTII Diarium *Tom. LVII. pag.* 75. Adde etiam * DONARIA *Sacra*.

CAPUT VII.

SACRAMENTORUM ADMINISTRATIO.

ARTICULUS I.

De Sacramentis generatim.

I. VIde hic * SACRAMENTUM; ex Theologis ARCUDIUM, JUVENINUM, DROUEN, GERBERT *in principiis Theologiae Sacramentalis*, TROMBELLIUM; ex Liturgicis, hiſtoricisque Scriptoribus MARTENE, GRANCOLAS *l'ancien Sacramentaire de l'Egliſe*, CHARDON, SELVAGGIUM *Antiquit. Chriſtianar. lib. III.*, PELLICCIAM &c.

II. Ad Sacramenta generatim ſpectat de conditionibus apponendis, vel non, in adminiſtratione Sacramentorum diſquiſitio. Hanc eruditiſſime pertractat AZEVEDO *P. II. Exercit. VII.*, ubi & Antiquorum hac ſuper re diſciplinam, & opiniones enarrat.

ARTICULUS II.

De Baptiſmi adminiſtratione.

I. BAptiſmi origines D. DE VERT commentis ſuis deturpavit; ſed vide quae in illa animadvertit Sueſſionenſium Praeſul LANGUETUS in opuſculo *de vero Eccleſiae ſenſu &c.* §. 16. *ad* 19.

II. Ad praeparationem Baptiſmi, & veteris Catechumenatus hiſtoriam, de qua ALBASPINAEUS, MORINUS, & ego in opuſculo, quo *ordinem ad Catechumenum faciendum* illuſtrare conatus olim fui, haec ſpectant in Onomaſtico requirenda: * CATECHESIS, * CATECHUMENI, * AUDIENTES, * AUDITORES, * COMPETENTES, qui & * SUBSCRIPTI (vide etiam * NOMEN), * CATECHUMENUM, ſeu locus, in quo Catechumeni in Eccleſia ſiti erant, * SCRUTINIUM, * SCRUTINII *dies*, * SABBATHUM *Scrutiniorum*, * SYMBOLUM, * SABBATHUM *in traditione Symboli*, * MISSA *in traditione Symboli*.

III. Locum Baptiſmi illuſtrant qui de Baptiſteriis egerunt, ut ALLE-

Digitized by Google

GRANZA; ALTAN, BIANCONI, OLIVIERI, WIIRDTWEIN, & P. ANTONIUS MARIA LUPIUS Tom. I. Diſſertationum, quae Faventiae nuper prodierunt, Archio typographo curante, *Diſſ.* 1.

IV. Stata erant Baptiſmi tempora. In his Paſcha, de quo diſputant PANVINIUS, & LAUNOJUS.

V. De Baptiſmi Miniſtro vide GERBERTUM *cap.* 2. §. 15., SELVAGGIUM *lib.* 3. *cap.* 2., PELLICCIAM *lib.* 1. *Sect.* 1. *cap.* 2. §. 2.

VI. Baptizabantur adulti, & pueri. De illorum Baptiſmo vide SELVAGGIUM *loc. cit.* §. 9.: de horum vero Baptiſmate confer ACAMUM, SELVAGGIUM *loc. cit.* §. 6. 7. & 8., & JOSEPHUM KLEINER *in orthodoxa de neceſſitate baptiſmi parvulorum doctrina*, Heidelbergae 1765. De utrorumque Baptiſmo vide etiam GERBERTUM *loc. cit.* §. 19. & 20. Agunt iidem GERBERTUS §. 18., & SELVAGGIUS §. *V.* de Baptiſmo pro *mortuis*, de quo exſtat HARDUINI diſſertatio.

VII. Baptiſmi ritus inter alios illuſtrant CABASSUTIUS, VICECOMES, &c. De Patrinis, & ſuceptoribus CHARDONII diſſertationem a me adnotationibus locupletatam habes in CLAUDII FLEURII *diſciplina populi Dei* e Zattiano typographio Venetiis emiſſa; de abrenuntiationibus Baptiſmi vide GERBERTUM §. 23., & SELVAGGIUM *cap.* 3. §. 1. De unctionibus in Baptiſmo receptis adverſus DE VERT diſputat LANGUETUS §. 24. De Euchariſtia baptizatis infantibus olim adminiſtrata legendus BONA *lib. II. cap.* 19. §. 1. & 2. & AGNELLUS ONORATO; de ritibus & veſte alba adi iterum LANGUETUM §. 23., qui & §. 25. DE VERT refellit ſuper cereo accenſo, qui Neophytis in Baptiſmate datur.

VIII. Quae in Onomaſtico ad Baptiſmum pertinent, praecipua invenies V. * BAPTISMALIS *Eccleſia*, * BAPTISTERIUM, * ILLUMINATORIUM, * BAPTISMUS, * INTINCTIO, * CLINICI, * PATRINUS, * LAC, & MEL, * SABANUM, * NEOPHYTUS, * ILLUMINATI, * INFANTES, * ALBAE *Paſchales*, * ALBATI, * COLYMBETHRA, * ANNOTINUM *Paſcha*.

ARTICULUS III.

De Confirmatione.

I. DE hoc Sacramento conſules GUILLIELMUM BEYERUM, VICECOMITEM, MORINUM, WITASSE, & BENEDICTUM XIV. *Inſtit. VI.* Peculiaria tamen aliqua huc ſpectantia argumenta ſunt a nonnullis pertractata. Ac primum Cardinalis ORSI luculentam edidit *de Chriſmate confirmatorio* diſſertationem. HOLSTENII deinde recolenda eſt *de forma, & Miniſtro Confirmationis apud Graecos* duplex diſſertatio, quacum conferre praeſtabit ASSEMANNI Codicem Liturgicum *Tom. III.* De Miniſtro cum ordinario, tum extraordinario Confirmationis nihil doctius legas, quam quod tradidit BENEDICTUS XIV. *de Synodo Dioeceſana lib. VII. cap.* 7. 8. 9. Quaerit idem BENEDICTUS *cap.* 10., an juxta praeſentem diſciplinam pueris ante ſeptennium deceſſuris, aut etiam alia juſta de cauſſa conferri iiſdem Confirmatio poſſit? De Patrinis ad hoc Sacramentum adhibitis FRAN-

Digitized by Google

FRANCISCI ANTONII VITALE extat Italica Diſſertatio. An autem Epiſcopus Fidelibus peſte infectis, dum ea graſſatur, Sacramenta, atque inter haec Confirmationem conferre debeat, & quo ritu miniſtratio tunc temporis peragenda ſit, docebit idem BENEDICTUS XIV. in eodem opere *de Synodo Dioeceſana lib. XIII. cap.* 19.

II. Ad Onomaſticon quod ſpectat, vide V. * Confirmatio, * Chrisma, * Chrismale, * Chrismarium, * Chrismarius Notarius, * Consignare, * Impositio manuum.

ARTICULUS IV.

De Sacramento Poenitentiae.

I. MAgnam partem rerum, quas Ritualis Scientia in hoc Sacramento conſiderare poteſt, occupat Poenitentia publica, de qua alio loco diximus. Igitur hic ſatis erit paucos adnotare Auctores, qui, ſepoſita publica poenitentia, conſuli de hoc Sacramento poſſint. Lege igitur MORINUM, qui tamen dum fori interni, & externi diſcrimen ad recentiora ſaecula detrudit, egregie fallitur (vide meum libellum *Le ſtorte idee raddirizzate*); MARTENE, PELLICCIAM *T. II. lib. V. cap.* 2. Quaere autem in Onomaſtico V. * Poenitentia, * Metanoea, * Exomologesis, * Absolutio, * Viaticum.

II. De Poenitentia a Diaconis, & confeſſione a Laicis ſuſcepta confer GERBERTUM *cap. V.* §. 65., & BENEDICTUM XIV. *de Syn. Dioeceſ. lib. VII. cap.* 16. De Confeſſione peccatorum publica, & privata, ejuſque ſigillo idem GERBERTUS §. 67. & 72., LENGLET DU FRESNOY ann. 1715. Pariſiis Gallicum Tractatum edidit *hiſtoricum*, & *dogmaticum du ſecret inviolable de la Confeſſion*. Nuperrime a Cl. P. CHRISTIANOPULO Ord. Praedicatorum egregium ſane volumen accepimus *della nullità delle aſſoluzioni ne' caſi riſervati* adverſus ingenioſum quidem, ſed in cogitationibus ſuis heu! nimium evaneſcentem Mediolanenſis Eccleſiae Canonicum. Quaerit denique AZEVEDO *T. II. Exercit.* 8., an Sacerdotes ſimplices ſaeculares ante Concilium Tridentinum excipere potuerint Confeſſionem Sacramentalem alterius Sacerdotis ſimplicis ſaecularis ſine facultate Ordinarii?

III. Poenitentia non dimittenda quin aliquid de Indulgentiis indicemus. Conſule igitur praeter Polemicos Tractatores GERBERTUM §. 75. & 76., & PASCHALEM COPETI *diſſ.* 8.

ARTICULUS V.

De Sacramento Sanctiſſimae Eucharistiae.

I. EUchariſtiae varia ſunt nomina; ut * Panis, & Calix, * Sancta &c. Vide SELVAGGIUM *lib. III. cap.* 8. §. 1.

II. De Communione (vide hic V. * Communio *Euchariſtica*, * Confirmatio, * Consecratus, *us*, * Dominicale), & vario illam diſtribuendi uſu

Digitized by Google

conſules ALBASPINEUM, ALLATIUM, MICHAELEM AMATUM, BONAM *lib.* 2. *cap.* 17. & 18., FASSINI, GRANCOLAS, DU GUET, MALDONATUM, NOVARINUM, ANTONIUM ZANOLINI. Quinam admiſſi, quinam rejecti a Communione, docebit SELVAGGIUS *loc. cit. cap. IX.* §. 3.

III. Siquae de Communione ſub utraque ſpecie addere placeat, etſi id potius ad Polemicos ſpectat, vide ALLATIUM, JACOBUM BOILEAU, BOSSUETUM, a SCHELESTRATE, & MALDONATUM a me editum *diſp.* 3. *quaeſt.* 5. Confer quoque AZEVEDIUM *P. II. Exercit. IX.*, ubi quaerit, an concedi aliquando poſſit ſaeculari laico communio ſub utraque ſpecie?

IV. De ſingularibus Euchariſtiae uſibus apud Graecos diſſerit FASSINI. Ad hos uſus ſpectat 1. mos reſervandae Euchariſtiae. 2. Euchariſtiae ad abſentes tranſmiſſio, atque in itineribus delatio. 3. Conſuetudo Euchariſtiae defunctis tribuendae, eiſque conſepeliendae. De his uſibus agit SELVAGGIUS *loc. cit. cap.* 10.

V. Sed quod ad Euchariſtiam reſervandam adtinet, varius quidem circa Euchariſtiae, quae poſt communionem ſupereſſent, reliquias fuit Eccleſiae mos (vide hic V. * EUCHARISTIAE *reliquiae*, & MALDONATUM *pag.* 184.); ſed tamen aliqua hujuſce Sacramenti pars ſaltem ad aegrotorum communionem ſemper ſervata. Neque tamen una fuit Eccleſiarum diſciplina ſive quod ad hanc Euchariſtiae reſervationem, ſive quod ſpectat ad infirmorum communionem. Ac de modo ſervandae Euchariſtiae vide Onomaſtici loca, quae ſuperiore capite §. 2. n. 5. V. * CIBORIUM indicavimus, & GRANCOLAS *Antiqui Sacramentarii P. I. pag.* 195. *ſeqq.* late diſputantem. De ipſa vero Infirmorum communione, de qua V. * INFIRMORUM *Communio*, & * VIATICUM, vide PELLICCIAM *Tom. III. P. I. diſſ.* 1., MALDONATUM *pag.* 162., GRANCOLAS *loc. cit. pag.* 241. *ſeqq.* & *pag.* 865. *ſeqq.*, Card. BRANCATI, & AZEVEDIUM *P. II. Exerc. XXIII.* An viatica communio privatim adminiſtrari poſſit? diſſerit *Tom. II. Bibl. Ritual. pag.* 109. Anonymus XIV. De Euchariſtia ultimo ſupplicio adficiendis non neganda CHIFFLETIUS diſſeruit. Confer MALDONATUM *diſp. III. quaeſt.* 1. §. *V. n.* 5., & ibi a me adnotata; & BENEDICTUM XIV. *de Sacrif. Miſſae Sect.* 2. §. 175., itemque *de Synodo Dioeceſ. lib. VII. cap. XI. n.* 3.

V. Cultum publicum panis Euchariſtici illuſtrant GRANCOLAS *loc. cit. pag.* 211. *ſeqq.*, & PELLICCIA *lib. II. Sect.* 2. *cap.* 13. Vide etiam hic * V. EUCHARISTIAE *oſtenſio*, * MONSTRANTIA, * OSTENSORIUM. Alicubi Dominico die Palmarum in publica ſupplicatione Euchariſtia deferebatur. Vide * V. FERETRUM. De Oratione XL. Horarum dictum ſupra *cap. VI.* §. 8. n. 2.; de benedictione ſequenti capite.

VI. De frequenti communione plurimi egerunt, praeſertim ad eos confutandos, qui illam de medio tollere omni ſtudio poſt ARNALDUM conati ſunt. Satis erit ex antiquioribus MALDONATUM conſulere *diſp. III. quaeſt. IV.*, & ex recentioribus GRANCOLASIUM *loc. cit. pag.* 294. *ſeqq.*

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS VI.

De Sacramento Extremae Unctionis.

I. Quae pauca de hoc Sacramento habet Onomaſticon noſtrum V.* Unctio extrema, * Liquamen, * Oleum Sanctum, * Liber ad oleandum, abunde ab Auctoribus ſupplentur. Illud primo animadverto, falli impudentiſſime DE VERT, qui in hujuſce Sacramenti inſtitutione Chriſtum adfirmat phyſicum, & naturale levamen ſpectaſſe ab hac Unctione in infirmos derivaturum. Vide Illuſtriſſ. LANGUETUM in ſaepius citato opuſculo *de vero Eccleſiae ſenſu &c.* §. *XX.*

II. Alia porro, quae huc pertinent, diſcuſſa habes a LAUNOJO, MABILLONIO, AGNELLO ONORATO, NICOLAO SERARIO, GRANCOLAS, praeſertim vero a BENEDICTO XIV. *de Syn. Dioeceſ. lib. VIII. cap. I. ad IX.*, quibus tamen doctiſſimis tanti Pontificis capitibus junge, quam idem, quum Bononienſem Eccleſiam regeret, edidit, Inſtitutionem XXII. Adde TROMBELLIUM, & quod ſpectat ad ritus hujus Sacramenti Liturgicos, MARTENIUM, GERBERTUM §. 79., SELVAGGIUM *lib. III. cap.* 13., & PELLICCIAM *lib. VI. Sect.* 2. §. 2.

III. Unum tamen eſt, de quo in Eccleſiaſtico DINUARTII Diario video accuratiorem diſquiſitionem ſuſceptam; aetas, inquam, quae infantibus neceſſaria eſt, ut conferri illis Unctio Extrema poſſit. Adi illius Diarii *Tom. LXVIII. pag.* 278., *&* *LXIX. pag.* 47.

ARTICULUS VII.

De Ordinis Sacramento.

I. De hoc vide in Onomaſtico * Ordo, * Archiordinare, * Impoſitio manuum, * Cathedraticum.

II. Ad Auctores quod adtinet, conſulendi de ſacris Ordinationibus, & Electionibus praeſertim HALLIER, MORINUS, MARTENE, & BENEDICTUS XIV. *de Syn. Dioeceſ.* Si contractiorem diſquiſitionem amas, lege CABASSUTIUM, AGNELLUM ONORATO; neque praetereas GRANCOLAS *Tom. I. Antiqui Sacramentarii pag.* 105. *ſeqq.*

III. Adde ALLATIUM *de aetate, & interſtitiis etiam apud Graecos* differentem. De Sacerdotum unctionis ritu apud Orientales epiſtolam ſcripſit ABRAHAM ECCHELLENSIS, quam conferre poteris cum GABRIELIS SEVERI Philadelphienſis Libello *de Sancto Sacerdotii Sacramento*.

ARTICULUS VIII.

De Sacramento Matrimonii.

I. Sponſalium proclamatio, de qua nonnulla prompſit e veterum monumentis PELLICCIA *lib. VI. Sect.* 1. *cap.* 1., ſed apud Gallos Theologos

logos multo plura invenies, praeſertim in Collationibus Pariſienſibus Cardinalis DE NOAILLES, & in Andegavenſibus, ad detegenda, ſiquae laterent, impedimenta potiſſimum inducta fuit. Atque horum impedimentorum hiſtoriam tribus voluminibus in 4. Gallico idiomate conſcriptis GIBERTUS, copioſa quidem eruditione, non tamen ſemper ad veritatem complexus eſt. Ritus ſponſalium vide apud SELVAGGIUM *lib. III. cap.* 15. §. 2.

II. Tempora aliqua ſemper in Eccleſia fuere, quibus nuptias celebrare non licuit. Vide PELLICCIAM *loc. cit. cap.* 2. Neque tamen, quae illis temporibus contraherentur, Matrimonia viſua carebant. Confer Card. LAMBERTINI, poſtea BENEDICTI XIV. Inſtitutionem LXXX. Cautum porro fuit a priſcis uſque temporibus, ut nonniſi coram Sacerdote ſponſi matrimonium inirent, illius benedictione veluti obſignandum. Confer BENEDICTUM XIV. *de Syn. Dioeceſ. lib. VIII. cap. XII. pag.* 271., & PELLICCIAM *loc. cit. pag.* 283.

III. Nuptiarum ritus idem PELLICCIA *loc. cit. cap.* 3. §. 1. & 2. & SELVAGGIUS *loc. cit.* §. 3. In his ritibus * CORONA NUPTIALIS, de qua in Onomaſtico. RUPPRECHT in notis hiſtoricis ad librum IV. Decretalium §. 4. ſolemnitates cum ſponſalium, tum Matrimonii erudite perſequitur.

IV. Ad Matrimonium ipſum quod adtinet, de quo Onomaſticon V. * MATRIMONIUM, & * NUPTIAE, fuit olim conjugibus Matrimonii uſus certis temporibus interdictus, ut duplici diſſertatione docuit AGNELLUS ONORATO. Vide etiam PELLICCIAM *loc. cit. cap.* 3. §. 3. Nunc tamen, inquit BENEDICTUS XIV. *de Syn. Dioeceſ. lib. V. cap.* 1. *n.* 8., intra meri conſilii limites continetur, quod olim ſevera lege erat prohibitum. Conſule CATALANUM *ad Pontific. Rom. Tom. III. tit. de ordine ad Synod.* §. 22.

V. Alios ritus habebant ſecundae nuptiae, quas benedicere etiam apud Latinos vetitum fuit, ut monet BENEDICTUS XIV. *de Synod. Dioec. lib. VIII. cap.* 13. *n.* 7. Lege ſis laudatos SELVAGGIUM *l. c.* §. 4., & PELLICCIAM *l. c. cap.* 4.

VI. Moneo tandem, ut qui plura de Matrimonii ritibus cupit, adeat inter alios MARTENIUM, ac TROMBELLIUM, apud quos veterum Scriptorum, ordinumque liturgicorum verbis, ac monumentis expoſita omnia, & confirmata inveniet.

CAPUT VIII.

Ritualia de Sacramentalibus, Benedictionibus, & Exorciſmis.

§. I.

Sacramentalia.

I. SOlent Sacramentalia hoc carmine comprehendi:

Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedicens.

Quaerunt Theologi, an iſthaec Sacramentalia deleant venialia peccata

cata opere operato? Negat SUAREZ *Tom. IV. in 3. p. diſp. XII. Sect. 2.*; adfirmat cum SOTO VALENTIA *Tom. IV. diſp. VII. quaeſt. IV. puncto 1.* Ut ut eſt de Theologica hac quaeſtione, ſingulas adlati carminis voces explicabimus.

II. 1. *Orans*: hoc intellige de * Oratione Dominica. Can. *de quotidianis* diſt. 2. *de poenitentia*, & Can. *tres ſunt*, *de poenit.* diſt. I.

2. *Tinctus*. Hoc ad aquam ſpectat *benedictam*, quam & *ſanctam* dicimus. Can. *Aquam* de conſecr. *diſt.* 3. ex ALEXANDRO, ut creditur, primo. Vide Card. DE TURRECREMATA, RAPHAELEM BADIUM, MARSILIUM COLUMNAM, PELLICCIAM *T. I. lib. III. ſect. II. cap. 3.*, & NICOLAUM COLLIN in Tractatu Gallico, cujus titulum habes *T. III. Bibl. Rit. p. 337.* Adde Onomaſticon V. * Aqua benedicta, * Aſpergillus, * Biothanatus, * Facere aquam ſanctam.

3. *Edens*; intellige *panem benedictum*, de quo idem COLLIN *ibid.* & PELLICCIA *l. c. cap. 2.*

4. *Confeſſus*, ſcilicet confeſſione generali, ſeu recitans *confiteor*. Can. *de quotidianis* diſt. 3. *de poenit.*, ex S. AUGUSTINO *Enchirid. cap. 61.*, etſi a GRATIANO falſo ex CHRYSOSTOMO citatur.

5. *Dans*, nempe eleemoſinam. Habetur Can. *Medicinam de Poenit.* diſt. I. ex AMBROSIO, & Can. *Quamobrem* eadem diſtinct. ex HIERONYMO; idque paſſim in Bibliis docemur, ut *Dan. IV.*: *peccata tua eleemoſinis redime.*

6. *Benedicens*: hoc de Epiſcopali praeſertim benedictione habeto, de qua ALEXANDER CAPRARA, & Onomaſticon V. * Benedictio. Exſtat id I. q. 1. Can. *dictum eſt* ex AUGUSTINO; immo (quod gravius eſt) ex *Levitico cap. 6.*, ubi DEUS illis etiam Sacerdotibus legalibus promiſit fore, ut qui ab ipſis benedicerentur, eſſent benedicti. Idem dictum volunt de benedictione Abbatis conſecrati.

III. Tria alia Sacramentalia addi ſolent. Primum eſt *oratio in Eccleſia conſecrata*; quae Eccleſiae traditio confirmatur ex *III. Reg. cap. VIII. & IX.*; item ex *II. Paralip. cap. VI. & VII.*, ubi DEUS tam magnifice pollicitus eſt, ſe eſſe orantes in templo a SALOMONE conſecrato exauditurum: quanto ergo magis in templo, ubi ipſe reſidet CHRISTUS?

Alterum eſt *Tunſio pectoris*. Can. *Tres ſunt de Poenit.* diſt. I. ex AUGUSTINO epiſtola ad SELEUCIANUM, non (quod falſo GRATIANO excidit) FELICIANUM, 265. *al.* 108.

Tertium eſt *Unctio*. Atque haec quidem principaliter ſumpta, ut recte monet SUAREZ *l. c. Sect. 2.*, non tam Sacramentale eſt, quam Sacramentum, quum in quibuſdam Sacramentis locum habeat, uti in Baptiſmo, Confirmatione, Ordine, & extrema Unctione. Hic ergo *Unctio* intelligitur extra Sacramenta. Vide Onomaſticon V. * Chriſma, & * Chriſma annotinum. Adhibetur autem 1. in Templis, & altaribus, variiſque aliis rebus ad Templa, & altaria pertinentibus, ubi conſecrentur. Adhibetur 2. in Imperatoris, Regumque inauguratione, & coronatione ad exemplum Regum, Principumque veteris Teſtamenti. Vide DINUARTII Diarium Eccleſiaſticum *T. LXI.*, ubi *p. 5. 99.*, & 195. extat Diſſertatio *ſur le Sacre des Rois*,

& en

Digitized by Google

& en particulier ſur le ſacre de Clovis, & de ſes deſcendans, & MURATORIUM *T. II. Anecdotorum*, ac *Tom. I. Antiquit. Italic. Medii aevi diſſ. III.*

Adde his omnibus *Sal Cathechumenorum*. V. * SAL. Moneo etiam, ut adeas doctiſſimum ZECH *de jure rerum Eccleſiaſtic. Sect. II, Tit. XVII. de Sacramentalibus*.

§. II.

Benedictiones.

I. DUplex benedictionis genus Conſtitutiones Apoſtolicae *lib. III. cap.* 10. ingerunt, *magnam* alteram, alteram *parvam*. JOHANNES CLERICUS ad eum *Conſtitutionum* locum *magnae* benedictionis nomine *publicam*, *privatam* nomine *parvae* deſignari exiſtimat. At quid ſibi velit in re Liturgica benedictio *privata*, non ſatis intelligimus, inquit PELLICCIA *loc. cit. cap.* 1.? Conjicit autem, *magnam* potius appellatam eo loco fuiſſe benedictionem Epiſcopi in myſtica Liturgia populo collatam, *parvam* autem, quae extra Liturgiam ſolemnem vel a Presbytero, vel a Diacono fiebat. Mallem ego (noſtris ſaltem temporibus) *ſolemnem* omnem benedictionem, quam ſtatis diebus Romani Pontifices, vel etiam Epiſcopi, aut nomine Papae ſacri alii Miniſtri interdum populo impertiuntur, *magnam* nuncupare; *parvam* quaecumque *ſolemnis* non ſit.

II. His omiſſis, alia benedictio *perſonarum* eſt, alia *animantium*, tertia *rerum* vita *carentium*. Ac de his omnibus late egerunt GRETSERUS, CHRISTIANUS LUPUS, QUARTI, SAINTEBEUVE, & EUSTACHIUS a S. UBALDO; quibus adde Canonicum COPETI in ea diſſertatione, quam coram BENEDICTO XIV. habuit *dell' antichità, origine, e convenienza del rito, con cui ſi uniſce alle benedizioni il ſegno di Croce, e l' invocazione delle perſone della Santiſſima Trinità*.

III. Quod vero ad *perſonarum* benedictiones ſpectat, has praeſertim adnotare placet.

1. Nubentium. Vide BENEDICTUM XIV. *Inſtit.* 80.

2. Mulierum poſt partum. Vide eumdem BENEDICTUM XIV. *Inſtit.* 105., & DINUARTII Diarium Eccleſiaſticum *Tom. LXVII. pag.* 138.

3. Peregrinorum; quae Benedictio antiquior XII. ſaeculo non videtur. Confer PELLICCIAM *loc. cit. cap.* 4. *pag.* 365.

Verum omnibus hiſce Benedictionibus praeſtat, quae Euchariſtico Sacramento fidelibus tribui ſolet. Triplicem porro de hujuſmodi Benedictione quaeſtionem invenio. Primam DOMINICUS MAGRI diremit Romae 1678. edita diſſertatiuncula, *an Diaconus Cardinalis poſſit ſolemniter benedicere in ſua Diaconia*. Secunda quaeſtio Lucae exorta eſt de duplici benedictione Sanctiſſimi Sacramenti publicae adorationi expoſiti in quibuſdam Sanctimonialium Eccleſiis, altera populo, altera monialibus ipſis collata. P. JOSEPHUS MARIA MANSIUS e Clericis Regularibus Matris Dei, quem alio in loco rerum Liturgicarum peritiſſimum jure appellavi, abſonum hunc ritum ann. 1773. Lucae edita Diſſertatione *de duplici benedictione &c.* coercuit.

euit. Fuit tamen qui MANSIUM refellere conatus eſt. Sed anno eodem 1773. Menſe Decembri Sacra Rituum Congregatio Decreto, quod CLEMENS XIV. ubique dandum eſſe exequutioni ſanxit, reprehenſibilem hanc conſuetudinem radicitus convellendam ſtatuit. Hinc Romae prodiit ann. 1774. Typis Paulli Giunchi: *Riſpoſta del M. R. P. GIUSEPPE MARIA MANSI della Congregazione della Madre di Dio all' Autore della lettera ſtampata in Lucca, nella quale ſi ſoſtiene l' uſo della doppia benedizione ſolita darſi col Santiſſimo Sagramento in alcune Chieſe di Monache*. Tertia controverſia an. 1751. excitata fuit, an data cum SS. Sacramento benedictione, facienda ſit ejuſdem SS. Sacramenti thurificatio, antequam in Tabernaculo reponatur? Vide in *Bibl. Rit. Tom. II. pag.* 288. RONDANI ALPHONSUM, & quae ibi de hac controverſia ex tertio tomo meorum *Annalium litterariorum Italiae* exſcripſi.

IV. Animantia, ad quae ſecundum Benedictionis genus pertinet, alia humano generi utilia ſunt, ut equi, muli &c.; alia noxia, ut mures, locuſtae, bruchi, & vermes. De illorum benedictione conſule BENEDICTUM XIV. *Inſtit. XLVII.* §. 1., & DINUARTII Diarium Eccleſiaſticum *Tom. LXII. pag.* 168.: de benedictione contra haec vide ibidem BENEDICTUM XIV. §. 2., & DINUARTIUM eodem *Tomo LXII. pag.* 228.

V. Multo plures benedictiones ſunt rerum vita carentium. En illas juxta alphabeticum harum ordinem.

* Agni Benedictio, quam WALAFRIDUS STRABO *rer. Eccl. cap.* 18. fruſtra reprehendit, ut ab eruditiſſimo FRANCISCO XAVERIO HOLL notatum fuit in *Statiſtica Eccleſiae Germanicae pag.* 381.

Agrorum. Vide BENEDICTUM XIV. *Inſtit. XLVII.* §. 3.

Aquae extra fontes Baptiſmales.

Campanarum. Vide V. * Baptismus *Campanarum*, & BENEDICTUM XIV. eadem *Inſtit. XLVII.* §. *IV. n.* 31. *ſeqq.*

Candelarum. V. * Candela.

Cerei Paſchalis. V. * Cereus Paschalis, & DINUARTII Diarium *T. LXXI. pag.* 134.

Cinerum. V. * Cineres.

Domus. Vide PELLICCIAM *Tom. I. pag.* 365.

Frugum. Videndus PELLICCIA *pag.* 364.

Ad Linteamina, *vel ad omnia in uſum Baſilicae*. PELLICCIA *ibid.*

Menſae; idem *pag.* 358.

Novae navis; idem *pag.* 365.

Ovorum.

Palmarum. V. * Palma, * Palmarum Benedictio, * Palmorerium.

Pomorum. V. * Poma.

Salis. V. * Sal.

Uvarum. V. * Uvarum Benedictio.

Denique quae in antiquioribus Sacramentarii Gregoriani Codicibus inſcribitur *Benedictio ad omnia, quae volueris*, in Rituali Romano praenotatur: *Benedictio ad quodcumque comeſtibile*.

VI. Unum reſtat, quod moneam, Benedictiones non paucas ex iis, quas hactenus indicavimus, impertiri poſſe cum ſacra effigie, ac Reliquiis;

fruſtra repugnante TONELLIO *in Sacr. Enchirid. lib. II. cap. 5. §. 4. n. 6.*; quem BENEDICTUS XIV. refellit *Inſtit. XLVII. §. 3. n. 23. ſeqq.* Vide etiam DINUARTII Diarium Eccleſiaſticum *Tom. LX. pag. 171.*

§. III.

De Exorciſmis.

I. AD Benedictiones referuntur in Eccleſia Exorciſmi, ſeu caeremoniae ſacrae, quas Eccleſia adhibet vi poteſtatis ſibi a CHRISTO collatae ad fugandos ex obſeſſorum corporibus Daemones. Viguiſſe hujus poteſtatis uſum a primis Chriſtianis ſaeculis oſtendunt monumenta, quae proferunt BERTI *Theolog. diſciplin. l. 31. cap. ult. n. 5.* & PAULLUS M. CARDI in libro: *Ritualis Romani documenta de exorcizandis obſeſſis &c.* Vide etiam Thymeum *de Daemoniacis* DU GUET, celſiſſimum Abbatem GERBERT in eruditiſſimo opere praenotato: *Vetus Liturgia Alemannica p. II. diſquiſit. VII. de energumenis cap. 1. & 2.*, & Onomaſticon noſtrum V. * ENERGUMENUS, * EXORCISMUS, * EXORCIDIARE, * EXSUFFLATIO DAEMONUM, & * INSUFFLATIO.

II. Uſus *exorciſmorum noſtris diebus*, inquit Cl. HOLL *Statiſtica Eccleſiae Germanicae* §. 272., *novam in Germania epocham dediſſe videtur in quodam Exorciſta Cl. JOS. GASSNER Curienſis Dioeceſeos Parocho, poſtea Celſiſſimi S. R. I. Principis, & Epiſcopi Ratisbonenſis Conſiliario Eccleſiaſtico, ac Sacellano Aulico.* Perſuaſum pio viro nuper defuncto fuerat, plurimos, quibus obnoxii ſumus, morbos a Daemonibus immitti, eoſque propterea invocato cum fide JESU nomine depelli poſſe. Hinc multas infirmorum hujuſmodi curationes adgreſſus eſt, nec ſine fructu. Magnam iſtae primum admirationem in univerſa Germania excitarunt; deinde incredulorum irriſiones, aemulorum invidiam, maledicentiam, criminationes, Epiſcoporum ſollicitudinem. Quamobrem innumeri fere ſunt, qui in utramque partem libri prodiere. Vide laudatum HOLL, & DINUARTII Diarium Pariſienſe Eccleſiaſt. *T. LIX. ad LXIII.* Satis mihi erit cum doctiſſimo, & in Philoſophicis, praeſertim vero in metaphyſicis rebus verſatiſſimo libri *de miraculis* jam tertium Romae editi Auctore ANDREA SPAGNIO *Vol. 1. n. 96.* (ſecunda utor editione) fateri, *non eſſe extra controverſiam quae de* GASSNERIO *narrantur*; expectandumque propterea ajo de tota hac controverſia Romanae Sedis judicium.

CAPUT IX.

DE CURA PRO MORTUIS.

I. EXtremam adtigimus Scientiae Ritualis partem, quae in cura pro Mortuis verſatur. Hoc argumentum pertractarunt FILESACUS, GRETSERUS, PANVINIUS, GRANCOLAS *Ant. Eccl. Sacram. P. I. pag. 882.*, ZANOBETTI, SELVAGGIUS *lib. II.*

Anti-

Digitized by Google

Antiquit. Chriſtian. in appendice *de Liturgia funebri pag.* 273. *ſeqq.*, & quibus maxime hic utar, PELLICCIA *Tom. II. lib. VI. Sect. II. cap.* 4. *ſeqq. pag.* 329., & HOLL in *Statiſtica Eccleſiae Germanicae* §. 323. *ſeqq.*

II. Ritus alii ſpectant ad lotionem, pollincturam, veſtitum cadaveris, poſtquam proximiores agnati cadaver compoſuere, oculos atque os ei propriis manibus occludentes, ut ex DIONYSIO ALEXANDRINO, aliiſque veteribus colligit SELVAGGIUS *cap. XII.* §. 6. *n.* 21. Sic porro compoſitum cadaver in * Feretro, quod etiam * Lecticam, * Sandapilam, & * Lectum vocant, collocatur, Pſalmos interea decantantibus Clericis, atque olim Diaconiſſis, non tamen praeficis, aut aliis pro defuncto orantibus. Ante funeris elationem aliqua vel ab Antiſtite, vel a Parocho peraguntur, ut aſperſio aquae benedictae &c. Vide PELLICCIAM *cap.* 4.

III. Sequitur elatio cadaveris ac pompa funebris, * Lecticariis corpus deferentibus, atque interea Clero pſallente. Vide etiam * Portatorium, PELLICCIAM *cap.* 5., & SELVAGGIUM §. 7. *n.* 24.

IV. Deducitur cadaver ad ſepulturae locum, ubi olim Epiſcopus, nunc Parochus juſta perſolvit. Vide * Obsequium. Ad exequias pertinet * Officium Defunctorum, * Animarum Missa, & * Defunctorum Missa. Ferme oblitus fueram reſponſorii *Libera me Domine*, quod OCTAVIANUS PRAECONIUS expoſuit 1566. Vide *Bibliot. Ritual. T. III. p.* 356. Saepe oratio funebris de mortui laudibus recitari conſuevit; de quo ritu praeter SELVAGGIUM *num.* 32., & PELLICCIAM *p.* 342. conferendus ZECHIUS *de jure rer. Eccleſ. P. I. Sect.* 2. *tit.* 23. §. 505.

V. Tandem in * Sepulcro cadaver collocatur. Sepulcrum dicitur quoque * Lavellum, * Loculus, * Navellum, * Sarcophagus, & * Tumulus. Vide etiam * Sepulturam. At de loco, ubi olim defuncti ſepeliebantur, aut etiam tumulandi ſint, nempe an in coemeteriis, an in exedris extra Eccleſiam, an denique intra ipſam Eccleſiam, magna inter eruditos diſceptatio eſt. Confer GRETSERUM, SPONDANUM, FRANCISCUM MARIAM SAMUELLIUM, MABILLONIUM, MURATORIUM, POREE', praeter BOSIUM, BONARROTIUM, BOLDETTUM, BOTTARIUM, SELVAGGIUM, & PELLICCIAM. Vide etiam HOLL *p.* 469. *ſeq.* Ritum vero ipſum humandi Sacerdotes veterem, & novum laudatus MABILLONIUS illuſtrat.

VI. Sequebantur haec omnia eleemoſinae, & Agapae funebres pauperibus praeſertim de Clero in defunctorum levamen paratae; atque hae quidem in magnos tandem abuſus degenerarunt, quum multi eſſent ipſius S. AUGUSTINI aetate, qui, ut ipſe *l. de morib. Eccl.* queritur, *luxorioſiſſime ſuper mortuos biberent*. Quamobrem neceſſe fuit, ut Conciliorum Canonibus proſcriberentur. Vide SELVAGGIUM *n.* 33., & PELLICCIAM *p.* 355.

VII. Defunctorum quoque nomina * Necrologio inſcribebantur, quod etiam * Liber vitae appellabatur. Hinc vero eorum nomina in Diptycha referebantur, ut in ſacra Liturgia recitari poſſent in conſueta * Pausantium (ſic enim defunctos Noſtri Majores vocabant) commemoratione.

VIII. Praeterea certi dies aguntur pro defunctis. Olim celebris fuit

Digitized by Google

dies ab obitu III.; ſed hic in deſuetudinem abiit, & etiamnum retinetur dies *depoſitionis*, ſeptimus, ac triceſimus. Celebrantur quoque anniverſaria. Quaecumque vero ipſa annua mortis die aguntur, *Exequiae* dicuntur. Refert GOLDASTUS *Tom. II. Rer. Alemanic. p.* 148. S. NORBERTUM, qui anno MLXXII. deceſſit, inter Abbates S. GALLI primum fuiſſe, qui anniverſarium ſui obitus diem inſtituerit. Vide hic V. * Repraesentatio Corporis.

IX. Ritibus adcenſendae non ſunt caeremoniae quaedam, quas Concilium Germanicum anno circiter DCCXLII. celebratum *Can.* 5. *paganias* jure appellat, quod ab Ethnicis ſuperſtitionibus derivarentur. De his aliqua SELVAGGIUS *n.* 38. Verum in Concilio Liptinenſi apud HARTZHEIM *Tom. I. Concil. Germ. p.* 51. harum ſuperſtitionum indiculus proſtat, quem etiam Cl. P. SIGISMUNDUS CALLES ſuis illuſtratum adnotationibus exhibet in Annalibus Eccleſiae Germanicae *Tom. II. lib. IV. pag.* 251. Conferatur HOLL *pag.* 474.

X. Atque hic calamum ſiſto. Erit fortaſſis aliquando, qui adumbratam hanc Liturgicae Scientiae Inſtitutionem pro ſua eruditione, ac diligentia locupletet, atque perficiat. Et augeri quidem a memetipſo potuiſſet, ſi, quod nonnullis forte videbitur, Proteſtantium diſſertationes, quae de rebus Liturgicis permultae ſane ſunt, libroſque non paucos de ſacris antiquitatibus conſuluiſſem: ſed, fateor, mihi nunc tantum ocii non fuit, ut in hoc haereſeon ſtercore aurum quaererem. Qui tamen id cupiat, facile per ſe hoc adſequetur, modo ſecundum meae Bibliothecae Ritualis volumen conferat, ubi Proteſtantium, qui in ſacris hiſce argumentis verſati ſunt, indicem dedi. Hoc potius doleo latere etiamnum in optimi amici mei FRANCISCI CANCELLIERI ſcrinio elaboratiſſimum ejus opus ſex tomulis in 12. ſi (quod maxime optaverim) ederetur, comprehendendum. Titulus, quem ſubjicio, oſtendet quantum Liturgicae eruditionis a me promi ex eo potuiſſet. En illum: *Le Cappelle Pontificie, e Cardinalizie deſcritte da FRANCESCO CANCELLIERI con una ſpiegazione Storica, Liturgica, e Bibliografica dell' origine de' riti antichi, e moderni, e degli Scrittori di tutte le Feſte, in cui quelle cadono, oltre l' illuſtrazione di tutte le Chieſe, dove ſi tengono, e degli Ordini della Gerarchia Eccleſiaſtica, che le compongono.*

Finis Tomi Secundi.

AD MAJOREM DEI GLORIAM.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
CAPITUM, ARTICULORUM, PARAGRAPHORUM
Quibus Ratio Studii Liturgici inſtituendi continetur.

CAPUT I. Fontes, ex quibus potiſſimum Scientia omnis Ritualis petenda eſt. pag. 190. & ſeq.
CAPUT II. Alia Scientiae Ritualis praeſidia. pag. 192. & ſeq.
CAPUT III. Finis Scientiae Ritualis. Regulae aliquae ad eum facile adſequendum. pag. 195. & ſeq.
CAPUT IV. Quamnam ſtudii rationem inire debeat qui in Scientiam Ritualem incumbere utiliter velit? pag. 199. & ſeqq.
CAPUT V. Qua ratione Ritualis Scientia in Eccleſiaſtica Hierarchia verſetur, & quaenam de ea potiſſimum inquirat. pag. 203.
ARTICULUS I. De Romano Pontifice. Rituales quae poſſint poni quaeſtiones. ibid.
§. I. Quaeſtiones de Sede vacante, caeteroque ad Romani Pontificis electionem apparatu. ibid. & ſeq.
§. II. Quaeſtiones de Electione, Ordinatione, & Coronatione Summi Pontificis, aliiſque ad ejus veſtes, inſignia, honorificas appellationes ſpectantibus. pag. 204. & ſeq.
§. III. Quaeſtiones Rituales de Sacris Functionibus, & Benedictionibus Romani Pontificis propriis. pag. 205. & ſeq.
§. IV. Quaeſtiones Rituales de iis, quae in adminiſtranda Eccleſia univerſali ſervare Pontifex conſuevit, occupantur. pag. 207. & ſeq.
§. V. Officia domus Pontificiae a Panvinio explicata in interpretatione Vocum Eccleſiaſticarum & in Mabillonianis Ordinibus Romanis indicata, quo ordine in Onomaſtico recenſentur. pag. 208. & ſeq.
§. VI. Scholae ſacris Romani Pontificis functionibus additae. pag. 209.
ARTICULUS II. De S. R. E. Cardinalibus Quaeſtiones. ibid. & ſeq.
§. I. De Cardinalium Origine, & antiquitate, numero, titulis. pag. 210. & ſeq.
§. II. De S. R. E. Cardinalium Creatione, muneribus, praerogativis, & praecellentia. pag. 211. & ſeq.
ARTICULUS III. De Epiſcopis. pag. 212.
§. I. Epiſcoporum nomen, honorificae appellationes, Chriſtianorum in eos obſequia. ibid.
§. II. Variae Epiſcoporum Claſſes. ibid. & ſeq.
§. III. Epiſcoporum Electio, & Conſecratio. pag. 213.
§. IV. Inſignia, & veſtes Epiſcoporum; ſingularia alia. pag. 214. & ſeq.
ARTICULUS IV. De Clero Saeculari. pag. 215.
§. I. Clerus Saecularis ſecundum ordines ſpectatus. ibid. & ſeq.
§. II. Clerus Saecularis ſecundum Canonicam vitam, & diſciplinam. pag. 216. & ſeq.

§. III.

Digitized by Google

§. III. Clerus Saecularis ſecundum varia cum Eccleſiarum, tum Capitulorum Officia. pag. 217. & ſeq.

ARTICULUS V. Clerus Regularis. pag. 218.

§. I. Quaenam in Onomaſtico ad Monachos pertineant. Ibid.

§. II. De Monachorum, ac Regularium Ritibus. pag. 219. & ſeq.

ARTICULUS VI. Regimen Eccleſiaſticum. pag. 221.

§. I. Magiſtratus antiqui, & novi, quorum ope Eccleſiae ſingulae reguntur. ibid. & ſeq.

§. II. Viſitatio Dioeceſis. pag. 222. & ſeq.

§. III. Synodi. pag. 223.

§. IV. Leges. Ibid.

§. V. Reditus, & bona Eccleſiae. ibid. & ſeq.

§. VI. Forum Eccleſiaſticum, Judicia, Poenae, idque genus coetera. pag. 224.

§. VII. Communio Eccleſiaſtica Epiſcoporum cum Clericis, aliiſque ſibi obnoxiis; item cum aliis Eccleſiis. ibid. & ſeq.

CAPUT VI. Cultus ſacer, & quae in eo illuſtrando Ritualis Scientiae ſint partes. pag. 225.

§. I. Quibuſnam ſacer cultus ſit deferendus? ibid. & ſeq.

§. II. De locis ſacro cultui ſpeciatim ſacris. pag. 227. & ſeq.

§. III. De Sacris Chriſtianorum Conventibus. pag. 229. & ſeq.

§. IV. De Tempore, cui univerſus ſacrorum conventuum ritus accommodatur. pag. 230. & ſeq.

§. V. De Sacra Liturgia. pag. 233. & ſeq.

§. VI. De Divino Officio, ſeu Pſalmodia. pag. 237. & ſeq.

§. VII. De Ritibus, & Formulis quibuſdam Sacrae Liturgiae, & Officio Divino communibus. pag. 239. & ſeq.

§. VIII. Aliae Sacri Cultus rationes. pag. 240. & ſeq.

CAPUT VII. Sacramentorum adminiſtratio. pag. 241.

ARTICULUS I. De Sacramentis generatim. ibid.

ARTICULUS II. De Baptiſmi adminiſtratione. ibid. & ſeq.

ARTICULUS III. De Confirmatione. pag. 242. & ſeq.

ARTICULUS IV. De Sacramento Poenitentiae. pag. 243.

ARTICULUS V. De Sacramento Sanctiſſimae Euchariſtiae. ibid. & ſeq.

ARTICULUS VI. De Sacramento Extremae Unctionis. pag. 245.

ARTICULUS VII. De Ordinis Sacramento. ibid.

ARTICULUS VIII. De Sacramento Matrimonii. ibid. & ſeq.

CAPUT VIII. Ritualia de Sacramentalibus, Benedictionibus, & Exorciſmis. pag. 246.

§. I. Sacramentalia. ibid. & ſeq.

§. II. Benedictiones. pag. 248. & ſeq.

§. III. De Exorciſmis. pag. 250.

CAPUT IX. De Cura pro Mortuis. ibid. & ſeq.

Die

Digitized by Google

Die 19. Julii 1786.

Vidit pro Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Domino Vitale Joſepho Marchione de Bobus Epiſcopo Faventino D. Matthæus Joannardius Parochus SS. Salvatoris, & in Seminario Theologiæ Moralis Profeſſor.

Die 14. Auguſti 1786.

IMPRIMATUR.

Fr. Angelus Maria Merenda Ordinis Prædicatorum Sacræ Scripturæ Lector, aç Vicarius Generalis Sancti Officii Faventiæ.

Digitized by Google

ALCUNI LIBRI
DI RECENTE DA ME STAMPATI.

Diſſertazioni, Lettere, ed altre Operette del Chiariſſimo Padre Anton-Maria Lupi Fiorentino per la maggior parte non più ſtampate, ora ordinate, a luogo a luogo illuſtrate con Giunte, e Annotazioni, e poſte in luce da Franceſcantonio Zaccaria. Tomi due, il primo de' quali comprende le Materie Sacre, l' altro le Materie Profane. In quarto ſtragrande. Paoli 12.

Joſephi Aloyſii Amadeſii in Antiſtitum Ravennatum Cronotaxim ab antiquiſſimæ ejus Eccleſiæ exordiis ad hæc uſque tempora perductam Diſquiſitiones perpetuæ, Diſſertationibus ad Hiſtoriam, & nonnullos veteris Eccleſiæ Ritus pertinentibus illuſtratæ. Opus poſtumum in tres Tomos tributum, Monumentis magna ex parte nunc primum editis auctum. Tomi tre in 4. reale. Paoli 21.

Romani Pontificis ſumma Auctoritas, Jus & Præſtantia Œcumenicorum Conciliorum atque Eccleſiæ Gallicanæ Placitis aſſerta defenſa & vindicata: accedit Diſſertatio Hiſtorica de Iſidorianis Decretalibus, necnon Cenſura præcipuorum Auctorum, quos Juſtinus Febronius in ſuo ſingulari Libro cudendo conſuluit: omnia quatuor Libris comprehenſa. Elucubrabat P. Sangallo Religioſus e Familia Ordinis Minorum Conventualium. Tomi due in 4. ſtragrande. Paoli 7.

Conferenze ſulla frequenza, e proliſſità della Confeſſione, utiliſſime ad ogni Penitente, e ſpecialmente a chi fa uſo frequente della Sacramental Confeſſione. Date in luce dal Parroco Matteo Giovannardi Profeſſore di Teologia Morale nel Seminario di Faenza. In ottavo. Un paolo e mezzo.

De Reſervatione Eccleſiæ Faventinæ, Tractatus Confeſſariis omnibus, ut ea, qua pollent, ſolvendi, ligandive poteſtate rite uti valeant, apprime utilis ac neceſſarius, Auctore Matthæo Joannardio Moralis Theologiæ in Seminario Faventino Profeſſore, Eccleſiæ Sanctiſſimi Salvatoris Rectore, & S. Officii Conſultore. In ottavo. Paoli due e mezzo.

17652

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google